3 1761 07833927 2

THESAURUS RESOLUTIONUM SAC. CONGREGATIONIS CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.

OBEUNTE

R. P. D. JULIO GABRIELLIO

Prodierunt in Causis sub annum 1789.

PROPOSITIS

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis, ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus apprimè utilis, ac necessarius.

TOMUS LVIII.

TRIPLICI

INDICE LOCUPLETATUS.

ROMÆ MDCCLXXXIX.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

BX
1935
A36
t. 58-59

LIBRARY
SEP 10 1968
UNIVERSITY OF TORONTO

INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sac. Congregatione Concilii propoſitæ fuerunt anno 1789. per Diœceſes diſpoſitus.

A

Æsina Legati 4. & 25. Aprilis *pag.* 66. & 70.
Æsina Subſidiorum Dotalium 19. Decembris *pag.* 242.
Albanen. 4. Aprilis *pag.* 50., 16. Maii *pag.* 87. 29. Auguſti *pag.* 179.
Alexandrina 18. Julii *pag.* 161., & 8. Auguſti *pag.* 168.
Alexandrina Canonicatus 8. & 29. Auguſti *pag.* 174. & 179.
Anconitana Translationis Miſſarum 7. Februarii *pag.* 33., & 14. Martii *pag.* 39.
Ariminen. Suspenſionis Onerum 25. Aprilis *pag.* 70.
Ariminen. Erectionis Parochiæ 18. Julii *pag.* 158. & 8. Auguſti *pag.* 167.
Ariminen. Reparationis Eccleſiæ Cathedralis 19. Septembris *pag.* 199.
Aſculana 17. Januarii *pag.* 13. & 7. Februarii *pag.* 21.
Aſculana 29. Auguſti *pag.* 185.

B

Beneventana 4. Aprilis *pag.* 54.
Boſanen. Viſitationis Ss. Liminum 19. Septembris *pag.* 213., & 28. Novembris *pag.* 218.
Brictinorien. Reductionis Onerum 28. Novembris *pag.* 224., & 19. Decembris *pag.* 233.
Bugellen. Translationis Onerum 29. Auguſti *pag.* 192. & 19. Septembris *pag.* 197.

C

Cadurcen. Dispenſationis ab Irregularitate 16. Maii *pag.* 88.
Caſtri Albi Viſitationis Sac. Liminum 27. Junii *pag.* 140. & 18. Julii *pag.* 147.
Cervien. 14. Martii *pag.* 40.
Civitatis Caſtelli Reductionis 19. Decembris *pag.* 244.
Concordien. Dispenſationis ab Irregularitate 27. Junii *pag.* 135.
Congregationis Ciſtercienſis 28. Novembris *pag.* 219.

D

Derthonen. 18. Julii *pag.* 154. & 8. Auguſti *pag.* 167.

E

Egitanien. Viſitationis Sac. Liminum 27. Junii *pag.* 135. & 18. Julii *pag.* 147.

F

Fabrianen. 19. Decembris *pag.* 239.
Faventina Commutationis Voluntatis 4. & 25. Aprilis *pag.* 63. & 69.
Feretrana 18. Julii *pag.* 152.
Feretrana Concurſus 19. Septembris *pag.* 205. & 28. Novembris *pag.* 217.
Ferrarien. Reductionis 13. & 27. Junii *pag.* 120. & 133.
Firmana 17. Januarii *pag.* 12. & 7. Februarii *pag.* 21.
Firmana 7. Februarii *pag.* 31. & 14. Martii *pag.* 39.
Firmana Commutationis Voluntatis 7. Februarii *pag.* 37. & 14. Martii *pag.* 40.
Firmana Capellaniæ 25. Aprilis *pag.* 79.
Firmana Separationis Thori 16. Maii *pag.* 98., 13. Junii *pag.* 105. & 19. Septembris *pag.* 197.
Firmana 8. & 29. Auguſti *pag.* 176. & 179.
Forolivien. 16. Maii *pag.* 101. & 13. Junii *pag.* 105.
Foroſempronien. Subſidiorum Dotalium 8. Auguſti *pag.* 169.
Fulginaten. 29. Auguſti *pag.* 188.

L

Lauretana Nullitatis Contractus 17. Januarii *pag.* 1.
Lemovicen. Dispenſationis ab Irregularitate 8. Auguſti *pag.* 168.
Lucana 17. Januarii *pag.* 7.
Lucen. Diſpenſationis ab Irregularitate 19. Decembris *pag.* 238.
Lunen. Sarzanen. 13. & 27. Junii *pag.* 130., & 135.

M

Maceraten. 14. Martii *pag.* 44. & 4. Aprilis *pag.* 49.
Maceraten Jurispatronatus 18. Julii *pag.* 149.
Marianen. 17. Ianuarii *pag.* 14. & 7. Februarii *pag.* 22.
Melevitana Dispensationis 7. Februarii *pag.* 22. & 4. Aprilis *pag.* 50,
Montis Alti Canonicatus 25. Aprilis *pag.* 76., 18. Julii *pag.* 148. , & 19, Decembris *pag.* 234.

N

Nepesina Missæ Convenrualis 16. Maii *pag.* 96.

P

Perusina 29. Augusti *pag.* 191.

R

Ravennaten. Legati 25. Aprilis *pag.* 72.
Ravennaten. 13. & 27. Junii *pag.* 125. & 134.
Reatina Mediæ Annatæ 16. Maii *pag.* 89.
Ripana Administrationis 29. Augusti *pag.* 195. & 19. Septembris *pag.* 197.
Romana 17. Januarii *pag.* 2.
Romana 17. Januarii *pag.* 18. & 7. Februarii *pag.* 22.
Romana Commutationis Voluntatis 7. Februarii *pag.* 29., & 14. Martii *pag.* 39.
Romana Distributionum 14. Martii *pag.* 46. , 4. Aprilis *pag.* 49. , & 8. Augusti *pag.* 174.
Romana Suspensionis Dotium 4. & 25. Aprilis *pag.* 60. & 69.
Romana Capellaniæ 16. Maii *pag.* 92.
Romana Capellaniarum 13. & 27. Junii *pag.* 116. & 133.
Romana Subsidii Dotalis 19. Septembris *pag.* 212. & 28. Novembris *pag.* 218.
Romana Subsidii Dotalis 28. Novembris *pag.* 222.

S

Sabinen. Irregularitatis 13. , & 27, Junii *pag.* 124. & 134.
Sancti Severini, seu Septempedana Visitationis Sac. Liminum 28. Novembris *pag.* 227. & 19. Decembris *pag.* 233.
Sarsinaten. 25. Aprilis *pag.* 84. & 16. Maii *pag.* 87.
Senogallien. Translationis Missarum 17. Januarii *pag.* 10.
Senogallien. 13. Junii *pag.* 106.
Spoletana 13. & 27. Junii *pag.* 123. & 134.

T

Terracinen. & Privernen. Capellaniæ 18. Julii *pag.* 163. & 8. Augusti *pag.* 168.
Terracinen. seu Setina Capellaniæ 19. Septembris *pag.* 208, & 28. Novembris *pag.* 217.
Terracinen. , & Privernen. 19. Decembris *pag.* 235.
Tyburtina Emphyteusis 29. Augusti *pag.* 182., 28. Novembris *pag.* 218. & 19. Decembris *pag.* 234.

V

Verulana Translationis Missæ 25. Aprilis *pag.* 82. & 16. Maii *pag.* 87.
Viglevanen. 14. Martii *pag.* 46. & 4. Aprilis *pag.* 50.
Viterbien. Reductionis, & Suspensionis Onerum 14. Martii *pag.* 41. & 19. Septembris *pag.* 198.
Urbinaten. seu Ariminen. 17. Januarii *pag.* 1,

FINIS.

Die Sabbathi 17. Januarii 1789. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

EX præcedenti Folio diei 20. Decembris elapſi anni 1788. priora duo reſolvenda erant Dubia, ex præſenti reliqua.

URBINATEN., SEU' ARIMINEN. *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

An ad Oratores pertineat pro duabus ex tribus partibus pium Legatum relictum à Marco Antonio Giſgoni, ita ut illorum precibus ſit annuendum in caſu &c.

Negative in omnibus.

LAURETANA NULLITATIS CONTRACTUS. *Seſſ. 25. cap. 11. de Reform.*

Ad Dubium = *An conſtet de nullitate contractus, ita ut ſint reſtituendi fructus in caſu &c.* Sacra Congregatio reſpondit ſub die 30. Auguſti elapſi Anni 1788. *Affirmativè in omnibus*. Ab hoc reclamat reſcripro Sacerdos Joannes Ginami, ac unus hactenus nova exhibuit Scripta. Alia præteritis addit exempla ad probandam conſuetudinem alienandi commodum percipiendi ex domibus Beneficiorum Lauretanæ Baſilicæ penſiones ad vitam Beneficiati. Bonam rurſus urget fidem, qua hujuſmodi ſemper contractus à religioſis Viris initi fuerunt, & qua ſuadente Ginamus etiam venditionem, de qua agitur, explevit. Valdeque tandem quoad reſtitutionem fructuum in ſimillimo contidit caſu ab hac Sacra Congregatione reſoluto *in Tarentina Beneplaciti Apoſtolici 4. Maii 1743.* Res namque erat de conſuetudine locandi ad vitam Portionariorum Collegiatæ Eccleſiæ Oppidi Cryptalearum

immobilia Ecclesiæ bona. Proposito tamen præ ceteris Dubio = *An sit locus sanationi locationum, seu concessionum jam factarum absque Apostolico Beneplacito*, Sacra Congregatio respondit: *Prævia absolutione ad cauthelam, pro gratia sanationis quoad concessiones hactenus factas; quo vero ad concessiones in posterum faciendas, recurrant in casibus particularibus.*

An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.

In decisis, & amplius; & cui sint restituendi fructus, ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ROMANA. Plura Societas Sanctissimi Sacramenti ad S. Mariam in Via Urbis possidet bona; alia propria in capitali scutor. 40488. 71. ½, alieno detracto ære; alia hereditaria Præsulis Jo. Baptistæ Canobi ad summam scutorum 20069. 16. ½, alieno pariter ære detracto. Annui bonorum ejus reditus scuta attingunt 945. 32., exitus scuta 750. 27. ½ Quæ redundat summa scutorum 195. 04. ½, in emptionem Locorum MM. erogari deberet ex decreto cl. me. Cardinalis Alexandri Albani, qui ad extinguendum fructiferum Societatis debitum scutor. 4197. 65. demandavit anno 1767. in actu Apostolicæ Visitationis annuum investimentum scutorum 200. Reditus vero hereditatis Canobi in scutis consistunt 898., exitus passivorum censuum, & expensarum in scutis 438. 72. ½ Reliqua autem summa in dotalia de triennio in triennum subsidia scutorum 50. pro qualibet Paræciæ Puella ex dispositione Testatoris erogatur. Utraque bona & reditus distincte administrantur.

Societatis ratiocinator erat anno 1771. Cajetanus Piacentini, eique ab Urbe discessuro successit ex destinatione bo. me. Litta Societatis Primicerii, per Apostolicum Visitatorem confirmata, Constantinus Perasti, qui tunc exactoris munus exercebat. Uterque ob fraudes in administratione commissas debitor erat; sed ita uterque Perito ratiocinatori, ad dispungendas rationes assumpto, imposuit, ut absolutoriam reportaverit. Diu Perastus cum bona sui opinione in novo ratiocinatoris officio permansit. At universis per Sodales ex indicio occupatis libris, anno tandem 1785. deprehensum est, insignem ab eo exactoratus tempore subreptam ex fructibus fuisse summam

mam scutor. 1703. 97., alteramque scutor. 1193. 89. per alterationem ordinum in secundo officio, & sic in unum scuta 2903. 86., quæ accuratiori deinde examine ad scuta creverunt 2987. 75. ½ Horum 1398. 42. ½ ad Societatem, reliqua 1589. 33. ad Legatum pertinent Canobi.

Reo carceribus mancipato, nil aliud ex domestica ejus supellectili consequi potuit, quam summa scutor. 692. 95., quorum proportionalis rata scut. 392. 18. attributa est Legato Canobi, altera scutor. 299. 77. Societati. Duo hinc Primicerius & Officiales Societatis distinctis precibus a Sanctissimo postularunt, absolutionem nempe a reintegrando de amissa summa scutor. 1200. 25. ½ Legato Canobi, & suspensionem dotalium subsidiorum quatuor per triennia decem ad æquandum ejusdem summæ defectum. Re vero ad Sac. hanc Congregationem remissa, hactenus exposita confirmat Eminentissimus Salviati vigilantissimus Protector, ac suum super utraque instantia votum aperit.

Quoad absolutionem a reintegratione fatetur, onus bene diligenterque administrandi bona Legati Pii incumbere Societati, *cui ex Juris rigore & aliud incumberet onus reintegrationis deperditæ summæ scutorum* 1200. 25. ½. Observat tamen quod = *Legati Canobi jactura non ex culpa provenit Societatis administratricis. Id sane non modo excludit dolosi Debitoris confessio solemniter emissa in publico Instrumento, quod signatum remittitur litt. A., sed & ipsa naturalis evidentia, dum Sac. Visitationis tantummodo auctoritate ad Ratiocinatoris officium translatus fuit Perastus, ejusque computa fuerunt approbata, cui vetitum certo erat Officialibus contradicere. Impotentiam vero ex parte Societatis rependendi Legati damnum, demonstrat Restrictus redituum, & expensarum Societatis, ejus ex Codicibus desumptus ab hodierno Ratiocinatore sub litt. B., qui jurata testatur depositione, bona Legati Canobi separate distincteque ab aliis Societatis administrari, ut ex litt. C., probatque, Societatis ac Pii Legati detrimenta non eorum capitalia, sed fructus, redituque tantummodo obtigisse, ex Foliis sub litt. D.* Atque ex his omnibus concludit = *hodierni Primicerii, & Officialium Societatis petitio exaudienda videtur.* Maxime quia Societas = *haud indemnis evasit in tanto rerum excidio, quia creditrix adhuc in scutis* 1029. 62. ½ *erga Perastum, a quo nulla spes solutionis.*

Quo vero ad suspensionem dotium refert, quod licet = *ex pia Jo. Baptistæ Canobi testamentaria dispositione teneatur Societas Sanctissimi Sacramenti S. Mariæ in Via triennia*

quolibet tot conferre Puellis intra limites ejusdem Paræciæ commorantibus sub sidia dotalia scutor. 50., *forte extrahendis, quot capiant fructus realiter exacti ab dotalibus designatis capitalibus; attamen ex perseveranti quadam & insipienti largitate Officiales ejusdem Societatis longo ab hinc tempore in dotationes impenderunt eorumdem capitalium fructus non vere exactos, sed maturatos tantummodo. Longo hinc temporis tractu, cum quamplurima ex redditibus in dotationes impensis, inexactæ partitæ remanserint, & cum modo ex fructibus eorumdem capitalium dotationi designatis furto ablata fuerit a Constantino Perasti summa scutor.* 695. 04. (verius scutorum 1200. 25. $\frac{1}{2}$, compensato mobilium pretio, seu ejus rata(*debitor evadit hodie* (ad dotationem diei 2. Februarii 1787.) *Canobi Legatum erga dotatas Puellas ingentis summæ scutorum* 2056. 75. $\frac{1}{2}$ seu scutorum 2072. 34. juxta relationem Ratiocinatoris.

Hæc probat documentis = *quæ ab EE. Vestris desiderantur, utpote adnotata in remissivo Rescripto diei* 15. *Septembris mox præteriti. Ex his*, inquit, *non modo veritas enarrati debiti, sed necessitas inveniendi modum ad illius dimissionem demonstratur. Exhibent namque Sodales completissimum statum demonstrativum subsidiorum usque nunc collatorum, quorum nondum venit solutionis dies* (in summa scutorum 6102. 79.) *una cum descriptione Locorum MM., quæ eorumdem solutioni præsidio sunt, loco & vice effectivi depositi* (& qui ad totam diem 2. Februarii constituunt capitale dumtaxat scutorum 4030. 45.] *Omnia sub num.* 1. *Alio quocumque excluso deposito, jurata attestatione hodierni Ratiocinatoris, quæ notatur numer.* 2. *Partialis inde probatur reintegratio per assignatam Pio Legato quotam proportionalem pretii ex renunciatis mobilibus debitoris Perasti retracti sub num.* 3. *Datur præterea Debitorum nota erga Pium Legatum sub num.* 4. [nullius scilicet spei in summa scutorum 3588. 35.) *Denique sub num.* 5 *&* 6 *adest activus, & passivus status bonorum, quæ Pii Legati sunt, adestque Jo. Baptistæ Ca-*

Hnobi *Testamentum*.

inc, ait = *& debitum patet Legati Canobi, & impossibilitas ipsum aliter cœquandi, nisi petita concedatur facultas*; quodque = *licet ex numero usque nunc promissorum dotalium subsidiorum, de quibus nondum evenit solutio, pleraque certo nunquam erunt solvenda, vel quia dotatæ Puellæ vita defecerint, vel quia ætate confectæ haud sint aptæ conjugio, in id tamen nequit spem suam ponere Canobii Legatum. Jus enim, ut dicitur, recadentiarum virtu-*

tute Chirographi S. M. Pauli V. pertinet ad Societatem, & quod majus eſt, de iiſdemmet dotalibus ſubſidiis revertendis Sac. Apoſtolica Viſitatio diſposuit ultimis hiſce temporibus præcipiens, ut ea integre impendi debeant in dimittendo ærè alieno, quo prægravatur Societas; & præceptum hujuſmodi plenam obtinet executionem. Et ita tandem concludit: *Mea hinc eſſet ſententia, ut precibus Societatis foret annuendum; ſed delenda ab propoſita notula earum Puellarum nomina, quibus Societas promiſſa ſubſidia haud unquam erit ſolutura. Ad minorem quantitatem poterit hoc pacto debitum redigi, & pro eo, quod ſupererit, concedendam cenſeo Societati facultatem duo tantummodo ſibi retinendi ſubſidia dotalia in decem futuris tenniis.*

Duo Societatem a reintegratione Legati Canobi excuſare poſſent; aliena Peraſii culpa, & ipſius Societatis impotentia, de quibus fuſe Eminentiſſimus loquitur Protector. Luere enim non debet Locus Pius Officialium culpam, *Monacell. in append. ad form. Iſtruzz. 5. num. 8. & ſeqq.*, & *Sacra hæc Congregatio in Romana Deletionis Oneris 6. Maii* 1786. A reſtitutione vero, vel emendatione excuſat impotentia, ut cenſuit Sac. Congregatio *in Syracuſana 7. Februarii* 1705. *lib. decret. 55. fol. 44.* Ponderandum tamen quoad primum, num culpa vacaverint Societatis Officiales, qui eam tot annorum ſpatio non adhibuerunt diligentiam, qua nuper Peraſii fraudem detexerunt. Ea enim opportuno tempore adhibita, longe minus eſſe potuiſſet ipſius Societatis, & Legati Carobi damnum. Æque vero Eminentiſſimi Patres advertant, non aliter, Eminentiſſimi Protectoris judicio, Pium Legatum reintegrari poſſe, quam ex Societatis capitalibus.

At Notari poſſet, redundantes Societatis reditus annuam attingere ſummam ſcutorum 195. 04. ½, quæ aliis additis ſcutis 4. 95. ½ ad componendam ſummam ſcutorum 200., in dimiſſionem erogantur debiti ſcutor. 4272. 65., quo Societas ipſa gravatur. Ad hanc explendam dimiſſionem requiruntur, Ratiocinatoris calculo, anni viginti, quibus tranſactis, libera Societati erit tum ſumma ſcutorum 195. 04. ½ cum altera ſcutor. 110. 02. ½, quæ modo pro fructibus capitalis ſolvit, & ſic annua in totum ſumma ſcutorum 305. 07. Satis autem eſſet hæc ſumma ad reintegrandum ſequenti quatriennio Pium Legatum. Alter etiam eſſe poſſet hujuſce reintegrationis modus, ſi in eam nempe convertantur dotes ad Societatem devolvendæ *ex Paulino Chirographo*. Nec forſan

obeſſet

obesset, quod Sac. Visitationis decreto destinatæ sint in dimissionem debitorum Societatis. Unicum namque est ejus debitum scutorum 4272. 65., pro cujus dimissione destinati sunt ex altero Apostolici Visitatoris decreto redundantes Societatis reditus.

Quatenus autem in id Eminentissimi Patres Societati indulgeant, quærendum erit de suspensione dotium. Negotium faceſſit, quod binæ saltem Puellæ juxta votum Eminentissimi Protectoris, vacuæ essent dote triginta annorum spatio contra expressam Testatoris voluntatem. Necessitas contra urget æquandi subreptam summam, & occurrendi etiam malo tot dotium ex non exactis reditibus promissarum. Non raro enim ob diminutionem redituum, similique de causa hujusmodi suspensionem concessit Sac. Congregatio, ut in *Amerina* 15. *Decembris* 1764., *& in Aquilana* 17. *Junii* 1780.

Unius, & alterius Dotis suspensionem ad tricennium proponit Eminentissimus Protector, ex quo haberetur summa scutorum 1000. At si Eminentissimi Patres reintegrandum censerent Legatum ex redundantibus Societatis reditibus post vicennium, major haberi posset summa, nec dotium suspensione opus esset. Quod numerus autem promissarum dotium Legati vires excedat, suspensionis necessitatem non inducit. Statim enim non fit illarum solutio, & præsto sunt, concurrentibus dotatis, annui reditus, & scuta 2515. 25., quæ dotium causa in tot consistunt Locis MM. loco depositi.

Deliberandum igitur.

I, *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro suspensione dotium Jo. Baptistæ Canobi in casu &c.*

Ad primum: Providebitur in secundo.

Ad secundum: Ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro derogatione Brevis Paulini, & Decreti Visitationis ad effectum reintegrandi hæreditatem Canobi pro scutis 1200, ex recadentiis dotium non solutarum.

LU-

LUCANA. Laicalem Capellaniam cum fundo scutorum 1200., ac festivi Sacri onere instituit anno 1716. Sacerdos Bernardinus Silvestri ad Altare B. M. Virginis in Cælum assumptæ, ære suo extructum in Parochiali Ecclesia Oppidi de Acunia, vulgo *della Cuna*, detulitque activum juspatronatus ad Jacobum Nicolaum Franceschini ejus pronepotem, & regularis primogenituræ ordine ad illius Descendentes masculos in infinitum, deindeque ad Seniores gradatim ex quatnor agnatis Familiis, & Moderatores Oppidi. Primogenituram ex reliquis bonis favore ejusdem Jacobi, & Descendentium masculorum instituit, eoque absque filiis decedente substituit = *le Sorelle di detto suo Erede, che si trovassero vive, ed al secolo per ugual porzione; e morendo una, succeda l'altra, o altre che sopravivessero; e mancando tutte dd. Sorelle, vada e pervenga detto fidecommisso, e primogenitura al Benefizio, e Cappellania, come sopra da erigersi e fondarsi all' Altare dell' Assunta nella Chiesa della Cuna, e loro Cappellani che saranno per i tempi, con obbligo in detto caso alli Cappellani di celebrare, o far celebrare al detto Altare una Messa di più alle stabilite in tutti li Martedì di ogni settimana ogni anno.* *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Per obitum Jacobi absque filiis masculis delata est primogenialis successio ad unicam ejus superstitem sororem Annam Mariam. Infelix hæc mulier dum in humanis erat, & octogesimum primum agebat annum, gravi præmebatur egestate, & graviori filiorum quatuor, totidemque ex altero prædefuncto filio nepotum onere. *SANCTISSIMO* igitur supplicavit, ut suspensa post ejus obitum bonorum primogenialium devolutione ad Capellaniam, & Capellanum, illorum usumfructum ejus filiis, & nepotibus ad vitam permitteret. Præcibus ad Sacram hanc Congregationem remissis, exposita confirmavit Lucanus Archiepiscopus; sed viriliter petitioni obsistere retulit Capellanum. *Ait enim, vel a momento mortis Testatoris Capellàniam, & pro ea, qui tunc adesset, Beneficiatum indubium acquisiviisse jus, eveniente conditione defectus lineæ masculinæ Heredis, & interitus illius Sororum, consequendi, & retinendi prædia fidecommisso suppositia; ideoque perperam, & animose obloquendo, subjungit, neminem etsi summa præditum potestate, ea modo posse pro imperio, & lubitu abripere, quæ Fundator in eo, qui adamussin evenit casu, Capellaniæ adiicere voluit.*

Ex

Ex accurato deinde calculo addidit, quod bonorum primogenialium fructus = *vix sunt in summa quinquaginta quatuor aureorum, qui si adimantur, nil propemodum supereſt. Ideoque mortua matre, filii æque ac nepotes ostiatim victum quærere compellentur. Nec inter agnatos, aut cognatos est, qui debeat aut possit extremæ Familiæ indigentiæ succurrere.* Et ita conclusit = *Cum attenta miserrima conditione masculi, & filiarum immediate ab Oratrice derivantium, certum sit, omnes pauperrimos esse; nec, cum ægroti sint & inhabiles, industria, & labore ea sibi parare posse, quæ ad vitam parce, & moderate sustentandam sunt necessaria, quoad hos æquum justumque putarem, ut mortua usufructuaria, successionis emolumentum humaniter consequantur; idque potissimum, si Avunculus magnus, quod infeliciter evenit, prospexisset, ita impellente naturæ lege, potiusquam Capellani commodo, filiorum a prædicta nepte descendentium indigentiæ, & conservationi benigne consulere voluisset. Quo vero ad Postulantis nepotes, cum modo partim infantes sint, partim minores, ideoque Parentum subsidio indubitate opus habeant, & his prædictorum bonorum usumfructum misericorditer relinquendum censerem; non indistincte tamen, perpetuo, & absolute, sed quousque ad majorem ætatem perventi, in sudore vultus honeste panem lucrari possint.* Post hæc decessit Oratrix, & bonorum possessionem adeptus est Capellanus. Instantiam vero prosequuntur filii & nepotes. Ad causam vocari debuisset Capellanus; sed id potius EE. Vestrarum judicio relinquendum censui, eo quod perspectum est ex relatione Archiepiscopi ejus jus, si gratiam impedire valeat, & quia de pauperibus agitur, qui enixis iteratisque precibus propositionem Causæ flagitarunt.

Tria Oratoribus adversantur: Testatoris voluntas, ex qua per obitum eorum matris & aviæ delata sunt bona ad Capellaniam: Ejus Animæ præjudicium ob diuturniorem hebdomadalis Sacri suspensionem: Et contradictio Capellani, cui per possessionem quæsitum est jus in re. Testatoris voluntas, in iis præsertim, quæ suffragium respiciunt Animæ, accurate servanda est, ut monent *Petra ad Constit. Innoc. IV. num.* 49., *& seq.*, *& Kochier ad reg. Cancell. litt. E.*, nec sine justa, & rationabili causa commutari debet, *Sac. Concil. Trident. Sess.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*. Qua de causa Missarum suspensionem denegavit Sacra hæc Congregatio *in Mediolanen. Fun-*

da-

dationis 20. *Maii* 1752., *& in Lisbonen.* 20. *Septembris* 1760. Capellani vero intereſſe habentis contradictio contemni non debet, per *Text. in Leg. Sicut Cod. de action. & obligat.*, *Rigant. ad regul.* 22. *Cancell. num.* 49. *& 59.*, *Piton. de controv. patron. allegat.* 47. *num* 45. . Potiſſimum, quia jus habet in re, quod difficilius amittitur, *Fagnan. in lib.* 3. *Decretal. Cap. Dilectus il* 2. *num.* 17. *de præben.*

Eis contra infeliciſſimus favet ipſorum ſtatus, quem deſcribit Archiepiſcopus, ſanguiniſque conjunctio cum Teſtatore. Canonica ſiquidem æquitas, quæ alimenta ex fructibus Beneficii pauperibus patronis denernit *in Can. Decernimus* 16. *quæſt* 7., *& in Cap. Nobis de Jurepatr.*, trahi poſſet ad illorum heredes, & conſanguineos Fundatoris *ex Toletana Synedo IV. can.* 38. *relat. in Can. Quicumque* 30. *cauſ.* 16. *quæſt.* 7., *Rot. apud Piton. de controv. patron. alleg.* 46. *num.* 66., *& ſeqq.*. Si enim hic viveret, haud fortaſſe pateretur, ut integrum maneret Miſſarum Legatum, & Deſcendentes ex prædilecta ejus Sorore perirent fame, *Cap. Pervenit de Jurepatr.*, *Amoſt. de Cauſ. Piis lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 12. Maxime quia ex annuis fructibus ſcutorum 54. pauperibus provideri poſſet Teſtatoris conſanguineis; ejuſque Animæ ſuffragio, quod in hebdomadali conſiſtit Miſſa.

Quantum vero facienda ſit Capellani contradictio, EE. Veſtræ decernent. Quæſivit quidem per poſſeſſionem bonorum jus in re; ſed illud pendente in hac Sac. Congregatione Uſufructuariæ inſtantia quæſivit. Ceterum alimenta pauperibus patronis, aut conſanguineis ex Beneficio etiam pleno debentur, *Piton. de contr. patron. allegat.* 29. *num.* 17. *& ſeqq. & allegat.* 44. *num.* 20., *& ſeqq.*. Notandum inſuper, quod pro feſtivo Sacro fructus percipit Capellanus capitalis ſcutorum 1200., ſeu annua ad taxam legalem ſcuta 48., ac majus ei bona fideicommiſſaria pro hebdomadali altero compendium adderet ſcutorum 54. Dum congrua enim Beneficiato remanet ſuſtentatio, ſuccurri debet pauperibus Patronis, aut conſanguineis ex eo, quod ſupereſt, *Piton. loc. cit.*

Quatenus autem indulgere velint EE. Veſtræ Oratorum precibus, deliberandum erit de tempore indulti. Gratia dignos cenſet Archiepiſcopus filios defunctæ Annæ Mariæ ad vitam, quia perpetuo inhabiles ſunt ad comparandum victum. Puerulos vero illius nepotes = *quouſ-*

que ad majorem ætatem perventi, in sudore vultus honeste panem lucrari possint.

Decernere igitur dignentur Emi Patres.

An, & quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis in casu &c.

Consulendum Sanctissimo, quod relicta penes Capellanum bonorum possessione, celebratisque per ipsum Missis singulis feriis tertiis juxta Testatoris voluntatem, perfolvat ad decennium annua scuta quadraginta, viginti nempe Filiis Annæ Mariæ, & aliis viginti ejus Nepotibus ex prædefuncto Filio,

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

SENOGALLIEN. TRANSLATIONIS MISSARUM. Testamento condito per Acta Not. Cæsaris Gaudenzi Fabrini sub die 7. Augusti 1721., celebrationem demandavit Raymundus Arcangeli hebdomadalis Missæ in qualibet Oppidi Montis Novi, ejusque suburbiorum Ecclesia, ac duplicem pro ejus fundo assignavit censum, aiterum in sorte scutorum 25., alterum scutorum 50. Eodem die, anno, & rogitu, nedum ejus Legatum, sed binas alias hebdomadales Missas Testamento pariter confirmavit germanus illius frater Franciscus Antonius = *senza spiegare da qual de suoi Antenati siono state lasciate queste due Messe la settimana, e senza dire in quali Chiese debbino queste celebrarsi*. Ita utriusque Testamenti exhibitis particulis, publicus testatur ejusdem Oppidi Notarius, jam a secretis Communitatis. Aliter vero rem narrat Marius Procaccini orator, cui in sua informatione Emus adhæret Episcopus, quod unus nempe Raymundus tres designaverit hebdomadales Missas in informi Folio, quod morte præventus, in solemne Testamentum convertere non potuit.

Adimpletum hactenus est in Oppido Montis Novi utrumque Legatum. At divisa tandem inter Fratres Procaccini Montis S. Viti hereditate Arcangeli, unus ex ipsis Marius, cui onus in divisione obvenit Missarum 26. in singulos annos, EE. Vestris supplicavit pro illarum translatione ad alteram ex patriis sive urbanis, sive suburbanis Ecclesiis, eique in hæc verba Emus favit Episcopus = *Res omnis istius Supremi Senatus arbitrio permissa videtur: quo arbitrio uterer profecto, si res ipsa ad me pertineret. Quid enim Animæ detrahitur Testatoris, qui locum Ecclesiarum non designavit, si extra fu.æ origi-*

nis

nis locum præfietur Legatum ? Neque loco ipſi Montis Novi præjudicium ullum infertur, Sacrificiorum celebratione multiplici aucto, ſi viginti ſex Sacra deducantur. Loci Parochus auditus, translationi aperte non contradicit. Penuria certe Sacerdotum in eodem Oppido Montis Novi allegari nequit; & ſi Seculares eadem Sacrificia offerre recuſarent, Regulares non deſunt, qui offerant, ſicuti ab anno circiter viceſimo Minores Reformati obtulerunt, & in poſterum ſunt parati. Hoc tamen non obſtante, rejecta fuit die 15. Septembris elapſi anni 1787. Oratoris inſtantia per reſcriptum *Lectum*. Res vero ad novas illius preces ablegata eſt ad *Folium*, ac redit modo ad examen.

De utroque ſane ex Teſtamentis conſtat Legato. Diuturnum additur utriuſque adimplementum per annos 67., quod ſatis cenſuit Sacra hæc Congregatio ad inducendam Miſſarum obligationem *in Uxentina Legati* 13. *Januarii* 1748. *ad* 1. *Dub.* Ultroque Orator ipſe hujuſmodi obligationem fatetur, dum Miſſarum translationem poſtulat, argumento *Legis Ad ſolutionem* 5. *Cod. de Re judic.*

Expreſſa ejus petitioni quoad ſecundum Legatum non adverſatur Teſtatoris voluntas. Nullum enim Franciſcus Antonius Arcangeli deſignavit celebrationis locum. Perpetuum autem Miſſarum Legatum abſque deſignatione Eccleſiæ adimpleri poſſe *ubi magis libuerit heredibus*, cenſet *Paſqualig. tom.* 2. *de Legat. pro celebrat. Miſſar. quæſt.* 996. *num.* 4. Nulli præterea, inquit Orator, per translationem fit injuria, quum deſignati non ſint pro Miſſarum celebratione Sacerdotes, & Parochus Montis Novi *aperte non contradicat*. Civilem rurſus *ex informi folio* (ita ſolemnia appellat Fratrum Arcangeli Teſtamenta) deeſſe affirmat obligationem adimplendi Legatum, *Piton. diſcept. eccleſ.* 2. *part.* 1. *num.* 86. Eoque magis propterea indulgendum eſſe pro tranſlatione, ex qua idem erit ſuffragium Teſtatori.

Juſta tamen in concedenda Miſſarum translatione, & rationabilis requiritur cauſa, *ut in Foroſempronien.* 4. *Maii* 1771., cauſa ſcilicet, quæ neceſſitatem quamdam inducat, *Piton. de contr. Patron. allegat.* 50. *num.* 1., *& ſeqq.* Alia vero in noſtro themate cauſa transferendi celebrationem Miſſarum ab Oppido Montis Novi ad illud Montis S. Viti non apparet, quam majus Oratoris commodum. Facile enim in uno, ſive per ſæculares ſive per regulares celebrari valent Sacerdotes, ſufficiens

In altero non deficit earum numerus. Verisimile insuper est, quod duplicis hebdomadalis Missæ institutor, utpote in Oppido Montis Novi ortus, & fortasse sepultus, celebrationem in altera ex illius Ecclesiis voluerit; eo pariter modo, quo respectu ad alteram hebdomadalem Missam disposuit Raymundus. Quanti autem in id facienda sit præsumpta Testatoris voluntas, docet *Card. de Luc. de Testam. disc. 72. num.* 15., *& seq.*, *& Sacra Congregatio in Casalen. Reductionis Missarum* 15. *Decembris elapsi anni* 1787. Longæva accedit sexaginta septem annorum observantia, quæ dubiam interpretatur dispositionem, *Cap. Cum dilectus* 8. *de consuetud.* Ac notandum denique, quod Parochus Montis Novi, cui jus aliquod ad Legatum incertæ Ecclesiæ relictum esse posset, vel non consentit, vel tacite dissentit, dum *translationi aperte non contradicit*.

Deliberandum igitur.

An sit locus translationi Missarum in casu &c.

Negative.

Sess. 21. cap. 7. & Sess. 23. cap. 1. de Reform.

FIRMANA. Relata hæc Causa fuit *in Folio* 24. *Maii*, resoluta vero *in Congregatione* 7 *Junii elapsi anni* 1788. Ad Dubium enim: *An, & quæ resolutio Capitularis sit approbanda, & quomodo, & a quibus sit exequenda*; rescripserunt Emi Patres: *Approbandam esse resolutionem diei* 7. *Septembris* 1786. *juxta votum Archiepiscopi*. Urgente nuper Archipresbytero de Angelis pro ejus repropositione, altera coram me ex parte Capituli promota fuit instantia pro compulsatione librorum; & scripturarum parochialium. Hæc vero ad EE. Vestras una cum negotio principali remissa, ex respectivis Partium Scriptis desumere dignentur, quid super meritis, quid super compulsoria deducent,

Quæritur itaque,

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

ASCU-

ASCULANA. Hujus Cauſæ ſpecies eſt *in Folio diei 21. Junii*, ejus Reſolutio *in ſequenti 12. Julii elapſi Anni* 1788. Quatuordecim fuerunt Dubia I. *An liceat Canonicis, & Capitulo Eccleſiæ Cathedralis Aſculi ex pecuniis, ſeu reditibus Fabricæ ejuſdem Eccleſiæ conficere ſumptus litium, aliarumque rerum, quæ ſpectant ad ipſum Capitulum, & non tangunt intereſſe ipſius Eccleſiæ, vel Fabricæ, ſeu potius fieri debeant ex reditibus ipſius Capituli, & Canonicorum in caſu &c.* II. *An conſtet, quod Canonici, & Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Aſculi ex pecuniis, ſeu reditibus Eccleſiæ, vel Fabricæ ejusdem Eccleſiæ confecerint ſumptus litium, aliaſque expenſas, quæ ſpectant ad ipſum Capitulum, & non tangunt intereſſe ipſius Eccleſiæ, ſeu Fabricæ in caſu &c.* III. *An ſit ſervandum, & exequendum decretum clar. mem. Cardinalis Bernerii jam Epiſcopi Aſculani editum in Sac. Viſitatione de Anno* 1595. *in caſu &c.* IV. *An ſint ſervanda, & exequenda decreta Sacræ Viſitationis Epiſcoporum Philippi Monti de anno* 1673. *, & Gambi de anno* 1714. *quoad expenſas reſpicientes Caſtrum Maltineani in caſu &c.* V. *An, & quomodo ſit providendum quoad præteritum tempus in caſu &c.* VI. *An ſuſtineatur Epiſcopi præceptum præſenti Æconomo factum, ne abſque illius aſſenſu quidquam ſalvat in cauſam ſumptuum extraordinariorum, exceptis ſolitis, & conſuetis ſumptibus in Eccleſiæ ſervitium in caſu &c.*, & quatenus Affirmative VII. *An hoc idem præceptum ab omnibus futuris Æconomis ſervandum ſit in caſu &c.* VIII. *An Æconomus Eccleſiæ, ſive ſit de gremio Capituli, aut ſecus, compellendus ſit idoneam cautionem præſtare ab Epiſcopo approbandam in caſu &c.* IX. *An Canonici filiisfamilias, ſeu legitimis exceptionibus obnoxii poſſint exercere munia, deputationes, ſeu officia cujuſcumque generis, & ſpeciei ſpectantia ad Eccleſiam Cathedralem, ſeu ejus Sacriſtiam abſque idonea cautione ab Epiſcopo approbanda in caſu &c.* X. *An Depoſitarius, & Æconomus teneatur reddere rationem Epiſcopo ſingulis annis, ac etiam intra, & extra annum, concurrente tamen in hoc poſteriori caſu legitima cauſa in caſu &c.* XI. *An item teneatur conſervare, & regiſtrare Ordines ſolutionum, ſeu bollectenos etiam per redditas rationes, & completum ſyndacatum à Canonicis reviſoribus in caſu &c.* XII. *An liceat Epiſcopo mulctare, & in quâ pœna Canonicos reviſores, & alios de Capitulo ſcindentes, aut igni tradentes præfatos Ordines, & bollectenos in caſu &c.*

Seſſ. 22. Cap. 9. de Reformat.

XIII. *An*

XIII. *An in locationibus bonorum faciendis per idem Capitulum pro majori utilitate Ecclesiæ, sit audiendus Episcopus sub pœna nullitatis in casu &c.* XIV. *An, & quoties Episcopo constet de præjudiciali Capituli administratione bonorum Ecclesiæ, liceat eidem eadem bona locare, etiam reluctantibus Canonicis in casu &c.*

Et hæc in contumaciam Asculani Capituli fuerunt responsa. Ad I. *Negative ad primam, Affirmative ad secundam partem.* Ad II. *Præfigendum esse terminum Canonicis ab Episcopo ad reddendam rationem coram eodem.* Ad III. *Affirmative.* Ad IV. *Affirmative.* Ad V. *ut ad secundum.* Ad VI. *Affirmative.* Ad VII. *Affirmative.* Ad VIII. *Affirmative.* Ad IX. *Affirmative, si fuerint à Capitulo electi, & quod reditus Fabricæ provisum in antecedenti.* Ad X. *Quoad reditus Fabricæ Affirmative, quo vero ad reditus Capituli, Episcopus utatur jure suo ad formam Concilii Tridentini.* Ad XI. *Negative post redditam rationem; teneri vero Capitulum servare Documenta exhibita in redditione rationum.* Ad XII. *Affirmative arbitrio Episcopi ad formam antecedentis.* Ad XIII. *Quoad bona Fabricæ Affirmative, quoad bona Capituli Negative.* Ad XIV. *Episcopus utatur jure suo ad formam Concilii Tridentini.* Contradicentibus Partibus, eadem modo redit Causa ad examen; sed latet hactenus, quid deducturæ sint novi. Ex respectivis igitur eorum Scriptis respondere dignentur Emi Patres.

An sit standum, vel recedendum à decisis à primo ad decimum quartum Dubium in casu &c.

ff.21. Cap.5. 7. de Rerm.

MARIANEN. Duæ in Oppido *Sisci* sunt Paræciæ, S. Martini una, S. Xisti altera. Fatiscens S. Xisti Ecclesia, Sacrarum supellectilium defectus, tenuesque reditus Pastoralem excitarunt Marianensis Episcopi curam, reque in Sacra Visitatione, prudentiorum auditis

tis opinionibus discussa, illius Paræciam transferre decrevit ad Ecclesiam & Cœnobium S. Antonii Minorum Reformatorum Sisco proximum. Præ omnibus igitur Ecclesiam illam, proximamque alteram laicalis Sodalitii interdixit, permisitque ut hæc interim concinnari posset = *ad uno fiato decente per servire ai riferiti Parrocchiani; cosicchè possano in essa celebrare solamente gli Offici Divini convenienti alla loro Compagnia* =. Mandavit deinde, ut Sacra omnia Ecclesiæ S. Xisti vasa, supellectilia, utensilia, bona, reditus consignari deberent Reformatis Patribus, utque Religiosus Parochus amovibilis esset *ad arbitrio nostro, e de nostri Successori*. Ac declaravit tandem = *che tutto il contenuto nella presente nostra ordinanza non sortirà il suo pieno effetto, se non dopo che li RR. Padri surriferiti avranno ottenuto le facoltà necessarie dai loro Superiori legitimi di accettare l'esercizio della cura dell' Anime, volendo soltanto, che quelli al presente accudiscano interinamente al governo spirituale della detta Parrocchia; ed a tal effetto deputiamo per ora il Rev. P. Guardiano di detto Convento* =. Ita in decreto diei 4. Aprilis elapsi anni 1788.

Ad hanc impediendam translationem, Sacram Episcoporum & Regularium Congregationem adierunt Publici Communitatis Sisci Officiales, precibusque ad EE. Vestras remissis, hæc Marianensis retulit Antistes. S. Martini, inquit, Paræcia ex 150. componitur Familiis, in plures divisis Pagos valde inter se dissitos; adeoque tenues sunt ejus reditus, ut Vicecurati retentionem non patiantur, Populusque idcirco spiritualibus Institutionibus destituatur. S. Xisti Paræcia vigintiquinque amplectitur Familias. Proximam ejus Ecclesia minatur ruinam, rebusque omnibus destituta, jamdiu Rectore caret, & Animarum cura sub Æconomo negligitur. Rationes deinde affert, cur hujusmodi Paræciam ad Ecclesiam potius S. Antonii transferre, quam Paræciæ S. Martini unire decreverit, ne viginti quinque scilicet Familiarum adderet onus ejus Rectori, qui ob locorum positionem neglecturus forsan esset alias Paræciæ suæ familias 150., utque majorem Parochianis ipsis S. Martini afferret utilitatem, quibus commodior est S. Antonii Ecclesia.

Vix hæc innotuerunt Generali Minorum Observantium, & Reformatorum S. Francisci Ministro, acriter per epistolam castigavit P. Joannem Augustinum *di Pietra*

Cor-

Corbara Siſcenſis Cœnobii, quod extorſiſſet = *un decreto, nel quale viene dichiarata Parroco di una piccola Cura detta di S. Siſto* = eiquæ præcepit = *che aſſolutamente laſci tale impegno, e rinunzi alla ſudetta Cura; non volendo io, che li noſtri Conventi venghino dichiarati Cure, ſpecialmente quando le coſe non ſono con approvazione comune.* Eodemque tempore injunxit Miniſtro Provinciæ Reformatæ Corſicæ = *che aſſolutamente ſi opponga a tali tentativi, non dovendo le noſtre Chieſe eſſere erette in Parrocchia, quando maſſimamente il Popolo ſi oppone, ed obblighi in ſeguito il Religioſo ſudetto a recedere dal preſo ineonſiderato impegno.* Hoc ipſum in ſua informatione ſentiit Procurator Generalis Ordinis, tum ex decreta bonorum, & redituum S. Xiſti translatione ad Minores S. Antonii Reformatos contra Regulam S. Franciſci, *Decretalem Nicolai III. in Cap. Exiit, qui ſeminat, & Clementis V. in Cap. Exivi de Paradiſo in 6. de verb. ſignif., & Conſtitutionem Innocentii XI.*, Sollicitudo 20. *Novembris* 1679., cum ex non impleta, & nunquam implenda decreti translationis conditione de impetrando Superiorum Ordinis conſenſu.

Acriter hujuſmodi informationem quoad translationem bonorum, & redituum impugnat Generalis alter Reformatorum Procurator. Fieri enim potuiſſe contendit ſalvis *Decretalibus, & Conſtitutionibus*, quum translata non cenſeantur bona, & reditus = *ſub proprietatis titulo, vel adminiſtrationis*, ſed nuncupative *tantum, ac juxta modos licitos* fruitive. Et hac, inquit, ratione = *ſibi hactenus quædam parochialia bona, ac reditus vindicarunt Conventus, & Eccleſia SS. Annuntiationis Minorum Obſervantium Parmæ, quæ in Parochiam erecta eſt; Conventus, & Eccleſia S. Margaritæ eorumdem Obſervantium Mutinæ, quæ Parochialis eſt; Conventus, & Eccleſia S. Cataldi Minor. Reformatorum in ſuburbanis ejusdem Civitatis Mutinæ, ubi Parochia erecta eſt; Conventus denique, ut reor, & Eccleſia S. Bartholomæi ipſorummet Obſervantium Urbis in Inſula Tyberis, quæ item Parochialis eſt.* In ſententiam tamen Generalis Miniſtri Ordinis, licet ægre, ob contradictionem Communitatis Siſci deſcendit per hæc verba: *Quod unice plurimum negotii in Cauſa iſta faceſſit, eſt diſſenſus Rmi P. Miniſtri Generalis. Vir enim hic pacis bonique ſubditorum Fratrum ſtudioſiſſimus, prudenter mala illa Conven-*

ventui Siſco eventura pertimeſcens , qualia in precibus callidi Oratores minantur , prævidenſque Fratres ſuos infallibiliter ſæcularium Presbyterorum contrarietates ſubituros , conſtanter contradixit , ne iidem oblata ſibi onera parochialia ullatenus ſuſciperent . Ad hæc quid ego ? Aliorum ſit de qualitate Generalis Miniſtri metuum judicare , quod non alii rectius poterunt , quam qui in loco ſurgii ſunt . Superiori meo mihi obſequendum erit . Hinc ejusdem voluntati votum meum conformans , præfatam translationem Paræciæ S. Xiſti ad Eccleſiam Reformatorum Siſci minime faciendam cenſeo .

Permittit quidem *Sac. Concil. Tridentinum ſeſſ.* 21. *Cap.* 7. *de Reform.* pauperum Parochialium translationem ad *Matrices , ſeù viciniores Eccleſias* , ſed ubi alia deſint remedia ibidem deſignata . Hoc ipſum præſcribit *Benedictus XIV. in Inſtit.* 100. *num.* 9. , *& ſeqq.* , aliaque proponit media , ut pauperibus Paræciis ſuccurratur . Conſtat in caſu noſtro ex relatione Epiſcopi de paupertate Paræciæ S. Xiſti , non item , quod ſimplicia deſint Beneficia , Patroni , aliaque ad opem ferendam media . Quatenus vero in his terminis decernenda eſſet translatio , jam ex informatione Epiſcopi , ac Procuratorum Generalium votis rationes habent Emi Patres , *ex* quibus eam ad Reformatorum Eccleſiam permittant , vel denegent . Gravia Epiſcopus memorat Parochi S. Martini incommoda , ſi onus ei aliarum 25. Familiarum per diſſita loca addatur : ſed huic forſan occurri poſſet malo per Vice-Curatum , quum ſatis hactenus fuerint Paræciæ S. Xiſti reditus ad ſuſtentationem Æconomi .

Secum contra reputent Emi Patres , num permittenda ſit translatio ad Eccleſiam Reformatorum contra enixam Superioris Generalis Ordinis voluntatem , publicamque Siſcenſis Communitatis contradictionem , cujus Repræſentantes profitentur = *che ſe una tale aggregazione ſuccedeſſe , non potrebbe eſſere , che di diſpiacimento al Popolo , di ſvantaggio al Convento , e di fraſtorno ai Superiori della Religione , ed in vece di contribuire ad alcun vantaggio ſpirituale , ſervirebbe a mantenere una diſunione nel Popolo* ; iterumque = *che il vedere il Convento di S. Antonio di Siſco convertito in Parrocchia , e ſenza la menoma neceſſità , ſarebbe una novità , che non è mai ſe-*

guita in Corſica ; e queſta novità non potrebbe partorire , che diſordini .

Deliberandum itaque .

An ſit locus translationi Paræciæ S. Xiſti ad Eccleſiam , & Coenobium S. Antonii Minorum Reformatorum Siſci juxta decretum Epiſcopi in caſu &c.

Seſſ. 22. cap. 6. de Reorm.

ROMANA . Annua præ ceteris Antonius Pelucchi in eleemosynas legavit ſcuta centum , paremque ſummam in quatuor dotes ad nominationem Sodalitii *delli Sacconi* . Dimidiam prioris ſubſidii partem ſibi ſuiſque filiis obtinuit die 29. Auguſti 1776. Margarita Pacini Teſtatoris conſanguinea , per reſcriptum *Sanctiſſimi* ad relationem Eminentiſſimi Carrara tunc Sacræ Congregationis a Secretis , *uſque ad exitum Cauſæ inter Legatarios in Sacra Congregatione Concilii pendentis , reſervata ſibi poſt finem d. litis ulteriori providentia* . Poſtulabant enim hæredes fiduciarii dilationem ad implenda legata quouſque neceſſaria ex bonis hereditariis fierent inveſtimenta , animoque etiam illorum reductionem agitabant, ſi pares hereditatis vires non eſſent .

Aliud die 11. Martii 1786. ab hac Sacra Congregatione pro unica vice impetravit quatuor dotium ſubſidium monialis ejus filia , ut vitalitium ſibi in livellum conſtitueret . Poſt obitum autem Margaritæ die 19. Auguſti ejuſdem anni obtinuerunt filii reſcriptum = *ſcuta quinquaginta* [prioris ſubſidii) *deberi filiis Margaritæ ,firma remanente conceſſione quatuor dotium pro livello Monialis* . Eademque tandem die 19. Auguſti conſequuta eſt Anna Pacini Margaritæ ſoror aſſignationem = *unius ex quatuor dotibus durante ejus vita* . Conceſſionum omnium cauſa fuit paupertas .

Una hactenus ab hiſce ſubſidiis excluſa eſt Anna Maria Pacini *del Drago* , altera ex filiabus Margaritæ , eo quod eam mater in ſupplici libello anni 1776. veluti nupiam prætermiſit . Miſeriis igitur preſſa , EE. Veſtras exorat

pro

pro comparticipatione annui ſubſidii ſcuto·um 50., vel aſſignatione unius ex quatuor dotibus, materteræ exemplo. Inſtantiæ non adverſatur Pii operis Adminiſtrator. Acriter tamen pro reliquis Margaritæ filiis comparticipationi reſiſtit Carolus Becchetti pater, & tutor. Nulla, inquit, Oratricis mentio neque in petitione, neque in reſcripto anni 1776., ſed de ejusdumtaxat ſororibus, & fratre. Nulla ergo, concludit, eſt ratio, cur alieni ſubſidii particeps fiat, contra regulam *Textus in Cap. Ne aliqui de privileg. in 6.*, de qua *Fagnan. in lib. 5. Decretal. Cap. Ne pro dilatione de pœnit. & remiſſ.* Maxime quia invadere contendit jus indultariis quæſitum, ac eorum ſubſidii partem poſt diuturnum decem annorum ſilentium tollere, reſiſtente *Leg. Id quod noſtrum ff. de reg. jur.*

Suam contra Oratrix urget conditionem, ſororibus & fratri parem. In eodem namque eſt conſanguinitatis gradu, & in eadem, ne dicam graviori verſatur paupertate; quum tribus gravata ſit filiis, & valetudinario conjuge. Ex identitate igitur rationis communem ſibi autumat Pontificiam Gratiam, pauperibus Margaritæ filiis conceſſam per indefinita verba: *mandavit ſubminiſtrari Oratrici, ejuſque filiis ſcuta quinquaginta*; juxta doctrinam *Fagnani in lib. 5. Decretal. Cap Quod nonnullis num. 28. de privileg.* Quod prætermiſſa autem fuerit in ſupplici matris libello, nil communi filiorum ejus cauſæ, nilque per conſequens ſibi detractum cenſet, ne de favorabili participet beneficio.

Quatenus vero excludi velit Oratrix a comparticipatione annui ſubſidii ſcutorum 50., deliberandum erit ſecundo, num ejus ſaltem inopia aſſignationem dotis mereatur. Canonica ei favet æquitas, ex qua converti volent piorum operum reditus in pauperes alendos Teſtatoris conſanguineos, *Can. Contra 29. quæſt. 7. cauſ. 16.* Aſſueta etiam favet Sacræ Congregationis indulgentia, de qua *in Romana Subſidiorum Dotalium 30. Martii, & 3. Auguſti 1748. ad III. Dub., in Urbinaten. ſeu Ariminen. 11. Junii 1774., & in Nullius, ſeu Farfen. Subſidiorum Dotalium 2. Decembris 1786. ad II. Dub.* Ac recens tandem Annæ Pacini, Oratricis materteræ exemplum.

Contra vero adverti poſſet, cogitaſſe Teſtatorem de Pacinis, germaniſque Margaritæ Fratribus reliquiſſe, quod Piis detractis Legatis ſuperfuiſſet; cæteros tamen illius Familiæ licet anno 1773., quo Teſtamentum condidit, jam natos neglexiſſe; quod contrariam petitioni voluntatem in-

nuit. Accedit præterea quod assignata hactenus sunt filiis Margaritæ annua scuta 50., & annua scuta 25. illius Sorori, præter extraordinarium subsidium scutorum 100. Moniali. Per flagitata m ergo alterius subsidii dotalis assignationem, mediam Legatorum summam Pacini obtinerent, ac venturi forsan erunt Oratricis filii, & nepotes, ut reliquam absumant, & pium Testatoris voluntatem eludant. His igitur perpensis, respondere dignentur Eminentissimi Patres.

I. *An sit locus comparticipationi annui subsidii scutorum* 50. *in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, quomodo, & in qua summa sit locus assignationi subsidii dotalis in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 7. Februarii 1789. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

COnſulere dignentur Emi Patres præcedens Folium diei 17. Januarii, ex quo ob negotiorum copiam quatuor priores ſuperfuerunt Cauſæ.

FIRMANA,
An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c. *Seſſ. 21. cap. 7., & Seſſ. 23. cap. 1. de Reform.*

In deciſis, & amplius,

ASCULANA,
An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis à primo ad decimum quartum Dubium. *Seſſ. 22. cap. 9. de Reform.*

Ad primum, tertium, ſextum, ſeptimum, octavum, nonum, decimum, undecimum, duodecimum, & decimumquartum: In deciſis; & amplius.
Ad II. In deciſis juxta modum, nempe præfigendum eſſe ab Epiſcopo terminum Capitulo ad reddendam pro nunc rationem ultimi decennii coram eodem, & amplius. Ad IV., & V. dilata, & proponatur particulariter ſub congruo Dubio: An ſit ſtandum vel recedendum a deciſis ſub die 30. Novembris 1673. quoad expenſas Caſtri Maltineani. Ad XIII.. In deciſis, dempta pœna nullitatis, & amplius.

MA-

J. 21. cap. 5., 7. de Reform.

MARIANEN.

An sit locus translationi Paræciæ S. Xisti ad Ecclesiam, & Cænobium S. Antonii Minorum Reformatorum Sisci juxta Decretum Episcopi in casu &c.

Negativè; & Vicarius Capitularis provideat Curæ Animarum prout de Jure.

ss. 22. cap. 6. Reform.

ROMANA.

I. *An sit locus comparticipationi annui subsidii scutorum 50. in casu &c.*

Et quatenus negativé.

II. *An, quomodo, & in qua summa sit locus assignationi subsidii dotalis in casu &c.*

Ad I. Negativè. Ad II. Affirmative pro assignatione unius ex subsidiis dotalibus quolibet anno durante Oratricis vita.

ss. 24. cap. 1. Reform. Maim.

MELEVITANA DISPENSATIONIS. Utero gravis divertit Marchionissa Elisabeth Dorell a Marchione Didaco Muscat ejus viro. Ignotam ad undecimum annum voluit enixam puellam Angelam Patri: sed patria tandem apud Melitensem Principem vicit potestas, ejusque imperio traducta primum fuit Filiola ad Monasterium S. Catharinæ Civitatis Vallettæ, deindeque ad rigidius alterum S. Ursulæ. Plura ibi in odium Matris per biennium passa est, causamque sævitiæ dederunt gravissimis nervorum convulsionibus. Unus esse poterat vindicandæ libertatis modus, si in sæculo nuberet. Ad id eam sollicitavit Mater, idque ipsa elegit.

Intimus Melitæ erat Magni Magistri Ordinis Hierosolymitani thesaurarius Comes Cajetanus Bianchi Anconitanus. Cum eo de nuptiis egit Marchionissa Elisabeth inter Com. Franciscum Bianchi ipsius nepotem, & Angelam, inscio vel invito March. Didaco. Melitam venit

Spon-

Sponſus : e Monaſterio educitur Sponſa , accipitque donaria: ſignantur ſponſalia , doſque ex materno conſtituitur peculio : ac una tandem ex indulgentia Ordinarii præmiſſa denuntiatione, celebratur maternæ domi prima hora noctis 28. Septembris 1778. matrimonium , dum parumper Angela a convulſionibus quieſcebat . Ea in lecto jacente , cum reliquis Propinquis cænavit Com. Franciſcus , dormitumque ivit ad domum Patrui . Rediit ſequenti mane ad prandium , & vigeſima quarta hora ab lnito matrimonio Anconam verſus profectus eſt , opportuniori rediturus tempore , ut ad patrios lares Uxorem traduceret .

In votis habuerat Com. Joſephus Bianchi Franciſci pater , ut contraheret filius ſponſalia , matrimonium differret quouſque ejus pueruli fratres adoleſcerent . Re igitur aliter geſta , curavit ſaltem , ne tam cito Uxorem acciperet . Anconæ idcirco manens , quatuor Com. Franciſcus in ſingulos annos , aut quinque per biennium ad Comitiſſam Angelam dedit epiſtolas ; ſed mediatis pertæſus Marchioniſſæ Eliſabeth ejus Matris reſponſis , illarum commercium ad annum 1786. , quo ipſius Pater deceſſit , omnino intermiſit . Eo autem hac occaſione reſumpto , in oblectamento Angelæ fuerunt priores illius literæ ; ſed Parentum , & Patriæ amore Anconam abhorrens , ſpeque dejecta , quod Melitam Vir domicilium transferret , ſolutionem deinde propoſuit matrimonii in hæc verba = *Siccome i ſuoi iutereſſi non le permettono di abbandonare la Patria e la Famiglia , avendo dal conto mio ritrovato un Padre , ed un Nonno da me non conoſciuti , i quali hanno per me un'amore indicibile , il mio dovere , l'oneſtà , e la natura non mi permettono di abbandonare ne meno per una ſettimana Genitori così affettuoſi verſo di me . Ritrovandoſi dunque le coſe nella poſitura , che ella non può diſcoſtarſi da Ancona , nè io da Malta , ſecondo il mio debole ſentimento crederei , che il ſavio e maturo conſiglio del fù Signor Conte Giuſeppe al Marcheſe mio Padre ſarebbe il migliore eſpediente per la ſua e mia quiete con ricorrere a Sua Santità per lo ſcioglimento di queſto matrimonio .*

Parem in Comite Franciſco invenit voluntatem , acceptoque ejus mandato procuræ , *Sanctiſſimo* ſupplicavit pro diſpenſatione a matrimonio rato , & non conſumato . Precibus ad Sacram hanc Congregationem remiſſis , duplex ea imperante a Melitenſi , & Anconitana Curia confectus eſt proceſſus . In traſmittendis Curiæ ſuæ actis, con-

constare ait Melitensis Episcopus de non consumatione matrimonii = *ex juratâ confessione recurrentis Angelæ, & judicialibus depositionibus plurium Testium de visu, qui demonstrative coarctant negativam dictæ consumationis. Deponunt enim, Sponsam die* 28. *Septembris* 1778., *qua celebratum fuit matrimonium, in lecto decumbentem continuis convulsionibus laborasse, nec momento quidem temporis solam cum Sponso remansisse ob assiduam Matris assistentiam, & Domesticorum; Sponsum vero eadem nocte una cum Com. Cajetano ejus patruo e domo Recurrentis discessisse, ac subsequenti die relicta Sponsa, eodem morbo affecta, abiisse Anconam versus, ubi hactenus commoratur.* Ex aliis rursus judicialibus Testibus de publica voce & fama; septima Propinquorum manu; declaratione Marchionissæ Elisabeth, & duorum Testium de celebratione matrimonii sub lege, quod consumari deberet post reditum Sponsi in Insulam; & illius discessu ab eadem Insula *sine benedictione Ecclesiæ, cujus defectus juxta laudabilem, & constantem hujus Diœcesis observantiam sufficiens est, ne Sponsis permittatur matrimonii consumatio.*

Duplicem hinc memorat dissolvendi matrimonii causam, desperatam nempe cohabitationem Conjugum, *cum Oratrix ad communem vitæ consuetudinem nulla ratione possit adduci*, & involuntariam celebrationem matrimonii, *quod semper* (Angela) *invisum habuerat*, eaque dumtaxat iniit de causa, ut libertatem consequeretur. Idque ex eo confirmari refert, quod post discessum Sponsi ab Insula, molestè Sponsa illius epistolas per quinquennium tulerit, vixque ei occasione obitus Patris rescripserit *absque sponsi titulo, quo ipse utebatur*. A ferendo tamen abstinet suffragio.

Matrimonii pariter consumationem per formale Comitum Francisci, & Cajetani Bianchi, aliorumque Testium examen excludit Anconitanus processus, omnibusque in id enunciatis probationibus, ita Emus concludit Episcopus = *Quare matrimonium hoc nulla carnali copula consumatum, sed ratum dumtaxat esse non dubito.* De causis deinde agens dispensationis animadvertit, Com. Franciscum contraxisse matrimonium *non ut proprio arbitrio indulgeret, sed ut Patri suo, Patruoque obediret, eorumque desiderio satisfaceret: nulla* Angelam *accepta injuria, nullaque probabili de causa, saltem a prænobili viro Com. Francisco profecta, matrimonii dissolutionem instantissime petiisse*: ita idcirco Com. Franciscum exasperatum esse, *ut*

ut si nunc res foret integra, nolit eam, quemadmodum aperte fatetur uxorem ducere, cum qua se miserrime victurum non dubitat, ex eo quod nullo unquam tempore, vel minima erga ipsum ediderit amoris indicia : ac utrumque tandem Conjugem in dissolutionem matrimonii convenire, ex quo censet = *sine ullo errandi discrimine posse dissolvi* ; omniaque paucis perstringens sic proprium aperit votum. *Cum satis*, inquit, *superque constet, matrimonium esse tantummodo ratum ; animum Sponsi a Sponsa omnino alienum ; utrumque pro matrimonii rati dissolutione inter se consentire ; cumque ex humana imbecillitate incontinentiæ periculum subesse coniicere liceat, in veritatis obsequium matrimonium hoc suprema Summi Pontificis auctoritate dissolvi posse existimo*. Res igitur EE. Patrum judicio sub infrascripto proponitur Dubio.

Inficiari non potest, quin dispensare valeat Summus Pontifex a matrimonio rato & non consumato. Evangelicum enim præceptum = *Quod Deus conjunxit, Homo non separet* = matrimonium respicit consumatum, per quod una Conjuges fiunt caro, non item ratum, cujus imperfecta est firmitas, ita ut = *aliqua ratione possit dissolvi*; ut ait *Juvenin. de Sacrament. part.2. disert.10. quæst.4. cap.2. art.3. §.1.* Idque definivit Congregatio a Clemente VIII. deputata, quam referunt *Pignatell. consult. canon. 148. num.1 tom.1., & Spondan. in annal. eccles. ad ann.1594. num.4.*, probantque *Larr. de Sacram. disput. 16. art.12. §.2. num.245. tom.3., Schmier. in Jurispr. canon. lib.4. tract. 2. cap.1. sect.1. per tot., Sanch. de matrim. lib.2. disp 14. per tot., Perez eod. tract. disp.20. sect. 7. per tot., Schmalzgrueber in Jus canon. part. 4. tit. 19. num. 43., & seq., Corrad. in prax. dispensat. lib.8. cap.9. num.34., de Just. de dispensat. matrim. lib.2. cap.10. num.13. ad fin.*

Duo tamen ad hujusmodi dispensationem requiruntur ; non consumatio matrimonii, & justa causa, *de Just. cit. cap.10. num.21., & seq., Schmalzgrueber cit. tit. 19. num.50., & seq., Ursaya discept.3. num.4. tom. 2. part. 1., & Card. de Luc. de matrim. disc.9. num. 7.* Utrumque probare contendunt Defensores Angelæ. Licet sane ad excludendam matrimonii consumationem moralis sufficiat certitudo, ut sentiunt *Covarr. part.2. de Sponsal. cap.7. §.4. num.6., Guttier. de matrim. cap.44. num.59., Clericat. de Sacram. matrim. decis.15. num.39.*, physicam tamen ex utroque processu per negativam coarctatam ostendunt. Plures enim in id sunt Testes, qui ab inito

matrimonio ad discessum Sponsi a Melitensi Insula continuam ægrotanti Sponsæ assistentiam præstiterunt, ipsamque consumationis possibilitatem excludunt ; alliquę plures de publica voce & fama. Rite autem per Testes negativam coarctatam probari dixit *Rot. in Cæsaraugustana Decimarum super Foliis Mororum 1. Julii 1754. §. 4. coram Stadion.*

Juramentum accedit Conjugum, septimaque Propinquorum manus, quæ in extraordinaria præsertim cognitione dispensationis a matrimonio rato non consumationem probant, *Perez. de matrim. disput. 37. sect. 11. n. 7., Kugler. eod. tract. part. 1. cap. 5. §. 2. num. 1454., Tropper. de impedim. matrim. part. 2. de impotent. §. 2.* Defectus insuper cohabitationis, & concumbitus, de quo *Text. in Can. Requisivisti 2. caus. 33. quæst. 1., in Cap. Literæ 3. vers. in fraudem, & Cap. Laudabilem 5. §. Si autem de frigid. & malefic.*, & corporis denique infirmitas, qua toto nuptiarum tempore ad discessum Sponsi laboravit Sponsa. Haud enim consumatum censetur matrimonium cum infirma, *Rot. post Zacch. quæst. medic. legal. decis. 38. num. 15., & Sacra hæc Congregatio in Visen. Dispensationis 24. Novembris 1787.*

Satis vero, qui Angelam tuentur, privatam censent causam pro dispensatione, ex doctrina *Coninch. de Sacram. matrim. disput. 33. Dub. 1. num. 4., Pignatell. consult 148. sub num. 7., Ursaya discept. 32. num. 58. tom. 6. part. 1.* Potissime enim spiritualis attenditur petentis utilitas, *Ursaya discept. 3. num. 49., & seq. tom. 2. part. 1.* Primam igitur causam in interno constituunt Angelæ dissensu a contracto matrimonio. Dissensum autem ex antecedentibus, concomitantibus, & subsequentibus actibus probant. Antecedentes memorant Monasterii ærumnas, coactamque in matrimonium voluntatem, ut eas evaderet. Ex ore Angelæ, ejusque Matris, & Avunculi, aliorumque Testium de auditu ab ipsis suadere conantur, ægre illam ad maternum imperium nuptias celebrasse, ac sæpe deinde de involuntario consensu conquestam fuisse. Internus porro alterius Conjugis dissensus causam quandoque dedit dispensationi a matrimonio rato, & non consumato, ut accidit Principissæ de Nemours sub Alexandro VII., & Marchionissæ Æmiliæ Brignole sub Clemente XIV.

Mutuam addunt unius ab altero Conjuge aversionem. *Oratrix enim*, Melevitano teste Antistite, *ad communem vitæ consuetudinem nulla ratio ne potest adduci.* Com. Franciscus contra = *aperte fatetur, nolle uxorem ducere, cum*

qua

qua se miserrime victurum non dubitat, libentique animo in dissolutionem convenit matrimonii, ut Emus refert Anconitanus Episcopus; Hujusmodi sane aversio, & mutua dispensationis petitio, sufficiens reputatur dispensationis causa ab *Ursaya discept.* 21. *num.* 60., *& seq. tom.* 3. *part.* 2., *& Pignatell. consult.* 148. *num.* 9., *& seqq. tom.* 1. Nobilitatem denique, divitiasque urgent Familiarum Muscat, & Bianchi, ex quibus facilius concedendam censent dispensationem *Sanchez de matrim. lib.* 8. *disput.* 19. *num.* 5., *& Corrad. in prax. dispens. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 35. § *Hincque*; pluraque in memoriam revocant similium dispensationum exempla. Præter illa enim *de Nemours*, *& Brignole*, alia sunt dispensationis concessæ ab Urbano VIII. Neapolitanis Principibus *de Concha*, & a *Sanctissimo Domino Nostro* Albæ *Zenobio*, & Antonio *Farsetti*.

Contendit alia ex parte matrimonii Defensor, tales non asse non consumationis probationes, quales *de Jure* requiruntur, adeo scilicet evidentes, ut verum justumque constituant illius judicium, *Cap.* 1., *& Cap. Laudabilem de frigid.*, *& malefic.* Qui enim de assidua deponunt assistentia infirmæ Sponsæ quousque Sponsus in ejus domo versatus est, & Melitæ permansit, *indefinite* secundum ipsum loquuntur, fierique potuit, ut clam Sponsus ad illam accederet, & matrimonium eo tempore consumaret, quo aliquantulum Domestici abessent, & quievissent convulsiones, quæ perpetuæ esse non solent, teste *Zacch. quæst. medic. legal. cons.* 4. *num.* 12. Juramentum Sponsæ certam non constituit non consumationis probationem, *Gloss. in Cap. Accepisti*, *verb. Probari*, *de frigid. & malefic.*, & septima Propinquorum manus, ceteriique Testes de publica voce & fama fallaces sunt, & consumationis possibilitatem non excludunt; *Cap. Super eo*, *de eo qui cognov. consangu. uxor. suæ*, *Pignatell. consult.* 181. *sub num.* 10. *tom.* 9. Hinc dubiam saltem non consumationem affirmat, ne dispensatio concedatur, *Sot. in* 4. *distinct.* 34. *quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 2., veluti concessa non fuit *in Progen. Matrimonii* 26. *Januarii* 1732., licet septimæ manus juramentum, & publica concurreret fama.

De causis inde agit prætensæ dispensationis, easque requirit graves & necessarias cum *Fagnan. in Cap. Nimis num.* 6. *de Fil. Presbyt.*, *& Pignatell. consult.* 14. *num.* 7. *tom.* 1., vel publicum etiam bonum publicamque utilitatem respicientes cum *Divo Bernardo in Epist. ad Eugenium*. Inter-

num præ omnibus despicit Angelæ dissensum, eo quod absque ullo exteriori dissentientis animi signo in matrimonium consensit, & nullius opem ad illud impediendum imploravit, *Sanch. de matrim. lib.*4. *disput.*3.*num.*4.Monasterii vero ærumnas *impulsivam* præbere potuisse causam, cur matrimonium Angela eligeret, non ut necessario nuberet, & consensum simularet. Notandæ in id sunt binæ epistolæ, quas Sponso conscripsit post obitum Com. Josephi Bianchi ejus patris. Hoc fuit prioris initium = *Quanto piacere recato mi abbia il suo gentilissimo in data dei* 3. *Febrajo, altre tanto fu la mia sorpresa nel riceverlo dopo un lungo silenzio di anni quattro*. Et hæc in posteriori legitur causa, cur non conjungeretur Sponso,quod domicilium nempe transferre non posset Melitam, a qua ipsa discedere nolebat = *per non abbandonare Genitori così affettuosi verso di me*. Num consensum simulaverit in matrimonium, quæ posteriores Sponsi literas accepit *con piacere*, eumque non recusasset, si Melitam accessisset, EE. Vestræ decernent.

Æque matrimonii Defensor despiciendam censet secundam mutuæ aversionis causam,utpote ortam post annum 1786., postquam scilicet Angela ad se venientem non vidit Sponsum, licet a potestate Patris solutum. Nullam ei præcedentibus annis conscripserat epistolam, sed illius literam accepit anno 1785. *con piacere*. Universæ contra Sponsi epistolæ, ad eumdem annum conscriptæ, illum præferunt amoris titulum = *Carissima Sposa* =. Si ergo, inquit, utriusque Sponsi aversio orta est postquam unus alteram in suam trahere non potuit Patriam, justa profecto censeri non potest dispensationis causa, ut Sacra hæc censuit Congregatio *in Romana Dissolutionis Matrimonii* 28.*Martii* 1699. *lib. Decret.*49. *pag.*130. Demandata fuerat triennalis cohabitatio; sed gravissimis inter Conjuges subortis dissidiis, utriusque consensu propositum fuit Dubium = *An petita dispensatio super dissolutione matrimonii sit concedenda, ita ut unusquisque ex Conjugibus remaneat in statu libero ad contrahendum in casu &c.*; prodiitque responsum = *Negative*.

Levissimam denique appellat tertiam nobilitatis causam, ex qua frequenter matrimonia solvi oporteret. Dispensatum quidem fuisse ait a matrimonio rato cum Principissa *de Nemours*; sed ne *publica* Lotharingiæ quies per illud turbaretur. Eademque concessa dispensatio Marchionissæ *Brignole*, & Conjugibus *Farsetti* ad impedienda scandala =

Quæ

Quæ inter prænobiles Familias in Republica hujuſmodi pertineri potuiſſent = ut in utroque Clementis XIV., & *SSñi D. N.* Brevi. Sua ergo prudentia Emi Patres judicent, utrum ſimiles ſint præſentis caſus circumſtantiæ, ſuaque religione reſpondere dignentur.

An ſit conſulendum SSño pro diſpenſatione ſuper matrimonio rato, & non conſumato in caſu &c.

Affirmativè.

ROMANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Heredem inſtituit Lucia Sgarronia Confraternitatem SSñi Salvatoris ſupra Minervam Urbis, ſub lege conferendi binas quotannis dotes ſcutorum 25. Romanis Puellis, quæ in Domino nuberent. Hæc vero ex ejus voluntate Dotatis ſunt, pagellis impreſſa onera. Semel ad vitam in menſe Defunctorum Officium, vel integrum Beatæ Mariæ Virginis Roſarium; alterumque ſingulis hebdomadis SSñi Salvatoris Roſarium, hebdomada excepta, in qua illud B. M. Virginis, vel Officium recitant. Ab utroque tamen onere immunes ſunt in caſu infirmitatis, ſenectutis, alteriuſque legitimi impedimenti. *Seſs. 22. cap. 6. de Reform.*

Ex iteratis delationibus, frequentique per Confeſſarios onerum inveſtigatione non immerito opinati ſunt Societatis Deputati, quod aut omnes, aut pleræque Dotatæ injunctas preces negligerent. *SSño* igitur *D. N.* ſupplicarunt pro commutatione voluntatis Teſtatricis, onerumque moderatione. Precibus vero ad Sac. hanc Congregationem remiſſis, reſcripſerunt Emi Patres die 20. Auguſti 1785. = *Reformetur Pagella ad formam fundationis* [ampliata enim fuerant onera) *& Moniales dotatæ recurrant in caſibus particularibus ad Sacram Pœnitentiariam.*

Inſtantiam Animarum zelo renovant, modumque proponunt, ut Teſtatricis Animæ, & Puellarum conſcientiæ conſulatur. Ex annuis hereditatis Sgarroniæ reditibus ſcuta ut plurimum redundant 8. & ob. 73., quæ in manutentionem Altaris SSñi Salvatoris erogantur. Commode

mode igitur ex hac ſumma, nulloque Altaris detrimento celebrari poſſe affirmant annuas Miſſas octo, aut decem in ſuffragium Teſtatricis, ut a perpetuo tot precum onere leventur Dotatæ. Petitioni favet Emus Urbis Vicarius. *Durum*, inquit, *fortaſſe videbitur, Puellas binas Teſtamento Luciæ Sgarroniæ dotale quotannis ſubſidium laturas, ſcutorum non ampl us quinque & viginti, hujus rei cauſa ſingulis, quoad vixerint, & menſibus, & hebdomadis memoriam Teſtatricis agere debere, tantum exhauriendo precum, ad quantas forte non cogerentur, ſi dotem ſolidam, eamque opulentiſſimam eſſent adeptæ.*

Durius tamen, quod idem onus compluribus poſt acceptam dotem Puellis ſummo dicitur eſſe faſtidio, atque angori, plurimis vero neglectui, etiamque deſpectui, illud ſcilicet vel habentibus inertis conſilii magis, quam juſti præcepti loco, vel ab eo ſolutas ſe temere arbitrantibus quavis de cauſa etiam inepta, etiam nulla. Cui ſane malo etſi obviam iri placeret diſertiori alia, ſeveriorique impreſſa pagella, tamen dubito, fore ut muliebre præſertim ingenium operam fruſtretur omnem, ut diu experti, non ominari modo, ſed plane prænoſcere teſtantur Præſides Archiconfraternitatis ſupplicantis. Eo magis, quod hujuſmodi Puellis, futuris omnibus ex Teſtamento Monialibus, non deerit quotidie, quod ſatis diu orent in Aſceterio. Quocirca iiſdem Præſidibus annuendum crederem, ut Teſtatrici ſuffragia petantur ex propoſito Miſſarum numero, ſine ullius detrimento, aut injuria facile ſubſtituendarum; reſervata tamen breviori aliqua precationum Puellis indicenda norma, certis ac præſertim feſtis alliganda diebus, atque hæc precum regula deſcribatur in nova recudenda pagella, quæ quidem jam ipſa per ſe alicujus indiget emendationis. Quippe quum ibi præter menſtruum defunctorum Officium, ſive ejus loco Roſarium B. Virginis, quævis Dotata moneatur = che ſia obligata di più ogni ſettimana dire il Roſario delSS.Salvatore= quod non videtur abſolute verum; nam juxta fundationem, qua cujuſque menſis hebdomada recitandum Officium eſt defunctorum, eadem a Roſario SS. Salvatoris expreſſe vacatio datur.

Juſta in commutandis Fidelium voluntatibus ac rationabilis requiritur cauſa, ut monet *Sac. Conc. Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 6. de Reform.* Semper idcirco Sacra hæc Congregatio ea deficiente, ſanctas tectaſque illorum diſpoſitiones ſervavit, ac præ ceteris in *Neapolitana Capellaniarum 16. Junii 1731.*, & *in Firmana Translationis*

One-

Oneris Missarum 3. *Augusti* 1782. Sæpe ea concurrente petentibus indulsit; ut in *Piscien. Commutationis Voluntatis* 21. *Junii* 1721., & *in Comen. Translationis Missarum* 24. *Novembris* 1764. . Et in secundo hoc casu æqua potius dicitur voluntatis interpretatio, quam commutatio, *Piton. de controv. Patron. allegat.* 50. *num.* 1.

Quæ in nostro themate affertur commutandæ voluntatis causa, spirituale scilicet præjudicium Puellarum negligentium preces, certo inniti non videntur fundamento; quum de supposito non constet malo, neque ulla ex Dotatis de gravamine queratur. Ex rationibus contra per Eminentissimum Vicarium deductis, verisimile censeri posset inadimplementum oneris, sive ob imbecille Mulierum ingenium, sive ob alia onera, quibus Dotatæ in Monasteriis gravantur. Non leve accedit tot precum pondus, dotali forsan subsidio majus, contra regulam, de qua *Sac. Congregatio in Urbevetana* 24. *Novembris* 1787. Illarum rursus commutatio in Sacrificia, quæ majus certe Animabus afferunt suffragium; similisque commutationis exemplum est *in Camerinen.*, *seu Fabrianen. Commutationis voluntatis* 10. *Septembris* 1735. Ac facilis demum subrogationis Missarum modus ex redundantibus reditibus. absque illius præjudicio.

Quatenus vero EE. Vestræ Oratoribus indulgeant; præ sua etiam prudentia & religione decernent, num leviores aliquæ Dotatis, & quibus diebus injungendæ sint preces. Respondere igitur dignentur.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

FIRMANA. Legavit anno 1667. Liberatus de Francisco Parochiali Ecclesiæ SS. Laurentii, & Nicolai Oppidi de Morisco universos suorum censuum fructus, qui ejus obitus tempore inexacti fuissent = *con questo però, che in termine di dieci anni il Signor Pievano che sarà, debba fare una Cappella con colonne di legno indorate, e qua-* *Sess. 25 cap. 4. de Reform.*

e quadro, da cominciare li dieci anni quando avrà terminato la riscossione di detti denari, & in perpetuo debba celebrare per l'Anima sua una Messa la settimana. Universalem vero heredem instituit Societatem SS. Rosarii ejusdem Oppidi. Sequenti anno decessit, fructusque censuum inexacti summam attigerunt scutorum 204. 55. Extructa fuit Cappella: quo sumptu ignoratur. Ex hodiernis tamen Peritis constat, solam columnarum impensam ascendere potuisse ad scuta 108. Relatum quoque fuit hebdomadalis Missæ onus in tabella Ecclesiæ, & ad hæc tempora expletum est,

Fundo carens, EE. Vestris supplicat hodiernus Parochus Joseph Ferrante pro hujusce oneris abolitione, eique Firmanus favet Archiepiscopus. *Id*, inquit, *quod in hanc rem reliquit Testator, fuit integre in Cappellæ ab ipso volitæ constructionem, & ornatum prorsus absumptum. Deficiente itaque acceptationis tabula, & quod magis est, deficiente fundo, non immerito petit Orator, ut a Missis agendis* [*quarum eleemosyna manualis fiat in julio uno Romano pro qualibet ex ipsis*] *perpetuo liberetur. Audita porro Societate SS. Rosarii, quam instituit heredem, æquum censet, ut Orator voti compos evadat*,

Nullus profecto pro hebdomadali Missa est fundus, dubiumque idcirco de obligatione oritur celebrandi. Præ omnibus autem notandum, certum pro hujusmodi celebratione, & Altaris constructione relictum fuisse capitale, *directeque* Ecclesiæ legatariæ relictum verbis illis = *Vuole e comanda, che tutti li frutti de censi &c. siano e ricadino alla Chiesa &c. con questo però, che debba &c. celebrare per l'Anima sua una Messa la settimana*. In his sane terminis nulla habita *taxativi*, & *demonstrativi* legati ratione, non existentem, vel peremptum fundum supplere non tenetur heres, ex sententia *Benedicti XIV. de Synodo Diœces. lib.* 13. *cap. ult.* §. 33.

Num vero ex legatis censuum fructibus constitutus ab initio non fuerit fundus, vel constitutus perierit, non constat. Si unum, vel alterum culpa vacavit Parochi, locus esse posset abolitioni Legati, *Monacell. formul, legal.* 19. *tit.* 20. *part.* 1. *num.* 25., & *Sac. hæc Congregatio in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783. Si ejus facto & culpa evenit, præjudicium fortasse successoribus Parochis, & Ecclesiæ inferre non potuit, *Pasqualig. de Sacrific. Miss. quæst.* 1064. *num.* 7., & *quæst.* 1076. *num.* 8. Gravari siquidem nequit Ecclesia perpetuo Missarum onere absque fundo, *ex decreto Vrbani VIII. pro celebrat. Missar.*, &

re-

resolutione Sac. Congregationis *in Firmana Legati* 2. *Octobris* 1721.

Confirmatum contra est Missarum Legatum per acceptationem, ejusque descriptionem in tabella Ecclesiæ, quodque magis est, per centenariam observantiam. In similibus porro circumstantiis damnavit Sac. Congregatio Patres Carmelitas S. Mariæ Transpontinæ Vrbis ad implementum perpetui Missarum Legati, licet non constaret de illius fundo, ut *in Romana* 6. *Maii* 1786., & 24. *Martii* 1787. Idemque decrevit adversus Societatem Sacrorum Vulnerum Christi erectam in Ecclesia S. Philippi Nerii ad Viam Juliam *in Romana Legati* 19. *Januarii elapsi anni* 1788. *ad I. Dubium*.

Non docetur præterea, integram summam scutorum 204. 55., ex fructibus censuum collectam, in constructionem Altaris erogatam fuisse. Vix enim ex hodiernis Peritis ostenditur, impensam fortasse fuisse summam scutorum 108. pro ligneis deauratis columnis. Reliqua ergo scuta 96. 53. censeri possent erogata in utilitatem Ecclesiæ, quo casu Missarum Legatum absque fundo etiam adimplendum esse censet *Pasqualig. de Sacrific. Miss. quæst.* 1065. *num.* 2., & 3. Idque confirmat illius executio ab initio. Supponi enim non posse videtur, quod assumere voluerint priores Parochi perpetuum onus absque emolumento.

Quæritur ergo.

An sit locus abolitioni Legati Missarum in casu &c.

ANCONITANA TRANSLATIONIS MISSARUM. Viginti septem in Ecclesia Sanctissimi Crucifixi Humanæ celebranda sunt ferialibus diebus Officia, Missarum singula quinque, quarum una cum cantu; annua scilicet duodecim pro quodam Gambini, quatuordecim pro Sebastiano Joannis Mariæ, ejusque uxore Gratiosa, unum pro Francisca Alexandri. Omnium monumentum est Ecclesiæ tabella. Officia hæc ob sæcularium Sacerdotum defectum celebrari consueverunt cum elee- *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

mosyna obolorum decem pro quolibet a PP. Minoribus de Observantia Conventus Sirolì, ultra quingentos passus ab Humana distiti, præmiumque laboris erat comparticipatio Missarum manualium Ecclesiæ, quas ibi diebus etiam festis celebrabant.

Cessavit novissimis annis hodiernus Ecclesiæ Prior Archangelus Trionfi a manualibus præstandis Missis: cessarunt & Patres ab Officiorum celebratione. Veniam hinc ab hac Sac. Congregatione postulavit Prior adimplendi in aliis Ecclesiis Legata, addiditque querelam de celebrato a Patribus SS. Crucis festo in propria Ecclesia. Ex ore P. Guardiani retulit Pro-Vicarius Generalis Anconæ, in posterum etiam Religiosos assuetum servitium præstituros = *exceptis diebus festis, & dummodo Orator Missas manuales, quæ in Ecclesia Sanctissimi Crucifixi nunquam desunt, Fratribus suis celebrandas tradat.* Conditiones istas rationabiles dixit, eisque Oratorem acquiescere debere, exarata in scriptis conventione. Celebratum vero SS. Crucis festum præteriit. Die igitur 11. Maii 1786. EE. Vestrę rescripserunt. *Missas esse celebrandas in Ecclesia designata.*

Ab hoc rescripto reclamavit Prior, iterumque Anconitanus Pro-Vicarius retulit, in eadem Patres manere sententia celebrandi Officia= *dummodo Prior Trionfi eos participes faciat eleemosynarum manualium, quæ in sua Ecclesia nunquam desunt pro celebratione Missarum, ac seclusa omnino conditione mittendi diebus festis unam Missam ad prædictam Ecclesiam SS. Crucifixi* = eosque de secunda potissimum conditione solicitos esse, quia = *recentioribus hisce temporibus septem dumtaxat sunt Sacerdotes; quorum unus in Parochiali Humanæ, alter in quadam Ecclesia Comitum de Ferrettis festis diebus celebrat, quinque tantummodo ad propriæ Ecclesiæ servitium pro Sacro faciendo, Choro intereſſendo, & confessionibus audiendis remanent* = Non aliter contra Priorem adventitias Missarum eleemosynas daturum, quam sub conditione celebrationis Missæ diebus festis.

In hoc autem conflictu expediens censuit = *conventionem reciprocam in scriptis exarari, in cujus vim Rector Trionfi Missas manuales prædictis Fratribus tradere teneatur, demptis iis, quæ per se, vel per suum Capellanum satisfieri queunt; & e contra iidem Religiosi ad Legatorum adimplementum concurrere sese obstringant, ac nisi singulis diebus festis, saltem tribus in quolibet mense incruentum Sacrificium in Ecclesia SS. Crucifixi ab uno ex iis of-*

fer-

ferri debeat, hora tamen competenti, & congrua, ita ut Celebrans a Choro, & a propriæ Ecclesiæ servitio non arceatur. Quo vero ad festum S. Crucis hæc addidit = *diem illum solemnissimum in Ecclesia SS. Crucifixi semper fuisse. Religiosi ignorare nequeunt. Jure merito igitur Orator conqueritur, eodem die præter consuetudinem, expositionem ipsam in Ecclesia de observantia factam fuisse, ex qua probabiliter præsumi potest, scandalum in Populo ortum esse. Quapropter in posterum omnino prohibendum censeo.*

Rem confirmavit Procurator Generalis Ordinis de Observantia ex relatione Ministri Provincialis Piceni, cujus hæc sunt verba = *Il P. Guardiano di Sirolo, conforme si protestò col Signor Pro-Vicario Generale di Ancona Mancini, e col medesimo Signor Priore. ed ora nuovamente promette, che manderà i suoi Religiosi alla Chiesa del SS. Crocefisso di Umana per la soddisfazione delli ventisette Officj perpetui con questa condizione, che o secondo il solito si diano le limosine delle Messe manuali della Cassa per li suoi Religiosi, quelle che sopravanzano al Signor Priore e suo Cappellano, le quali certamente non mancano, se non si rigettano. Che se poi mancassero assolutamente, allora il P. Guardiano si rimette ad aver quelle, che si troveranno nella Cassa, opure per il canto della Messa dia paoli trè, e paoli cinque per l'applicazione delle Messe cinque legatarie, ed in tal caso resta in arbitrio del Signor Priore la disposizione delle limosine delle Messe della Cassa. Li 27. Offizj legati cadono ne' giorni feriali, e non festivi, come appunto si pratica dal Signor Pievano d'Umana nella sua Chiesa Parrochiale, che per il canto della Messa contribuisce paoli trè. In quanto poi ai giorni festivi non è in stato di mandar la Messa nella Chiesa del SS. Crocefisso, perchè in Convento sono soli sette Sacerdoti*, Itemque respectu ad festum SS. Crucis, improbavit *cum D. Pro-Vicario Generali Anconitano factum*, censuitque = *nullatenus faciendum in posterum*; rectissimam implorans EE. Vestrarum decisionem *tam quoad priorem controversiam, quam quoad postremam hanc querelam.*

Duo igitur proponuntur Dubia. Agitur sub primo de translatione Missarum; exploratumque est celebrari debere Divina Officia in Ecclesia a Testatoribus designata, *Pasqualig. de Sacrific. No. Leg. quæst.* 1140. *de obligat. celebran. ration. loc. num.* 3., & *seq.*, nisi aliter præsumpta illorum voluntas, vel necessaria causa suadeat; *Sac. Conc. Trident. Sess.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*. Sæpe id-

circo Sac. Congregatio hujusmodi translationem deficiente causa denegavit, ut *in Neapolitana Capellaniarum* 16. *Junii* 1731., *in Vicen. Translationis Oneris Missarum* 19. *Aprilis* 1766., & *in Senogallien. Translationis Missarum* 17. *elapsi Januarii*. Sæpe ea concurrente concessit, ut *in Bononien.* 28. *Julii* 1724. *ad I. Dub.*

Justa in casu nostro dici posset translationis causa, secularium Sacerdotum defectus. Maxime, quia Pro-Vicarii Generalis testimonio = *quatuor vetusta depositi in ipsa Ecclesia* (SS. Crucifixi) *reperiuntur, unumquodque parva lapidea tabula obsignatum, in quibus aliquorum cadavera, non vero Testatorum condita sunt*; & altera idcirco ex circumstantiis deficit, quæ translationis gratiam impedire solent, *Pax Jordan. de Sacr. Miss. leg.* 4. *tract.* 1. *tom.* 1. *num.* 540., *& Sac. Congregatio in Lucana* 28. *Julii* 1781., *& in Firmana* 3. *Augusti* 1782. Ponderare tamen dignentur EE. Patres, num difficilis censeri debeat Officiorum celebratio in Ecclesia SS. Crucifixi, quæ per Regulares expleri potest Sacerdotes, & num æquæ sint conditiones, quibus eam Patres Siroli in se assumere profitentur. Idque etiam advertant, quod ignorantur omnino illorum fundi, annuique eorum reditus. Tales profecto esse possent, ut sæculares alii Sacerdotes, aucta eleemosyna, ex vicinis Oppidis accersiri valeant.

Ea ratione præstare renuit Prior adventitias Missarum eleemosynas Patribus, quia nil commune habent cum Legatis. Notandum tamen, quod accedere deberent Patres ad dissitam Ecclesiam, ibique in quolibet Officio cum simplici eleemosyna obulorum 10. Missam canere. Ad hoc ipsi æquandum onus adventitias postulant Missarum eleemosynas, quum justa inter emolumentum, & onus esse debeat proportio, *Card. de Luc. de Fideic. disc.* 195. *n.* 9., *& Sac. Congregatio in Urbevetana* 24. *Novembris* 1787.

Quoad festum vero SS. Crucis, de quo sub secundo Dubio, notandum est ex epistola Ministri Provincialis Observantium Piceni ad Procuratorem Generalem Ordinis, Conventum Siroli in diverso existere Territorio, penitusque ab altero Humanæ distincto: unam ab altera Ecclesia per milliarium fere distare: pluries in publicis calamitatibus ad instantiam Communitatis Siroli celebratum a Patribus fuisse SS. Crucis triduum, illudque matutinis horis, ne eadem in Priorali Ecclesia turbaretur celebritas. Quæstio igitur esse posset, num ejus in posterum celebratio absque læsione Regularis libertatis impediri valeat. Maxime, quia

quia non probat Prior assertam privativam, quæ absque prohibitione, & acquiescentia non inducitur, *Constant. Vot* 528. *num.*39.; & ex uno etiam contrario actu excluditur, *Rot. in Recent. decis.*349. *num.*26. *part.*12.

Urget contra ex relatione Pro-Vicarii, quod SS. Crucis festum *solemnissimum* semper fuit in Ecclesia SS. Crucifixi; quod illud Patres in propria Ecclesia *præter consuetudinem* celebraverint de tempore proximo liti; quodque idcirco ortum est *scandalum in Populo*. Et votum accedit Procuratoris Generalis, qui privativum Ecclesiæ Prioralis jus implicite admittit, dum censet, festum SS. Crucis in Ecclesia Siroli *nullatenus faciendum in posterum*.

Dubia igitur sunt.

I. *An sit locus translationi Missarum in casu &c.*

II. *An liceat Patribus de Observantia Conventus Siroli celebrare in propria Ecclesia festum SS. Crucis eodem die, quo celebratur in Ecclesia SS. Crucifixi in casu &c.*

FIRMANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Testamentariis tabulis anni 1775. erogari jussit Jo. Felix Domizj hereditatis suæ reditus in pauperes dotandas Montis Rinaldi Puellas, præ omnibus consanguineas, dotiumque summam Executoris testamentarii arbitrio permisit, nec non de illarum cavit regressu, si Dotatæ absque filiis decederent = *Aggiungo ancora, che se le Ragazze o alcune di esse morisse senza figli legitimi, e naturali debba l'elemosina dotale dopo la di loro morte ritornare alla mia eredità*. In fructiferis hereditas consistit capitalibus scutorum 1339. 23., & ex decreto Firmani Archiepiscopi, cui rem Executor testamentarius delegavit, binæ per sortem in singulos annos extraneis Puellis conferendæ sunt dotes scutorum 25., una scutor. 50. consanguineis. *Sess.* 22. *cap.*6. *de Reform.*

Ob maximam in Oppidulo cautionum difficultatem, abrogationem postulat Executor testamentarius dispositionis quoad dotium regressum, ejusque instantiæ Firmanus favet Archiepiscopus in hæc verba: *Non aliæ ad hujusmodi subsidia sunt vocatæ Puellæ, quam pauperes, &*

qui-

quidem Caſtri Montis Rinaldi , qui Locus eſt inter viliores hujus Diœceſis . At fieri non poteſt , ut quæ paupertate laborant , cautionem de ſubſidio reſtituendo præſtare poſſint . Hinc fruſtra hæc Legata Teſtator inſtituit , quia petere quidem , ſed conſequi Puellæ , obſtante ipsamet earum paupertate , nequibunt . Agitur porro de tenui ſubſidio , & agitur de lege , quam Teſtator non in ipsa inſtitutione Legati , ſed poſtea , & ſeparate decrevit ; ita ut hæc omnia ſuadere videbantur , petitæ derogationi locum eſſe poſſe .

Commutari porro non debent piæ Fidelium voluntates abſque juſta , & rationabili cauſa , ex diſpoſitione *Sacri Cancilii Tridentini ſeſſ. 22. cap. 6. de Reform.* Altera verò ex juſtis cauſis eſt difficultas exequendi , quod Teſtator mandavit , *Barboſ. de Poteſt . Epiſc. allegat. 83. numer. 3. , & 8. , & Sac. Congregatio in Civitatis Plebis Legati 28. Auguſti 1756. , & 15. Aprilis 1758.* Ex hoc Firmanus Archiepiſcopus difficilem dicit dotalium ſubſirum reverſionem , quod de pauperibus agitur Puellis , & in parvo Oppido deficiant , qui pro eis fidejubeant . Ponderare tamen dignentur Eminentiſſimi Patres , num penitus idcirco abroganda ſit Teſtatoris diſpoſitio , vel meliori potius , quo poteſt, exequi modo , *Rot. coram Falconer. tit. de Legat. deciſ. 14. , & deciſ. 530, utrobique num. 15.* , & Sac. Congregatio *in Viterbien. Translationis Miſſarum 19. Maii 1787.* Si difficiles enim ſunt cautiones , tales non eſſent ſimplices Conjugum obligationes de reſtituendis in defectum filiorum dotalibus ſubſidiis . Ex his porro quoad aliquas ſaltem Dotatas haberi poſſet Teſtatoris finis . Ubique ſubſidia hæc , ac præſertim Romæ , pauperibus conferuntur Puellis ; ubique fere ſub reverſivo conferuntur pacto , Nullibi tamen ob defectum cautionis abrogatæ ſunt Teſtatorum voluntates .

Deliberandum itaque .

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro commutatione voluntatis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 14. *Martii* 1789. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

QUatuor priores ex præcedenti Folio diei 7. Februarii, reliquæ ex præſenti decidendæ ſunt Cauſæ.

ROMANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. *Seſſ.22. cap. 6. de Reform.*

An, & quomodo ſit conſulendum Sanctiſſimo pro commutatione voluntatis in caſu &c.

Affirmativè, celebratis annuis Miſſis duodecim in ſuffragium Animæ Teſtatricis ex redundantibus ejus hereditatis fructibus.

FIRMANA. *Seſſ. 25. cap.4. de Reform.*

An ſit locus abolitioni Legati Miſſarum in caſu &c.

Negativè.

ANCONITANA TRANSLATIONIS MISSARUM. *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

I. *An ſit locus translationi Miſſarum in caſu &c.*

II. *An liceat Patribus de Obſervantia Conventus Siroli celebrare in propria Eccleſia Feſtum SS. Crucis eodem die, quo celebratur in Eccleſia SS. Crucifixi in caſu &c.*

Ad I. Negativè. Ad II. Negativè.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

FIRMANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in casu &c.

Negativè ; sed sufficere obligationem juratorlam viri.

Sess. 22. Decret. de observ., & evitan. in celebrat. Miss., & Sess. 25. cap. 4. de Reform.

CERVIEN. Novem in hac Causa sub die 7. Junii elapsi anni 1788. proposita fuerunt Dubia. I. *An Beneficiatus Altaris S. Sebastiani erecti in Ecclesia Collegiata Terræ Massæ Fiscaleæ teneatur officiare, & celebrare Sacrum in Cappella B. M. Virginis Consortii in Oratorio d. Ecclesiæ ad placitum ejus Confratrum, seu potius ad Altare B. M. Virginis Consortii existens in d. Ecclesia Collegiata.* II. *An idem Beneficiatus teneatur intervenire supplicationibus ordinariis, & extraordinariis, vestitionibus Novitiorum, tumulationi Confratrum, & expositionibus publicis Sacrarum Reliquiarum faciendis in dicto Oratorio, & Cappella.* III. *An teneatur officiare, & celebrare Sacrum in d. Cappella, ac intervenire ut supra in Oratorio per se ipsum, vel per alium.* IV. *An teneatur officiare Altare S. Sebastiani Festis principalibus, aliisque diebus, in quibus Confratres d. Societatis Consortii non solent agere Divina Officia, & Functiones pariter per se ipsum, vel per alium.* V. *An teneatur commodare Paramenta Sacra, & Calicem Altaris S. Sebastiani d. Societati Consortii ad omnem requisitionem Confratrum ejusdem.* VI. *An Beneficiatus supradictus incidit in pœnas contentas in decreto, seu decretis Cervienfis Episcopi Pizzolanti.* VII. *An licitum sit eidem Beneficiato permutare, locare ad longum tempus, vel in emphyteusim dare bona d. Beneficii S. Sebastiani sine Beneplacito Apostolico, vel Sac. Congregationis, & irrequisitis Confratribus Commissariis,* VIII. *An Beneficiatus suprad. teneatur reficere bona d. Beneficii,* IX. *An sit locus confectioni Inventarii bonorum, & jurium spectantium ad d. Beneficium S. Sebastiani, & cujus sumptibus confici debeat.*

Ad I. EE. Vestræ rescripserunt: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, & amplius.* Ad II. *Affirmative in omnibus.* Ad III. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, & amplius.* Ad IV. *Affirmative ad formam Testamenti, etiam per alium, & amplius.* Ad V. *Affirmative in casu necessitatis, & amplius*

plius. Ad VI. *Affirmative*, *ſed pro gratia abſolvendum, & amplius*. Ad VII. *Negative in omnibus*, *& amplius*. Ad VIII. *Affirmative a die adeptæ poſſeſſionis*. Ad IX. *affirmative ad formam Teſtamenti ſumptibus Beneficii*, *& amplius*.

Hiſce non acquieſcens reſcriptis, poſtulavit Sacerdos Caſoni ab Emo D. Cardinali Præfecto licentiam de redeundo adverſus *primum*, *ſecundum*, *quintum*, *ſextum*, *ſeptimum*, *octavum*, *& nonum*. At Eminentia Sua *quoad ſecundum*, *& octavum admiſit inſtantiam*, *in reliquis remiſit inſtantiam ad Sac. Congregationem*. Res amplius enim integra non erat ob expeditum coram A. C. monitorium ſuper executione reſcriptorum, ac factam illorum productionem. Coram me deinde Literas petiit compulſoriales; ſed hanc etiam inſtantiam ad hodiernam remiſi Congregationem, ut Patres ipſi Emi, qui de principali judicarunt Cauſa, decernerent quoque de Incidenti. Dum quæritur itaque de viribus *ſecundi*, & *octavi* Dubii, deliberandum quoque de licentia de redeundo adverſus reliqua, & compulſorlis. Quid Caſonius dicturus, ignoratur. Ideoque reſumpto Folio 24. Maii elapſi anni, reſpondere dignentur EE. Veſtræ.

An ſit ſtandum, vel recedendum a ſecundo, & octavo loco deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius. Quo vero ad novam audientiam, & compulſorias; Nihil, & amplius.

VITERBIEN. REDUCTIONIS, ET SUSPENSIONIS ONERUM. Ad reficiendas domos hereditatis *Malacroſta*, reduxit primum Sacra hæc Congregatio perpetua onera, Doctrinariis Patribus Centumcellarum impoſita. Ad Dubium enim: *An. & quomodo ſit locus reductioni*, reſpondit die 8. Maii 1784. *Affirmative juxta Votum Vicarii Capitularis*. Altero deinde propoſito Dubio: *An, & quomodo ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis ſub die* 8. *Maii* 1784., *ſeu potius ſit locus ſubſtitutioni Societatis Confalonis Centumcellarum*; reſcripſit die 16. Decembris 1786. *Quoad primam partem*; *dilata*, *& Eminentiſſimus Epiſcopus ſtatim mandet confici peritiam ſuper reſtauratione domorum hereditatis Malacroſtæ*, & *Seſſ. 22. cap. 9. de Reform.*

ad tramites ejuſdem peritiæ, prævia edictorum affixione, deliberet redemptori operis, & deinde eligat Peritum ratiocinatorem, qui conficiat ſtatum activum, & paſſivum ejuſdem hereditatis. Et quoad ſecundam: negative in omnibus.

Una per Eminentiſſimum Epiſcopum transmiſſa reſtaurationis peritia, damnoſam hereditati dixerunt Doctrinarii deliberationem operis minori oblatori, pluribulque in id adductis rationibus, veniam petierunt reparandi domos conductitiis Fabris ſub directione Architecti Guaſco, ſibique ſecundam conſtruendi contignationem in hereditario curſalium equorum diverſorio. Re tamen propoſita ſub Dubio: *An, & quomodo ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis ſub die 16. Decembris 1786. quoad primam Dubii partem*; rescripſerunt Eminentiſſimi patres die 24. Maii elapſi anni 1788. = *Dilata, & ſcribatur Eminentiſſimo Epiſcopo juxta mentem*; quod activum nempe & paſſivum hereditatis ſtatum quam cito transmitteret. Atque ita factum eſt.

Activum Peritus conſtituit ſtatum in annuis ſcutis 169. 27. $\frac{1}{2}$ Paſſivum in ſcutis 294. ex tribus partitis; ex ſcutis nempe 24. pro fructibus paſſivi cenſus in ſorte ſcutorum 800., ex aliis 210. pro annuo trium Præceptorum ſtipendio, juxta votum Vicarii Capitularis ab hac Sacra Congregatione approbatum anno 1784., & ſcutis 60. pro eleemoſyna quotidiani Sacri, in eodem voto deſignata. Collatis deinde a die 1. Auguſti 1782. ad totum Junium 1788. hereditariis & eventualibus oneribus cum introitu, Patrum debitricem renuntiavit hereditatem Malacroſta in ſcutis 508. 97. $\frac{1}{2}$ Ac plura tandem notavit: quotidie ſcilicet reditum decreſcere, *perche qualche corpo di caſa rendeſi inabile, o perche non vuole, ne puole abitarſi, che da perſone miſerabili, e non idonee al pagamento delle convenute pigioni*: cunctandum amplius in reſtaurandis domibus non eſſe, quum = *in parte minacciano ejiamdio un'imminente revina* = gravem eſſe ſumptum, ſi ad ſimplicem etiam conservationem labentes ædes reficiantur: eumdem tamen futurum illarum reditum, penituſque imparem = *ai gravami ſi infiſſi, che ingiunti dalla pia Teſtatrice al lor quando nel di lei patrimonio eſiſtevano diverſi altri capitali fruttiferi, che in oggi più non eſiſtono per eſſere ſtati diſtratti dai paſſati Eredi fidecommiſſarj*; licet imminuta aliquantulum fuerint hujuſmodi onera in præcitato Vicarii Capitularis voto.

Inſtantiam igitur renovarunt Doctrinarii pro celeri domorum reparatione, onerumque ſuſpenſione. Repro-

po

pósitionem tamen cauſæ retardavit *damni infecti* querela, per eos in Sac. Conſulta expoſita, qui a proxima diverſorii equorum ruina propriis domibus timebant. Controverſia tandem proviſionalibus fulcimentis compoſita, res, Patres Eminentiſſimi, ad Veſtrum redit examen. Reparationis quidem urget neceſſitas, quum luculentiſſimum de ea ſit teſtimonium Eminentiſſimi Epiſcopi, & architecti Guaſco, eamque imperata comprobent fulcimenta. Utrum vero hujuſmodi reparatio ad ſimplicem facienda ſit conſervationem, vel nova ad augendos domorum reditus permittenda additamenta, ex iis EE. Veſtræ decernent, quæ de activo nunc, & paſſivo hereditatis ſtatu refert Peritus, atque ex iis, quæ ex ore architecti Guaſco relata fuerunt in *Folio* 24. *Mail elapſi anni*.

Quantum autem noviſſimæ fidendum firmationi ſtatus, Eminentiſſimi Patres advertant. Conſtituti primum fuerunt annui hereditatis reditus in ſcutis 140., *omnibus detractis oneribus*, ut *in Folio* 8. *Maii* 1784. §. *Vicarius Generalis*. Eam deinde liquidationem impugnarunt Doctrinarii, aliterque ſubductis rationibus, *reditum ab oneribus depuratum* ad ſcuta minuere ſtuduerunt 105., ex quibus annua detrahebant ſcuta 60. pro quotidiana Miſſa, vixque reliquam ſummam pro uno Præceptore ſufficere contendebant, ut in *Folio* 2. *Decembris* 1786. §. *Porro, & ſeqq.*. Alia nunc ratione activum conſtituunt ſtatum in ſcutis 169. 27 $\frac{1}{2}$, paſſivum in ſcutis 294. Veritatis porro dubitationem ingerit inconſtantia.

In præſenti de cetero paſſivo ſtatu onus refertur trium Præceptorum in ſcutis 210., ad rationem ſcutorum 70. pro quolibet, aliudque ſcutorum 60. pro quotidiana Miſſa, juxta votum Vicarii Capitularis. Hic tamen in ſenſu fuit, ut bini dumtaxat ad dimiſſionem alieni æris retinerentur Præceptores, & inter eos Miſſarum onus partiri deberet; veluti ex *cit. Folio* 2. *Decembris* 1786. §. *Suam vero ſententiam*. Si a ſumma ergo ſcutor. 294. detrahatur tertii Præceptoris ſtipendium in ſcutis 70., & Miſſarum eleemoſyna in ſcutis 60., tota exitus ſumma ſcutorum erit 164., & ſic minor introitu in ſc. 5. 27 $\frac{1}{2}$.

Quidquid vero ſit de exitu; ſi introitus eſt ſcutorum 169. 27 $\frac{1}{2}$, ſeu ſcut. 145. 27 $\frac{1}{2}$, intrinſeco detracto onere ſcutorum 24. pro fructibus paſſivi cenſus, nec par certe eſſet fructibus ſcutorum 4463., quæ ad ſimplicem ædium conſervationem impendi deberent. Sua ergo prudentia

Emi Patres judicent, num juxta votum Vicarii Capitularis, in aliis terminis editum, reliqua adimpleri valeant onera, & num permittenda potius sit amplior ædium constructio cum impensa scutorum 6726., ut ex uberiori illarum reditu, de quo *in Folio* 24. *Maii elapsi anni*, solvi queant impendendæ summæ fructus, & aliquid quotannis in extinctionem sortis deponi.

Quæritur itaque.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 8. *Maii* 1784., *& die* 16. *Decembris* 1786. *quoad primam Dubii partem in casu &c.*

Dilata, & scribatur Emo Episcopo pro solicita affixione edictorum super venditione domorum, de quibus agitur; Et transmittantur intra duos menses oblationes ad Sacram Congregationem.

Sess. 22. cap. 6., & Sess. 25. cap. 1. de Reform.

MACERATEN. Duplicem anno 1758. in Ecclesia PP. Prædicatorum Maceratæ, ad Altaria B M. Virginis Rosarii, & S. Dominici, laicalem instituit Capellaniam Sebastianus Mancini e Saxoferrato. Nonnullos priori assignavit census in sorte scutorum 900. cum onere hebdomadalium Missarum quatuor diebus Dominicis & Sabbathi, ac feria III., & V. Alios census in sorte scutorum 800. posteriori cum onere hebdomadalium pariter Missarum trium feria II. IV., & VI. Adivum utriusque patronatum reliquit ejus heredi, seu ut asseritur, Antonio ejus fratri, & Josepho nepoti sub lege = *di dover sempre preferire i Figli, ed altri Successori della Famiglia e Casa, con potersene questi servire anche per Patrimonio Sagro*; suamque domum cum adnexis domunculis & viridario, in Maceratensi destinavit Civitate pro habitatione unius & alterius Capellani = *con facoltà di potere annolare le dette Case, qualora non volessero abitare essi Cappellani, intendendo di aggiungere in queste case ed annessi per capitale dell' una e l'altra Cappellania, di modo che ne abbia appartenere il jus, ed il frutto ad uno egualmente, che all' altro.*

Ex asserta nominatione Antonii Mancini utramque Capellaniam possidet Dominicus ejus filius. Apud Patrem tamen in Oppido Saxoferrato, quadragesimo a Macerata lapide degens, viridarium & domum locavit. Pensio est scutorum 30., sed ordinariis detractis collectis, annua su-

per-

persunt scuta 25. 50., vel quid minus ob assuetas instaurationes, & dislocationes. Sacram idcirco adiit Congregationem pro facultate vendendi domum, & viridarium, & investiendi pretium in consignativis censibus; confectaque peritia, & affixis ex præscripto edictis, æstimatus fuit Fundus in scutis 1313. 71., ac unus pro eo Franciscus Brunelli scuta obtulit 1350., cum promissione solvendi compensativos fructus scutorum 4. in singula centum quousque novum fieret investimentum. Venditioni assentiuntur Capellaniarum Æconomus, a Rev. S. Petri Fabrica deputatus, & Executor testamentarius, dummodo pretium in stabilibus investiatur. Eam tamen per assuetum *nihil transeat* visa est impugnare velle Olimpia Mancini Galeotti, licet iterum atque iterum interpellata, in contumacia persistat. Episcopus autem, collata æstimatione Fundi ejusque fructu cum majori oblato pretio, ampliorique reditu, *venditionem ut supra petitam expedire* censet. Decennem non exhibet illius statum, *quia domus prædicta per aliquot annos haud fuit subjecta locationi*. Et despiciendam autumat contradictionem Olimpiæ tum ob evidentem alienationis utilitatem, tum *quia res est non de jure ad Capellanias, sed de venditione domus eisdem assignatæ*. Res igitur sub duplici proponitur Dubio.

Agitur sub *primo* de venditione domus & viridarii, eique obesse videtur Testatoris voluntas. Dum unam enim permittit illorum locationem, prohibere censetur venditionem, *Cap.* 10. *de Decim.* Incommoda insuper esse posset hujusmodi venditio futuris Capellanis, qui domicilium constituere vellent Maceratæ, ubi celebrandæ sunt Missæ. Potissimum contra spectanda est Capellaniarum utilitas, ob quam bonorum Ecclesiæ, aut pii Operis alienatio permittitur, *Petra ad Constit. Ambitiosæ per tot. de reb. Eccles. non alien.* Utilissimam in nostro themate venditionem dicunt Æconomus, Executor testamentarius, Episcopus. Res namque est de fragili commutanda domo in tutiora capitalia: intrinseeum ejus valorem superat oblatio; longeque major esset novi investimenti fructus. Oblatum sane pretium scutorum 1350., ad rationem scutorum 4. in singula centum, annua redderet scuta 54., vel scuta saltem 40. 50. ad rationem scutorum trium. Priori casu præsens duplicaretur pensio; lucrum posteriori facerent Capellaniæ scutorum 15., & perpetuo ab instaurationibus, dislocationibus, aliisque oneribus immunes essent. Non raro in simlibus terminis Sac. hæc Congregatio alienandi veniam concessit, & præsertim *in Bo-*

no-

nonien. Beneplaciti 28. *Martii* 1744, *in Asculana* 21. *Junii*, *& in Cornetana Suspensionis Oneris Missarum* 20. *Septembris elapsi anni* 1788. *ad III. Dubium*.

Quatenus autem EE. Vestræ in aliénationem domus, & viridarii conveniant, deliberandum erit *secundo* de investimento pretii. Si originarii spectentur Capellaniarum fundi, incongruum non esset, censibus addere census, qui stabilibus æquiparantur, *Cenc. de Cens. quæst.* 30. *num.* 6., *Card. de Luc. eod. tract. disc.* 17. *num.* 2. Idoneum tamen non reputantur investimentum pro celebratione Missarum, ut declaravit *Sacra Congregatio in Fundana* 28 *Februarii* 1654. *lib. Decret.* 19. *pag.* 319. *terg.*, eosque idcirco reprobavit *in Asculana* 21. *Junii* 1783. *ad II. Dubium.*, nec aliter, quam deficientibus stabilibus admisit *in Neapolitana* 3. *Augusti* 1658. *lib. Decret.* 21. *pag.* 337. *terg.*, *& in Camerinen.* 24. *Novembris* 1787.

Dubia sunt.

I. *An sit locus venditioni domorum cum hortulo in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An, & quomodo fieri debeat investimentum in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 24. *cap.* 12. *de Reform.*

ROMANA DISTRIBUTIONUM. Sub Judice adhuc per Rescriptum *iterum proponatur* remansit Causa ista in Congregatione diei 9. Augusti elapsi anni 1788. Ad Vestrum nunc, Eminentissimi Patres, cum novis nondum exhibitis Scriptis redit judicium. Iterum ergo quæritur.

An sit locus repetitioni Distributionum solutarum tempore deficientium Indultorum in casu &c.

Sess. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

VIGLEVANEN. Duo Viglevani sunt simplicia Beneficia, canonice unita; in Ecclesia unum S. Mariæ ad Nives, institutum anno 1644. a Josepho Qualea cum annua dote librarum Imperialium 400. ex fructibus Locorum Montis S. Ambrosii Mediolani; in Ecclesia alterum S. Mariæ Magdalenæ, institutum anno 1661. a Leopardo Maraffi ex fructibus similis capitalis scutorum circiter 1000. Onus priori est quotidiani mortuorum Sacri diebus non impeditis, illudque festivis diebus ad Altare B. M. Virginis *conventa, & commodiori hora, ut inserviat Confratribus Sodalitatis in ipsa Ecclesia erecta*; nec non quotidiani Officii Deiparæ, vel mortuorum. Quotidiani pariter Sacri onus posteriori, vel *celebrandi tot Missas omni anno, prout dabit annuus reditus percipiendus*

ex

ex pecuniis Banci S. Ambrosii Mediolani, aliudque accedendi ad scholam Doctrinę Christianæ diebus festivis de præcepto, & ibi parvulos docere rudimenta Fidei.

Annuis Locorum Montis S. Ambrosii fructibus a libris 7. ad duo in singula centum imminutis, nullus amplius est Sacerdos, qui hujusmodi Beneficia accipiat. Sanctissimo igitur supplicarunt Jacobus Philippus Gallone Viglevanensis Cathedralis Archidiaconus, Christophorus Vitale, & Franciscus Antonius Rigono Prior Societatis S. Mariæ Magdalenę illorum patroni pro dispensatione ab Officio B. Virginis, vel mortuorum, & Missarum reductione. Precibus ad Sac. hanc Congregationem ablegatis, in omnibus annuendum censuit Viglevanensis Episcopus, excepto onere *Doctrinæ Christianæ, pro qua nunquam satis provisum est*, aucta tamen pro hoc onere taxa synodali a solidis 20. ad 25. pro qualibet Missa. Iterum vero de Beneficiorum fundationibus, & decenni eorum redituum calculo requisitus, in secunda informatione refert, annuos fructus Beneficii S. Mariæ ad Nives in scutis consistere 26., & ob. 40. monetæ Romanę, & alterius S. Mariæ Magdalenæ in scutis 19., & ob. 71., semperque in eadem esse summa: simplicia transmittit fundationem exempla ad parcendum sumptui scutor. 40. pro authenticis: Beneficiorum confirmat vacationem ob tenues reditus, eosque Principis facto imminutos; ac nullum esse ait Sacerdotem, qui Missas celebret cum minori synodalis taxę eleemosyna obolorum 20., ita ut Administratoris cura cum ea modo celebretur eleemosyna, & in ea Ecclesia, in qua facilius potest: enixeque tandem Doctrinæ Christianæ exercitum EE. Vestris commendat.

Licet *demonstrative* assignati videantur utriusque Beneficii fundi, quum una & altera fundatio ab oneribus incipiat, *Leg. Quidam ff. de Legat. 2,, et Leg. Non aliter §. 1. ff. de Legat. 3°, & Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib. 13. cap. ult. sub num. 32.*, directe tamen assignati sunt, ut ex le ipsis Capellani percipiant fructus. Ita in Testamento Qualeæ: *Pro mercede, seu eleemosyna dictæ Missæ celebrationis assignavit, & assignat Sacerdoti, qui pro tempore erit libras quatuorcentum Imperialium in anno, & annuatim in solitis & consuetis terminis ad ratam habendas, & exigendas a Capsariis, & Thesaurariis, seu aliis Deputatis Banci S. Ambrosii Mediolani ex fructibus pecuniæ per d. Testatorem depositæ librarum decem mille.* Et ita in Testamento Maraffi: *Pro dote d. Beneficii, & Capellaniæ dedit, assignavit, ac relaxavit capitale, seu capitalia per d. Testatorem, & ejus nomine positum, & collocatum, seu posita & collocata*

cata super Banco S. Ambrosii Mediolani ad participationem locorum utilium in summa scutorum fere mille, cum jure, actione, & facultate R. pro tempore Capellano exigendi, percipiendi, & consequendi annuos reditus. In his porro terminis deliberandum, utrum ex *demonstrativa* Legati qualitate imminutos reditus supplere teneantur Fundatorum heredes, ut Sac. hæc censuit Congregatio in *Narnien.* 15. *Januarii* 1721., & 1. *Junii* 1537., seu ab hoc potius onere ex *directa* fundorum assignatione absolvi debeant, juxta doctrinam *Benedicti XIV. in cit. cap. ult. num.* 33. *de Synod. Diœces.*.

Quatenus EE. Patres in secundam conveniant sententiam, agendum erit de reductione onerum. Nullius sane culpa imminuti sunt Beneficiorum reditus, adeoque tenues sunt, ut nequaquam oneribus respondeant. Justa autem reductionis onerum, & Missarum causa reputari solet inculpata redituum imminutio, *Monacell. form. legal.* 19. *tit.* 20. *part.* 1. *num.* 25., & *Sac. Congregatio in Viterblen. Reductionis Onerum* 8. *Maii* 1784., & sæpe ex hac causa, cum augmento etiam stipendii indultum, ut in *Mediolanen. Reductionis Missarum* 9. *Aprilis* 1718., *in Siracusana Missarum* 10. *Martii* 1759., & *in Anconitana* 20. *Aprilis* 1782.

Si oneri saltem duplicis quotidianæ Missæ respondeant reditus, reliqua potius reduci possent onera, *Fagnan. in lib.* 1. *Decretal. Cap. Ex parte de Constit. num.* 34., *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ult. n.* 23., & *Sac. Congregatio in Regien. Reductionis Servitii Chori* 17. *Aprilis* 1776. Suppositum vero excluditur ex facto: nec raro in similibus circumstantiis tum Missarum, cum aliorum onerum reductionem concessit Sac. Congregatio, & præsertim *in Bracharen. Reductionis Onerum* 11. *Septembris* 1717. *lib. Decret.* 67. *pag.* 373. Accedit etiam quoad Capellaniam Maraffi expressa Testatoris voluntas, quod in casu diminutionis fructuum, tot celebrari debeant Missæ, *prout dabit annuus reditus*.

In casu reductionis taxandam censet Episcopus Missarum eleemosynam supra taxam synodalem in obolis 25., in compensationem oneris Doctrinæ Christianæ, quod salvum optat, quum vix reliqui Sacerdotes contenti sint synodali taxa. Quoad cetera vero onera, ponderare dignetur EE. Vestræ, num absolvi deberet Capellanus a recitatione parvi B. Virginis, vel mortuorum Officii, dum non tenuem acciperet Missarum eleemosynam in obolis 25., suaque prudentia decernant.

An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 4. Aprilis 1789. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

MACERATEN. Cauſa hæc, binæque ſequentes ex præcedenti ſunt Folio diei 14. elapſi menſis Martii. *Seſſ. 22. cap. 6. & ſeſſ. 25. cap. 11. de Reform.*

I. *An ſit locus venditioni domorum cum hortulo in caſu &c.*
Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo fieri debeat inveſtimentum in caſu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Affirmative in bonis ſtabilibus; ſin minus in cenſibus cum Locis piis, & Communitatibus Status Eccleſiaſtici arbitrio Epiſcopi.

ROMANA DISTRIBUTIONUM. *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.*

An ſit locus repetitioni Diſtributionum ſolutarum tempore deficientium Indultorum in caſu &c.

Negativè.

Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.

VIGLEVANEN.

An, & quomodo ſit locus reductioni onerum in caſu &c.

Affirmativè juxta votum Epiſcopi.

Seſſ. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.

MELEVITANA DISPENSATIONIS. Ad Dubium = *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione ſuper Matrimonio rato, & non conſumato*, reſponderunt Eminentiſſimi Patres in Congregatione diei 7. elapſi Februarii: *Affirmative*. Ad novum modo examen ex *Benedictina* redit Cauſa, & a ſpectatiſſima Veſtra prudentia quæritur.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis.

Seſſ. 21. & 22. utrobique cap. 3., & Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.

ALBANEN. Collegiata Ariciæ Eccleſia ſub invocatione B. Virginis in Cælum Aſſumptæ ſex remotioribus ſæculis conſtabat Canonicis. Altera eorum ſuppreſſa præbenda, erexit anno 1575. Cardinalis a Cornea, nuncupatus Peruſinus, Albanenſis Epiſcopus, Archipresbyteratum cum Animarum cura, cui ſecunda deinde addita fuit præbenda. Ii omnes leve admodum præſtabant ſervitium Choro, vixque diebus feſtis veſpertinas recitabant horas, aſſertis freti ejuſdem Cardinalis Conſtitutionibus anni 1581. At his non obſtantibus, decrevit anno 1583. Cardinalis Geſualdus, Albanenſis pariter Epiſcopus, in Viſitatione Collegiatæ, *quod ſingulis diebus feſtivis de præcepto recitentur in Eccleſia per Archipresbyterum & Canonicos Officium Divinum, & Horæ Canonicæ ſuis de-*

debitis horis, & temporibus. Anno rursus 1612. in Sacra quoque Visitatione mandavit Cardinalis S. Ceciliæ, quod Archipresbyteri *diebus solemnioribus Officium, Missam, & Vesperas ipse cantet omnino, etiam quod dies illi in alterius hebdomada incidant*. Apostolicus deinde Visitator Thomatus, Bitectensis Episcopus, jussit anno 1661., *ut in posterum singulis diebus Dominicis, & festis de præcepto hora congrua ab ipsis eligenda, conveniant in Choro ad Divinum Officium psallendum, videlicet Matutinum, Laudes, & successive horas Canonicas*. Ac postremo, quum nil unquam horum Canonici fecissent, provisionali decreto in Visitatione statuit anno 1664. Cardinalis Joannes Baptista Pallotta, *Archipresbyterum & Canonicos pro nunc convenire in Choro ad recitandum horis debitis totum Officium Divinum in diebus festis tantum primæ classis sub pœna scutorum sex pro qualibet vice*,

Hic ad Pontificatum *Alexandri VII.* erat Collegiatæ status. Ruinam tunc minabatur Ecclesia. Aliam idcirco Summus ille Pontifex anno 1667. commodiori in loco, elegantiorique forma extruxit: Collegiatam declaravit insignem; sexque allos Capitulo per duplicem *Motum Proprium* addidit Canonicos. Præscripsit in primo, ut Canonici *Missas tam Conventuales, quam alias in dies celebrent, & Divina Officia persolvant*: firmas tamen voluit Ordinationes Cardinalium e Perusia, & Pallotta (prætermissis aliis Cardinalium Gesualdi, & S. Cæciliæ, & Visitatoris Thomati, quas hodiernus Eminentissimus Episcopus censet, positas fuisse *ab illius temporis Canonicis in abdito, ne onere gravarentur Divinum Officium recitandi*) In secundo vero, in quo de altero egit ex novis Canonicatibus per Principem Augustinum Chisium ejus nepotem erecto, onus novo Canonico imposuit interveniendi *singulis diebus festis de præcepto in Ecclesia prædicta diurnis, & nocturnis Horis, Diviniisque Officiis in Choro, & aliis Functionibus ipsius Ecclesiæ personaliter, ad instar aliorum Canonicorum*. Et hisce sub legibus Capitulum constituit ex Archipresbytero, & Canonicis decem, quibus alii ex novissima erectione additi sunt duo.

Persistentibus Canonicis in inveterata negligentia Chori, novas anno 1689. Constitutiones edidit Cardinalis Flavius Chisius; sed illorum duritie inobservatæ perierunt. Malo occurrere censuit anno 1703. Amerinus Episcopus Crispinus Visitator Apostolicus per decretum, *ut Archipresbyter & Canonici omnes d. Ecclesiæ Collegiatæ a die pri-*

prima Julii proxime futuri servitium Chori incipere, & jugiter prosequi, & saltem per novem menses ad formam Sacri Concilii, Choro statutis horis interfint, recitando horas diurnas pariter, & matutinas sub pœnis ab eodem Sacro Concilio præscriptis, etiam privationis Canonicatuum. At provocarunt Canonici ad Sacram Congregationem Visitationis, *& Populus Aricinus*, Eminentissimi Episcopi testimonio, *seu potius ii, qui ejus nomine conquesti fuerant, litis sumptus ægre ferentes in Causa eis extranea, vel nihil vel parum adversati sunt Canonicorum conatus, rescriptum fuit: Non substineri.* Qua de re hortatus eos fuit anno 1720. in Sac. Visitatione Cardinalis Fabritius Paulutius ad psallendum diebus festis de præcepto; *meritum coram Deo, & laudem coram Hominibus habituros.*

In Irritum tamen omnia cesserunt, aliudque hactenus Canonici non præstiterunt servitium Choro, quam simplicis recitationis Vesperi diebus Dominicis & festis de præcepto, ac non integri Officii solemnioribus primæ classis. Zelo nuper, conscientiæque stimulis nonnulli ex Ipsis excitati, EE. Vestrarum oraculum, & providentiam flagitarunt. Expositam historiam Eminentissimus confirmat Episcopus. Adulterinas dicit Constitutiones Cardinalis a Cornea anni 1581. in quibus Canonici potissime confidunt. Nam *in primis carent subscriptione, nec ullam habent confirmationem, nisi quod sunt in libro sane vetustatem præseferente, concinnata. Duo præterea perpendenda sunt: Unum, quod in asserta Constitutionum data perfectus continetur anacronismus. Cardinalis enim a Cornea ab anno 1580. desit esse Episcopus Albanensis; ei successit eodem anno Cardinalis Jo. Franciscus Gambara, qui usque ad annum 1583. hanc occupavit Sedem. Alterum, concipi non potest, Constitutiones anno 1581. latas, per Capitulares* (ut hodierni probant Canonici) *anno 1578. approbatas.*

Atque hinc concludit, quod *Collegiatæ Canonici haud posse eximi videntur ab integra Officii recitatione in Choro nedum in Festis primæ classis, uti decrevit Cardinalis Pallotta, verum etiam in omnibus diebus festis de præcepto, uti Cardinalis Gesualdus anno 1583., & Visitator Apostolicus Thomati anno 1661. constituerant. Quin mos & consuetudo in contrarium afferenda, officere debeat; quoniam nonnisi obreptionibus, & subreptionibus, ac perpetua inobedientia decretis Cardinalium Episcoporum, & Visitatorum inducta. Id vera non solum aliquo modo consa-*

num erit desuper allatæ Conciliari providentiæ quoad Cathedrales, & Collegiatas insignes, quæ certe providentia non videtur omnino prætereunda, sed frequenti etiam Populo Aricino, ac potissimum Canonicorum numero ad tertium decimum nuper aucto.

Si res ex dispositione *Iuris Canonici, & Sac. Concilii Tridentini* decidenda esset, nedum in Festis de præcepto, & primæ classis, sed singulis etiam diebus cogi possent Aricini Canonici ad integrum recitandum Divinum Officium in Choro, quum ex declaratione *Alexandri VII.* insignis sit eorum Collegiata. Ita ex *Clement. 1. de celebr. Miss.*, & *Sac. Conc. Tridentin. sess. 21.*, & *22. cap. 3.*, & *sess. 24: cap. 12. de Reform.*, & ita ex novissima Sacræ Congregationis resolutione *in Setina Chori*, & *Missæ Conventualis* 21. *Januarii* 1786., in qua ad I. Dubium: *An Canonici, & Archipresbyter Ecclesiæ S. Erasmi in Oppido Bassiani teneantur quotidie in Choro recitare, & Missam Conventualem pro Benefactoribus celebrare;* rescripsit = *Compellendos esse Archipresbyterum, & Canonicos ad servitium Chori, & applicationem Missæ Conventualis juxta votum Episcopi.* Maxime, quia in sufficienti sunt numero, ac pingues habent præbendas. Illæ enim primæ erectionis annuam cum distributionibus attingunt summam scutorum 113. pro qualibet. Altera secundæ erectionis, seu Canonicatus Chisius scuta 80. Aliæque tertiæ erectionis scuta 92.

Ad hanc vero declinandam Juris censuram, plura Canonici per Eminentissimum Episcopum exhibent documenta, integrisque viribus assertas præ omnibus urgent Cardinalis a Cornea Constitutiones anni 1581., primum *Alexandri VII.* Motum Proprium, in quo servatæ fuerunt cum provisionali decreto Cardinalis Pallotta de recitatione Officii in Choro *diebus festis tantum primæ classis*: & inveteratam denique observantiam, remque judicatam Sac. Congregationis Visitationis. Quid adversus Constitutiones anni 1581., observantiam, & rem judicatam urgeat, jam Eminentissimi Patres ex præmissa Eminentissimi Episcopi informatione habent. Addendum tamen, consuetudinem non recitandi singulis diebus integrum Officium in Collegiata insigni, veluti contrariam dispositioni Juris, abusum dici posse, & corruptelam, *Valent. de ult. volunt. vot. 27. num. 136. part. 2.*

Dubium de quotidiana Officii recitatione ingerit primus Ale-

Alexandri VII. Motus Proprius ob servata decreta Cardinalium a Cornea, & Pallotta, quæ illam excludunt. Ea tamen ponderanda ipsius Motus proprii verba: *Archipresbyter, & Capitulum prædictum tam Conventuales, quam alias Missas in dies celebrent, & Divina Officia persolvant*: num scilicet clausula *in dies*, quæ Missas Conventuales, & Divina Officia comprehendit, quotidianum præseferat servitium. Alia contra urgent secundi Motus Proprii verba: *singulis diebus festis de præcepto in Ecclesia prælicta diurnis, & nocturnis Horis, Divinisque Officiis in Choro, & aliis Functionibus ipsius Ecclesiæ personaliter ad instar aliorum Canonicorum Ecclesiæ hujusmodi assistendo &c.* Dum enim Summus Pontifex Divini Officii onus imposuit Chisiano Canonico, de quo loquebatur, *singulis diebus festis de præcepto ad instar aliorum Canonicorum*, jam Eminentissimi Episcopi illatione, *in aperto est, Canonicos omnes Festis de præcepto diebus Officium Divinum recitare debere; quandoquidem si secus esset, unicus erectionis Chisiæ Canonicus Officium in Choro recitare debuisset; quod nemo non videt, quam foret absurdum.*

Deliberare ergo dignentur EE. Vestræ.

An, quomodo, & quibus diebus Canonici, & Archipresbyter Collegiatæ Ecclesiæ Ariciæ recitare teneantur Divinum Officium in Choro in casu &c.

Dilata ad primam post proximam.

Sess. 25. cap. 3. de Regular.

BENEVENTANA. Recepti fuerunt anno 1450. in suburbanam S. Laurentii Ecclesiam, & Cœnobium Civitatis Beneventi Minores Patres de Observantia; Idque teste *Waddingo ad annum* 1427. *num.* 26., *& ad annum* 1450. *num.* 12., *a Martino V.* impetravit Beneventana Communitas, quæ deinde vigore Brevis *Xisti IV.* diei 26. Novembris 1472. Ædificia instauravit, assignavitque Religiosis annua scuta 22. in futuram il-

lo-

lorum manutentionem. Duo Ecclesiæ, & Cœnobio muris circumdata adhærent viridaria, prædiumque tumulorum circiter quinque, nuncupatum *la Selva*, eaque Patres ab ipsa Communitate obtinuisse fertur.

Ad colonam dari cepit anno 1741. incultum prædium *la Selva* sub verbali promissione certæ quantitatis hordei, quo Cœnobium indigebat; ut monstrat decretum in ejus Archivio servatum, quo hujusmodi contractum, veluti a Seraphicis Regulis devium, Religionis Superiores reprobarunt. Hoc tamen non obstante decreto, eamdem Religiosi locationis speciem renovarunt anno 1748. cum Josepho Riso, eamque cum ejus filiis, & nepotibus ad hæc tempora continuarunt. Delata tandem anno 1787. locatione ad Viduam, tresque Francisci Riso ultimi illius masculi Filias, malum Superiores Cœnobii removere curarunt exemplum accessus mulierum ad sylvam, ex qua aditus patet ad claustra, Nobilemque rogarunt Virum Joannem Baptistam Rotondo, Apostolicum ipsius Cœnobii Syndicum, ut in se negotium susciperet. Sylvam ergo Beneventano more concessit Syndicus in emphyteusim ad binos 29. annos Josepho Colarile pro annuo canone ducatorum Regni 25.

Quum primum id Ministro Provinciali innotuit, rescindi jussit contractum, a Canonico Jure, Regulisque Seraphicis reprobatum, castigavitque per epistolas Religiosos, quod tamdiu prædium ante emphyteusim in colonia retinuissent. Qua de re per Notarium stipulari fecit Syndicus Capitularem quatuor Religiosorum actum, veluti repræsentantium *la maggiore parte*, sibique tribui curavit *ogni facoltà necessaria ed opportuna a poter disporre del Territorio sudetto nella miglior maniera, che a lui parerà e piacerà, per non potersi da essi loro amministrare in virtù delle Regole, e Costituzioni*. Atque his utens facultatibus, Emo supplicavit Beneventano Archiepiscopo, ut renunciationem pro ejus Mensa acciperet sylvæ; causamque præ ceteris exposuit, quod impares essent Religiosi illius præsidio adversus impetum præterfluentis fluminis *Calore*, ita ut = *non fortificandosi con argini, e speroni potrebbe un giorno colle frequenti alluvioni rovinare il Convento, e Chiesa*. Precibus annuit Emus Archiepiscopus, & uno eodemque instrumento renunciationem die 1. Februarii elapsi anni 1788. accepit, & prædium suadente Syndico, in eamdem emphyteusim dedit Colarillo = *per non*

non esservi state offerte più vantaggiose = sub promissione = *di fare alla riva del fiume Calore per quanto sarà l'estensione del d. Territorio, e Convento tutti quelli argini e ripari, che saranno necessarj per la difesa di d. Territorio, e Convento* =; assignavitque canonem Sacrario Ecclesiæ. Super hoc igitur contractu reservatum postulat Æconomus Mensæ Archiepiscopalis Apostolicum Beneplacitum.

Utilem Religiosis censet Emus Archiepiscopus contractum, auditisque Syndaco, & Emphyteuta, ita concludit = *Perspiciens, quod canon oblatus a Colarile major sit præstatione, quam persolvebat qu. Franciscus Riso; quod emphyteuta Colarile nedum sit solvendo, sed alia onerosa pacta in se susceperit, & signanter aggeres construere, & manutenere propriis sumptibus; quod Conventus ob id maneat exemptus ab obligatione ripam talibus aggeribus munire, ut quodcumque avertetur damnum; quod sit sublata occasio scandalorum; quod vetitum sit Instituto Franciscano Patrum de Observantia habere dominium, vel certos reditus percipere, e contra valida sint, & sustineantur Legata Ecclesiæ, vel Sacristiæ relicta; ac tandem quod prædicto Conventui sint adjacentia duo viridaria, quæ existunt intra Claustrum, & sunt maxime sufficientia pro Fratrum commodo, & deambulatione; existimo propterea, contractum emphyteusis initum cum Colarile esse perutilem primario Ecclesiæ & Sacristiæ, secundario ipsi Conventui, ac proinde istam Sac. Congregationem, nisi aliter EE. Vestris videatur, petitum Apostolicum assensum posse impertiri.*

Generalis contra Ordinis Procurator nullitatem sustinet contractus *ex relatione P. Commissarii ab illius Provinciæ Ministro delegati*, omnemque impugnat Cænobii, vel Ecclesiæ utilitatem. Accuratissimum memorat examen super observantia Instituti, jussu *Benedicti XIII.* expletum anno 1724. in singulis Religionis Cœnobiis; *nec quidquam*, ait, *a Patribus, qui tunc pro Conventu Beneventano deputati fuerunt, in eodem Coenobio fuit inventum, quod statui nostro repugnaret, quemadmodum liquet ex relatione, quæ in hoc Aracoelitano archivio generali servatur.* Sylvam, cujus usum dumtaxat habebant Religiosi, valide cedi non potuisse, causasque cessionis, & emphyteusis simulatas fuisse contendit. Rogatque demum, ut inhibeatur = *Superioribus aliisque Religiosis illius Coenobii præsentibus & futuris, nec non Apostolicis ejusdem Syndicis pro tempore, ne post hæc sylvam, vel mi-*

minimam ejus partem ulli ad culturam, aut ad alium quemcumque effectum, ne verbaliter quidem concedant, ſed illa Religioſi ipſi utantur, in omnibus & per omnia ad eos dumtaxat uſus, quos Regula, & S. Sedis, atque Ordinis leges permittunt. Res igitur in hoc conflictu EE. Veſtrarum judicio ſub infraſcripto proponitur Dubio,

Qualis præ omnibus fuerit Capitularis reſolutio, ex qua ſylvam ceſſit Syndicus, videndum eſt. Fides ejus loco exhibetur Notarii Franciſci Zoppoli, qui Religioſos quatuor de tribuenda Syndico facultate diſponendi de ſylva extra Capitulum interrogavit. Num contra ſententiam *Pellizar. manual. Regular. de Capitul. Regular. tract. 9. cap. 8. ſect. 1. num. 4. & 5. tom. 2.* Capitulari æquipolleat reſolutioni hujuſmodi fides, EE. Veſtræ decernent. Quatuor præterea interrogati fuerunt Religioſi, nec omnes vocatos fuiſſe conſtat Capitulares, ut a majori, & ſaniori Capituli parte edita cenſeatur reſolutio, per *Text. in Cap. De his, quæ fiunt a major. part. Capit.*, *Gibert. in Jus Canon. tom. 2. pag. 489. ſect. 18. per tot.*, *Leurenn. For. Benefic. tract. 3 part. 2. quæſt. 493. num. 1.* Ac ipſimet tandem Religioſi, de quibus loquitur Notarius, deponunt = *che non vi fù convocazione Capitolare ad ſonum campanelli, come nella ſcrittura* (Notarii Zoppoli) *ſi aſſeriſce; e non hanno mai eſſi affermato, che la ſelva non poteſſe da Religioſi tenerſi a tenore delle loro Regole, e Coſtituzioni*, quodque otii tempore a Notario interrogati = *ſe erano eſſi contenti di quanto avrebbe diſpoſto il Sindaco intorno alla ſelva, riſpoſero che erano contenti, penſando, che il Sindaco aveſſe voluto ſemplicemente tra i limiti del giuſto, e dell' oneſto introdurre altro Colono, ſcacciandone le Donne di Riſo.*

Sed poſita etiam canonica reſolutione Capitulari, hoc inſuper quærendum, num tribuere potuiſſent Capitulares Syndico facultatem alienandi ſylvam. Supponi in eis deberet pro affirmativa illius dominium, quod tamen ad Sanctam pertinet Sedem, ut ex *cit. Cap. Exlit, de verb. ſignificat. in ſexto*, probant *Matth. de Offic. Cur. Eccleſ. cap. 17. pag. 113. num. 31. & 32.*, *& Card. de Luc. in adnot. ad Sac. Conc. Trident. diſc. 35. num. 14.* Contraria inſuper fuiſſet ipſorum reſolutio decretis Capituli Generalis Ordinis 14. Junii 1628., quibus ſtatutum fuit, ut non poſſent = *Fratres inſtrumenta publica, nec capitulariter congregati ſtipulare &c.* ſed quoad bona immobilia = *Generalis cum conſilio Guardiani, & Diſcretorum Conventus in uſum Fabricæ Eccleſiæ, & Conventuum provide-*

ret, teste *Card. Petra in Conſtit. Apoſtol. tom.2.pag.459. num.43.* Ad validam autem bonorum Eccleſiæ alienationem ſpectanda potiſſimum eſt alienantis poteſtas; *Text. in Cap. Potuit 4. de locat. & conduct, & Leg.1. & 3. Cod.de jur. emphyt.*

Hiſce difficultatibus ex propria occurrit Syndicus facultate; nam veluti procurator Sedis Apoſtolicæ, *Matth. de Official. Cur. Eccleſ. pag. 43. numer. 58.*, ea omnia in utilitatem Fratrum diſtrahere valet, quæ licite ab ipſis retineri non poſſunt ex *Conſtit. 1. Pauli IV. §. 11. Bullar. Cherubini tom. 1.*, de qua *Roderic. quæſt. canon.*, *& regul.27. artic.6. tom.1. pag.180.*, *Fagnan. in Cap. Nimis num.46. & 55. de exceſs. Prælat.* Negat vero Procurator Generalis, retineri ſylvam non poſſe a Beneventanis Patribus *in proprium uſum*, ut opportunius infra in diſquirenda alienandi neceſſitate dicam. Et hac, inquit, de cauſa Capitularium requiſivit conſenſum, eoque in illa cedenda uſus fuit Syndicus. Ipſum de cetero redarguit, quod ſylvam potius, nullo Miſſarum onere gravatam, non vendiderit, ut ad formam *Paulinæ Conſtitutionis* in utilitatem Fratrum converteret pretium, vel Beneventanæ renunciaverit Communitati, a qua proceſſerat, quatenus ejus poſſeſſionis incapaces Religioſos cenſuiſſet.

Propius nunc ad rem. Permittitur bonorum Eccleſiæ alienatio vel ex urgenti neceſſitate, *Cap. Dudum 1. de reb. Eccleſ. non alienan. in ſexto*, vel ex evidenti utilitate, *Extravag. Ambitioſæ, eod. tit.* Ceſſionis ſylvæ neceſſitas deſumi poſſet in noſtro themate ex prohibita Minoribus Obſervantibus poſſeſſione bonorum, *Cap. Exiit, qui ſeminat §. Ad hæc, & Clem. Exivi §. Item quod de verb. ſignif. in ſexto*; & ex remoto ſcandalo acceſſus mulierum ad Clauſtra. Utilitas vero ex majori per emphyteuſim quæſito canone in manutentionem Sacrarii, cui licet hujuſmodi accipere præſtationes abſque minoriticæ paupertatis læſione, *Barboſ. de Jur. Eccleſ. lib.3. cap.28. n.76.*, *Ventrigl. in Prax. part2. adnot.28. § 4. num. 17.*, *Amoſtaz. de Cauſ. Piis lib.4. cap.3. num.78.*

Ad excludendam contra Illius neceſſitatem, animadverti poſſet cum Superioribus Religionis, quod retineri a Beneventanis Minoritis potuiſſet, & poteſt ſylva in proprium uſum, dummodo fructus non diſtrahant, ut diſponit *cit. Clemet. Exiit. ſub §. Verum etiam.*. Et ita plurium ſæculorum ſpatio ſervatum fuiſſe conſtat ex Viſitatione

tione anni 1724. ſub *Benedicto XIII.* Alia quidem duo intra Clauſtra ſunt viridaria, *ſatis ſufficentia pro Fratrum commodo, & deambulatione*; notat tamen Procurator Generalis, quod ſtabilium retentio nedum permiſſa eſt *ad recreationem, ſed etiam ad recollectionem, nec non ad habenda neceſſaria hortalitia pro ſe ipſis*. Si iterum ergo priorum ſæculorum conſuetudine in hunc uſum deſtinabitur ſylva, jam ejus judicio, longe erit ſcandalum, omniſque mulieribus auferetur occaſio accedendi ad Clauſtra. Neque vera autumat mala, quæ ex irruente Flumine *Calore*, Sylvæ, Cœnobio, Eccleſiæ Imminere aſſeruntur. Longe enim Sacræ Ædes a Flumine, in eminentiori poſitæ ſunt loco, ne ab irruptionibus timeant. Satis vero ad tuendam ſylvam per ſæcula fuerunt populi, ſaliceſque in ripa, quos lucri cauſa Colarilius depopulavit.

Aſſertam quoque Procurator Generalis deſpicit emphyteuſis utilitatem, veluti directam ad certos Cœnobio parandos reditus palliato Sacrarii, & Eccleſiæ nomine. Eam nihilominus inficiatur ob prætermiſſam edictorum affixionem, ex qua meliores haberi potuiſſent oblationes, nec defuiſſe affirmat, qui annuum obtulit canonem ſcutorum 35. Alienationi enim bonorum Eccleſiæ præmittenda ſunt edicta, ut ſtatuit Sacra Congregatio *in Neapolitana, ſeu Caven.* 15. *Januarii* 1724. *ad I. Dub.*, *& in Nullius, ſeù Sublacen.* 15. *Aprilis* 1780., & ad eam Syndicus etiam tenetur Apoſtolicus, ut eadem declaravit Sac Congregatio in Cauſa *Ordinis S. Franciſci* 18. *Martii* 1719. per reſcriptum: *Quoad mobilia pretioſa, Eccleſiæ incorporata, eſſe neceſſarium Beneplacitum Apoſtolicum. Quo vero ad omnes alias res non poſſe in poſterum Syndicos procedere ad venditionem, niſi prævia edictorum affixione, ut venditio fiat majori ablatori.*

Maxime, quia res in ſubſtantia de emphyteuſi eſt perpetua. Quamvis enim ad unum & alterum ſtipulata ſit vigintinovennium, beneficium tamen ſibi Colarilius reſervavit *Beneventani Statuti*, in quo de perpetua diſponitur illius renovatione, auctо tamen peritorum judicio in ſingulis renovationibus canone, ut *lib.*2. *cap.*32. *tit. de jur. congr.* Abrogata quidem quoad eccleſiaſticas conceſſiones fuit ſtatutaria hæc diſpoſitio a *Benedicto XIII.*, per Literas in forma Brevis relatas *in appendic. ad Conc. Roman. pag.* 145., eam tamen per aliud Breve, quod incipit, *Alias*, reſtituit die 12. Martii 1732. Clem. XII. in hæc verba: *Statu-*

tum, & declarationem ejusmodi in pristinum, ac eum in quo ante supradictas Benedicti Prædecessoris Literas erant, usum, ac statum, ita ut in posterum, in Civitate tamen Beneventana ejusque Territorio dumtaxat, plenarie observari, suosque integros effectus sortiri, & obtinere debeant, restituimus, reponimus, & reintegramus &c. Non obstantibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, Benedicti Prædecessoris Literis, aliisque præmissis.

Assueta igitur maturitate deliberandum.

An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.

Negative.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ROMANA SUSPENSIONIS DOTIUM. Subsidii Ecclesiastici Urbis Sacerdotes obtinuerunt anno 1783. a *SSmo Domino Nostro PIO VI.* Ecclesiam suppressi Sodalitii SS. Catarinæ, & Ursulæ *cum omnibus honoribus, & oneribus*. Hæc autem erant onera. Tria per biennium ex Testamento Dominici Guidarelli subsidia dotalia scutor. 14. pro quolibet, *e nel terzo anno tante vesti in pezza di roverso*: alia quatuor scutor. 30. ex Testamento Firmi Calvi, ita tamen, ut decrescentibus reditibus, *il frutto, che si caverà, si debba tutto per egual rata distribuire a dd. Zitelle*: & annuæ ex diversis Legatis Missæ 141.: anniversaria tria. Primi oneris fundus Loca erant viginti Montis Ursini, nunc 18. 17. centes. Montium S. Petri sexti, & octavi, annui fructus scutor. 53. 60. Domus est secundo annni reditus scut. 92., *computato sopra l'effettivo incassato di un decennio*, annua scuta 30. 97 ½ ex Locis 10. 40. centes. diversorum Montium, & scuta undecim ex canone debito ab hæreditate *Reina*. Ac tertio demum Loca 12. 4. centes. annui fructus scutor. 35. 51 ½

Vix Ecclesiæ possessionem adepti, eam Sacerdotes debitri-

cem

cem noverunt ſcutor. 596. pro tot dotibus ad ann. 1782. promiſſis, neque ullum pro illarum ſolutione eſſe depoſitum, redituſque ſuppetere. Sacræ idcirco Congregationis ſupplicarunt pro ſuſpenſione futurarum dotium, comprehenſis illis, *che ricaderanno o per morte, o per qualunque altro evento*, uſque ad extinctionem debiti. Confirmavit in prima Informatione Emus Urbis Vicarius hujuſmodi debitum pro dotibus circiter viginti; ſed opportune addidit, quod *hoc circiter biennio, quo Societatis loco Collegium eſt, nupſerumt duę, ut audio, vel tres, quæ promiſſarum traditionem dotium conſequutæ dicuntur ex annuis decurrentibus Legatorum reditibus*.

Iterum deinde rogatus, activum & paſſivum in ſecunda informatione exhibet Legatorum ſtatum, quorum primus in annuis conſiſtit ſcutis 223. 09., ſecundus ad ſcuta attollitur 306. 24. Detrahendas tamen cenſet a ſtatu paſſivo expenſas, quæ ad Legata Miſſarum non pertinent. Hoc namque onus non excedit ſummam ſcutorum 20.; ſed illud Ratiocinator Collegii ad ſcuta evehit 77. 28. $\frac{1}{2}$ per ſalarium Sacriſtæ, canonem debitum Collegiatæ S. Marci, reparationes Eccleſiæ, & ſimilia, ad Otatores potius ſpectantia, quibus ultro petentibus, & acceptantibus conceſſa fuit Eccleſia *cum omnibus honoribus, & oneribus*. Notat contra, quod ſuſpenſio duarum dotium conceſſa Eccleſiæ ad ſummam ſcutorum 65. in ſupplementum Miſſæ quotidianæ, Sacrorumque Utenſilium, expiratura erat anno 1787., *ex quo fit, ut integra redeunte ſumma iſta ad priſtinum deſtinatum uſum in dotes Calvi, Collegium ea ſit caritarus ope, qua ſuæ cultum decuſque poſſit Eccleſiæ ſervare; atque exinde ſtatus idem paſſivus aliud longe majus, majorique miſeratione dignum perferet incrementum*. Atque hinc tanti non eſſe autumat clauſulam *cum omnibus honoribus, & oneribus*, in Pontificio Brevi adjectam, *ut ab æquitatis ſtudio cultuque recedatur, utque ſupplicibus minime ſuccurratur Presbyteris, tanto nec opinantibus, obrutis & oppreſſis malo*.

Pigebit (ſunt adhuc ejus verba) *tam multis afferre dotibus vaſtitatem. Sed non fiet id temere. In primis enim neque Collegii culpa, neque ipſius extinctæ Societatis fraude, ſed caſu, & vi quadam majore id mali eveniſſe conſtat ex calculo Debitorum ejuſdem Univerſitatis; unde inſuper aſſequimur, non ſola ſcuta 596., quæ in quæſtionem veniunt,*

ſed

ſed mille circiter quadringenta a pluribus ædium dotalium Inquilinis ad hanc diem deberi, neque ſpem prope ullam ea conſequendi extare [Ita enim refert Collegii Ratiocinator) *Nubentium deinde honeſtas, plurimaque procreandorum inde Civium frequentia, bona ſunt hæc dotibus ac matrimoniis pro ſuo amborum merito accuranda, & juvanda: ſed Clericorum educatio ac delectio ſedula, ad hoc eſt comparata divinitus, ut Evangelicæ propagatione lucis tota, quæ in Terris eſt, Civitas Dei omnibus cumuletur bonis. Atque hi ſunt certe uberes illi, ſuaveſque fructus, quos ab Eccleſiaſtici Rectoribus cultoribusque Subſidii in dies afferri SSmus D. N. ſuarum in fronte teſtatus eſt Literarum.*

Suſpenſioni dotium obſtat Juris diſpolitio. Dum enim Collegium Subſidii Eccleſiaſtici ſubrogatum eſt *cum omnibus honoribus, & oneribus* in locum extinctæ Societatis, in debitum quoque ſubſidiorum dotalium ſucceſſit, *Text. in Leg. Res, quæ, ibique Gloſſ. ff. de jur. dot.*, iliudque ſolvere teneretur de proprio, *Card. de Luc. de donat. diſc. 24. num. 5.* Ex pluribus tamen favet æquitas. Contractum a Societate fuit debitum ex veriſimili cauſa Inexactæ ſummæ ſcutorum 1400. ex penſionibus domus Calvi. Si quæ ergo in his terminis adhibita erga illam fuiſſet indulgentia, eo magis adhiberi poſſet erga Collegium, quod nullam in ejus facto habuit partem. Vix præterea Legatorum vires futuris ſuppetunt oneribus, ut ex ſtatu activo, & paſſivo demonſtratum eſt; ideoque cum gravi Clericorum detrimento ſolvendum eſſet debitum a Collegio, ut Emus ponderat Vicarius. Per ſuſpenſionem denique futurarum dotium certæ dimitterentur Puellæ, quibus pollicitum eſt ſubſidium, idemque ſuſpenderetur beneficium incertis, quibus idcirco nulla fieret injuria, *Rot. cor. Emer. jun. deciſ. 306. num. 7. cor. ſan. mem Clem. XIII. deciſ. 227. num. 2. & 7.* Similem porro ſuſpenſionem conceſſit Sacra hæc Congregatio *in Romana ſuſpenſionis dotium 7. Julii 1787.*

Quatenus autem Oratoribus indulgere placeat, quærendum erit de ſuſpenſionis modo. Haud ſimul certe in Domino, vel ſæculo nubent Puellæ, quibus dotalia debentur ſubſidia. Deliberandum ergo, num ad eas per intervallum menſium, & annorum dimittendas, integra opus ſit futurarum dotium ſuſpenſione, vel partiali tantum cum additamento dotium, *che ricaderanno*, ne ſubſidiis omnino aliæ Puellæ deſtituantur. Annui reditus Guidarelli, & Calvi, dotibus deſtinati, ſummam conſti-

ſtituunt ſcutorum 187. 57. $\frac{1}{2}$, dotium debitum ad ſcuta aſcendit 596.

Quæritur ergo.

An & quomodo ſit locus ſuſpenſioni dotium in caſu &c.

Non propoſita cum ſequentibus.

FAVENTINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Teſtamento legavit anno 1773. Sacerdos Petrus Seccadelli Laurentio ejus nepoti annua ad vitam ſcuta decem, triumque domorum uſumfructum cum ſubſtitutione filiorum ejus in proprietate, eique ſub pœna caducitatis interdixit = *nè pretendere alcun'altra coſa dalla mia eredità, ne ſuſcitare ne promovere contro quella alcuna forte di ricorſo, o litigio*. Univerſalem vero heredem ita Congregationem Paulinam Briſighellæ inſtituit. Fieri per eam volult inveſtimentum ſcutorum 500. Annua ex fructibus ad ſummam ſcutorum 60. cumulari mandavit ſcuta decem, cumulique ſcuta 50. ſubminiſtrari Civi, qui religioſum aſſumere vellet Minorum Obſervantium habitum, & ſic deinceps *a comodo e ſuſſidio di altro ſimile Giovane in perpetuo di volta in volta*; vel nullo ad id concurrente, inter pauperes diſtribui Juvenes, qui patrias frequentarent ſcholas. Et inter hos partiri etiam juſſit ſuperextantes inveſtimenti fructus. Paulina vero Congregatione non acceptante, heredem inſtituit Animam ſuam, omnemque hereditatem, dempto Nepotis legato, in tres dividi mandavit partes = *ed una di queſte ſia diſpenſata alli Poveri di queſta Terra in tante limoſine nel tempo e termine di due anni, ſe ſarà poſſibile: la ſeconda ſia erogata in tante Meſſe e Sacrifici da celebrarſi dalli RR. PP. dell'Oſſervanza in numero di 500. l'anno in fino a tanto, che ſarà conſumato, e finito tutto l'aſſe della mia eredità: la terza finalmente ſia erogata in tante Meſſe nella Chieſa del Suffragio di detta Terra*. *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

Alia

Alia deinde pius Sacerdos per Codicillos anni 1778. demandato investimento addidit scuta 200. Annuum vitalitium scutorum 10. ad filios extendit, filiasque Nepotis. Hoc vero fine filiis decedente, vitalitium pensionesque domorum inter pauperes distribui voluit Puellas. Ac Paulinæ tandem Congregationi Societatem substituit Suffragii, mandavitque = *che restando sempre salvi li legati da me fatti a favore di Lorenzo mio nipote, e suoi figli e figlie, faccia celebrare tante Messe la metà nella Chiesa della stessa Confraternita del Suffragio, e l'altra metà nella Chiesa de PP. Minori Osservanti in fino a tanto che siano evacuati ed erogati nelle limosine di dette Messe li scudi 500. espressi nel Testamento, e rispetto alli scudi 200. del presente codicillo faccia celebrare altre Messe nella propria Chiesa del Suffragio, quante comportano li detti scudi 200., detratti gli Utensilj; e lo stesso faccia del valore, che si ricaverà dalle Case dopo la morte di mio Nipote, se egli morirà senza lasciare figli dopo di se,*

Testatore sub annum 1784. defuncto, hereditatem repudiarunt Paulina Congregatio, & Societas Suffragii. *Sanctissimo* igitur *Domino Nostro* supplicavit Laurentius illius nepos, ut hæreditaria sibi bona, vel eorum partem, aut tres saltem domos perpetuo concedere dignaretur sub certo Missarum numero *a Sanctitate Sua* præfiniendo, ac sine præjudicio remuneratorii legati mobilium, & creditorum, relicti in aliis Codicillis Catarinæ Morini, Testatoris ancillæ; sibique etiam caducitatis pœnam remitteret. Precibus autem ad Sac. hanc Congregationem remissis, hactenus exposita Faventinus confirmat Episcopus, iuribusque informationi adnexis probat, nullos Oratorem ex præsenti matrimonio habere filios, *sed fortasse non absque spe esse successionis ab altero matrimonio, cum Uxor, quam habet valetudinariam, non multos annos secum ferre posse videatur*: ære suo domos reparasse vivente Testatore: *& licet modo pauper dici nequeat pro alimentis, colligitur tamen, pauperem esse, & infirmitate, aut impotentia agendi supervenientibus, extrema etiam inopia laborantem, & in gravi insuper paupertate pro alimentis constitui posse*: atque ex his censet = *vel integram hereditatem, quæ vix ad scuta* 750. *in totum pertingit, Oratori concedendam, quod & ipse postulat, onere tamen injuncto Missarum manualium infra unum vel alterum annum celebrationis pro summa scu-*

to-

torum 50., *& totidem in pauperum ſubſidium erogandæ* (*quæ duo ſpectabant tum prima, tum poſtrema Teſtatoris verba*) *atque demum docendi di ſatisfactione*. Res igitur ſub infraſcriptis proponitur Dubiis,

De commutanda in primo agitur voluntate, ac juſta in id, & neceſſaria concurrere debet cauſa, ex præſcripto *Sacri Conc. Trident. Seſſ.* 22. *cap.* 6. *de Reformat.* Potiſſima in caſu noſtro obtinendæ gratiæ cauſa, Oratoris eſt paupertas. Hæc ipſi in ea parte legati, quæ pauperes reſpicit, veluti Teſtatoris nepoti prodeſſe poſſet, *Piringh. lib.* 3. *tit.* 26. *num.* 35., *& Sac. Congregatio in Urbinaten. ſeu Ariminen.* 25. *Januarii* 1784., in altera vero celebrationis Miſſarum, reductionem mereri, *Card. de Luc. de Teſtam. diſc.* 72. *num.* 15. *& ſeq.*, *& Sac. Congregatio in Nucerina Paganorum Reductionis Miſſarum* 5. *Septembris* 1788.. In hanc enim duplicem cauſam ex Teſtamento, & Codicillis eroganda eſſet hereditas, attenta utriuſque heredis repudiatione.

Urget contra enixa Teſtatoris voluntas, qui Nepotis ſtatum non ignorans, ſatis ei conſultum cenſuit per annuum vitalitium ſcutorum 10., & uſumfructum domorum, prohibuitque ſub pæna caducitatis, ne ſuam diſpoſitionem impugnaret. Conſuluit immo naſcituris ejus filiis, ad quos vitalitium *&* uſumfructum extendit. In his porro terminis deliberandum, utrum privata paupertatis cauſa, quæ Teſtatorem a pio opere non retraxit, ſatis ſit ad derogandam ejus voluntatem, contra monitum *Divi Bernardi lib.* 3. *cap.* 4. *de conſiderat. ad Eugen. Pap.*, *& Covar. var. reſol. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 7.. Præſertim cum Vicarius Foraneus ad Epiſcopum retulerit, quod = *La Fede, de gravi Oratoris paupertate pro alimentis, non può averſi perchè il Saccadelli preſentemente non è povero, ne può dirſi tale, ſe non in ſenſu latiſſimo; mentre il medeſimo è uſufruttuario a tenore del Teſtamento del Zio Sacerdote di trè Caſuccie, ed eſercita arti ſufficienti a procacciare il pane a più perſone*.

Quæritur ſecundo de caducitate. Si ratio ſpectetur, ex qua illam Teſtator indixit, in eam incidiſſe videretur Orator, qui prohibitum explevit recurſum. Si perpendantur vero prohibitionis verba, reſtricta dici poſſent ad caſum, quo diſpoſitionem Orator ſive per recurſum, ſive per litem impugnaret, ideoque a præſenti caſu aliena, in quo gratiam poſtulat. Quælibet autem ad excludendam caducitatem ſumenda eſt interpretatio, *Gra-*

tian. discept. 675. *num.* 33., *Card. de Luc. de emphyt. disc.* 26. *num.* 4., *& disc.* 33. *num.* 6.

Dubia sunt.

I. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis in casu &c.*

II. *An sit locus caducitati in casu &c.*

Sess. 22. *cap.* 6. *de Reform.*

ÆSINA LEGATI. Æsinus Carmelitarum Conventus activum anno 1739. constituit censum in sorte scutorum 100. cum Angelo Bruni, ex propriis nempe scutis 50., allisque 50. *dati al Ven. Convento da Persona divota in mano del P. Baccelliere Galletti, acciò ancor questi resiino rinvestiti a comodo della Persona medesima in quanto alli frutti, durante la vita di essa, e rispetto alla sorte, che questa dopo la morte di d. Persona da nominarsi da detto P. Baccelliere sia a favore di detto Ven. Convento.* Morti deinde proximus, per schedam Pater Galletti declaravit, quod *vi sono scudi* 50. *dati a censo al Signor Angelo Bruni pro persona nominanda, quali faccib sapere, che è della Signora Chiara Rosati, quali a me ha consegnato con luściarli al Convento, che li celebri tante Messe in perpetuo, quanto renderà il frutto del medesimo censo a ragione di due paoli per una; e questo quando una volta si renderà al Convento, e che se ne facci tutta la diligenza: e ciò se vorranno acconsentire i Padri, mentre non intende la medesima di aggravare il Convento ogni qualvolta fossero perduti.* Ad hæc tamen tempora hujusmodi declaratio latuit.

Nunquam præ inopia debitoris census, neque per Patrem Galletti, neque per Claram Rosati, neque per Conventum exacti fuerunt fructus scutorum 50.. Integra autem Conventui de anno 1777. restituta sorte, erogata fuit cum majore illius pecuniæ copia in emptionem Latifundii, quod æstimatione Periti, annua in singula centum proxime elapso novennio reddidit scuta quatuor, & obolos 19. Comperta tandem ab hodiernis Patribus Galletti scheda, trla ab EE. Vestris postularunt: *Primo*, an illius

illius virtute celebrare debeat Conventus Miſſas ab anno 1761., quo Clara Roſati deceſſit, ad rationem obolorum 20. pro qualibet: *ſecundo*, quo eas in numero ex incerto fructu ſcutorum 50. celebrare teneatur: Et *tertio*, an opus ſit modo ſuorum Superiorum venia, ut perpetuum onus aſſumant. Quæ expoſita ſunt, documentis confirmavit Æſinus Vicarius Capitularis: a ferendo tamen abſtinuit ſuffragio.

Pro negativa primi poſtulati reſolutione qualitas urgere poſſet ſchedæ, ex qua reſultat celebrationis Miſſarum obligatio. Ea namque tanquam a privato Religioſo conſcripta, ſatis non eſt ad inducendam Conventus obligationem, *Reinfeſt. de fid. inſtrum. §. 5. num. 135.* Ponderandum tamen, quod veluti in articulo mortis exarata, præſumptionem habet veritatis, *Maſcard. de probat. concl. 359. num. 28. & ſeq. Gen. de ſcript. priv. lib. 1. quæſt. 12. num. 1. & ſeq.*, quodque reſpectu ad originem ſcutorum 50. a pia Perſona, ſincera deprehenditur ex duplici inſtrumento cenſus, & emptionis Latifundii. In hac parte enim vera, talis etiam in altera celebrationis Miſſarum cenſetur *Gratian. diſcept. 951. num. 5., Card. de Luc de Benific. diſc. 76. num. 25.*

Si explorata autem videbitur hujuſce celebrationis obligatio, deliberandum erit de tempore, a quo expleri debeat. Ne ad eam Oratores ab obitu Claræ Roſati teneantur, ex eo ſuaderi videretur, quod teſte Vicario Capitulari, *tantummodo ab anno emptionis relati Prædii* (1777.) *Cœnobium prædictum fructum percepit dictorum ſcutorum 50.*. Ex ipſa enim ſcheda Galletti conſtat, noluiſſe piam Mulierem *aggravare il Convento ogni qual volta foſſero perduti*. Loquuta quidem fuit de capitali: ſed eadem ratio eſt de fructibus. Secum alia ex parte reputent Emi Patres, num culpa vacaverint Religioſi, qui aſſuetum *Salviani Interdicti* remedium ſuper fundo cenſito neglexerunt.

Oratoribus quoad ſecundum prodeſt incertitudo fructuum Latifundii, quod Cœnobii nomine colunt. Eis tamen obeſt *novennis* illorum liquidatio in annuis ſcutis 4. 19. pro quolibet centenario, ſeu ſcutis 2. 09. $\frac{1}{2}$ pro capitali ſcutorum 50. a Clara Roſati proveniente. Et ad tertium denique; opus quidem eſt Superiorum licentia, ut perpetuum Miſſarum onus Religioſi aſſumant, ex *Conſtitutione* Nuper *Innocentii XII. §. Ad hæc, de qua Benedict. XIV. de Synod. Diœceſan. lib. 13. cap. ultim. §. 10. &*

Girald. in Jus Pontific. tom. 3. *pag.* 896. §. 8.; sed prudentia sua Emi Patres decernant, num ea amplius indigeant, qui jamdiu scuta acceperunt 50., & Superioribus annuentibus, in censum prius, deindeque in emptionem Prædii erogarunt.

Respondere igitur dignentur.

I. *An, & a quo tempore sit locus celebrationi Missarum in casu &c.*

Et quatenus affirmative,

II. *An, & in quo numero celebrari debeant in casu &c.*

III. *An pro hujusmodi effectu indigeant Oratores licentia Superiorum Religionis in casu &c.*

Die Sabbathi 25. Aprilis 1789. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUÆ ad tertiam ſequuntur Cauſæ, ſub judice in præcedenti Folio diei 4. labentis menſis remanſerunt.

ROMANA SUSPENSIONIS DOTIUM. *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

An, & quomodo ſit locus ſuſpenſioni dotium in caſu &c.

Affirmativè pro omnibus etiam dotibus recaſuris uſque ad extinctionem integri debiti.

FAVENTINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

I. *An, & quomodo ſit conſulendum Sanctiſſimo pro commutatione voluntatis in caſu &c.*

II. *An ſit locus caducitati in caſu &c.*

Ad I., & II. Negativè.

ÆSI-

eſſ. 22. cap. 6. e Reform.

ÆSINA LEGATI.

I. *An, & a quo tempore ſit locus celebrationi Miſſarum in caſu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & in quo numero celebrari debeant in caſu &c.*

III. *An pro hujuſmodi effectu indigeant Oratores licentia Superiorum Religionis in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè a die facti Inveſtimenti.

Ad II. Affirmativè in annuis Miſſis decem.

Ad III. Proviſum in ſecundo.

eſſ. 23. cap. 18. & Seſſ. 25. cap. de Reform.

ARIMINEN. SUSPENSIONIS ONERUM. Propoſita hæc Cauſa fuit in Congregatione 20. Decembris elapſi anni 1788., prodiitque reſcriptum: *Dilata, & ſcribatur Epiſcopo juxta inſtructionem, nempe referat de actuali taxa pro Seminario, ejuſque annuo reditu.* Hæc igitur refert Epiſcopus: *Taxa, quam a Menſis Epiſcopali, Capitulari, nonnulliſque aliis Abbatialibus, & a Beneficiis, ac Locis piis Seminarium quotannis exigit, ad ſcuta 222. 62. 2. pertingebat, antequam plures Parochiæ Ariminenſis Diœceſis Cæſenatenſi unirentur. At poſt unionem ſcuta 190. 76. 8. non excedit, ſicuti jam relata apparet in ſtatu Seminarii, alias Sac. Congregationi tranſmiſſo. Quamvis præciſe non conſtet, quo tempore impoſita illa fuerit, certum tamen eſt paullo poſt Concilium Tridentinum exigi cepiſſe. Extant enim in Seminarii Archivio illius exactionis libri, ab anno 1583. ad hæc uſque tempora conſcripti, ex quibus inſuper colligitur, quod quæ Menſæ, Beneficia, & Loca pia imperata ab initio ſunt taxam ſolvere, eadem ipſa jugiter ſolverunt, & adhuc ſol-*

ſolvunt. Ratio autem illam ſolvendi eadem pariter mox eſſe creditur, quæ retroactis temporibus uſque fuit, eaque non ſolum non eſt ſcutorum trium, ſed ne unius quidem ſcuti pro ſingulis centum.

Si ſtandum eſſet præfati Concilii Tridentini Sanctioni, Seminario Ariminenſi ſeptingenta, & octoginta ad minus Beneficia, Menſæ, & Loca pia taxam promere deberent, unde magna ſane pecuniæ vis quotannis colligeretur; idque vel maxime, ſi ad rationem ſcutorum trium in ſingula centum fieret ſolutio. Verum non plura, quam centum quinquaginta unum ab initio taxata ſunt, totque ad ſolutionem illius hactenus præſtare conſueverunt. Deprehenſum abuſum in Seminarii viſitatione emendare ipſe ſtudens, decreto tum edito ſancivi, ut ad mentem Concilii Tridentini ratio ſolvendæ taxæ augeretur, omneſque adigerentur ad illius ſolutionem. Decreti novitatem nimis ægre quidam ferentes, agmine quodammodo facto, illico ceperunt illius executioni reluctari, & diuturna lite Seminarium vexare minati ſunt; quo factum, ut Seminarium liti ſuſtinendæ impar, ab incepto deſtiterit.

Nihilo minori obſiſtentiæ obviam ire mox oporteret, ſi pro reſtaurandis Seminarii fabricis quidquam eſſet ſuper taxa innovandum. Qui namque fiet, ut tot Beneficiorum Rectores, totque Loca Pia onus alias rejectum ſubire modo velint abſque reluctantia? Porro ſi Juris remediis curanda res, quot expenſis, quot tricis, quonam tempore opus erit, antequam conficiatur? Interim vero, quo tot abibunt rurales, & urbanæ domus, quæ male nimis ſeſe habent, & quas inter quædam inhabitabiles factæ ſunt, altera vero a fundamentis Jam concidit? Neque una hæc adeſt ratio ab augmento, & impoſitione taxa hac tempeſtate abſtinendi. Quotquot ſunt in Civitate ac Diœceſi tum Menſæ, tum Beneficia, & piæ Inſtitutiones, communis infortunii damna plus minuſve ſentierunt. Paucis exceptis, quibus minora fuerunt incommoda e Terræmotu accepta, & majores ſuppetunt reditus, reliqua pars major ut ſuis fabricis occurreret, ære alieno gravare ſe debuit, & ſuorum onerum vel ſuſpenſionem, vel imminutionem ad tempus impetrare. Jam vero poſtulat æquitatis ratio, ne Beneficia, & Loca pia, dum vix ſibi ipſis valent conſulere, alienis indigentiis ſupplere cogantur. Unaque autem ratio effecit, ne in tanta Seminarii neceſſitate ad augmentum taxæ potius animum ipſe adjecerim, quam ad Legatorum ſuſpenſionem.

His

His igitur, aliisque notatis in Folio 20. Decembris assueta maturitate perpensis, deliberare dignentur Eminentissimi Patres.

I. *An, & quomodo sit providendum reparationi ædium Seminarii Arimini in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit providendum Alumnis Longiani in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta instructionem dandam Episcopo.

Ad II. Provisum in primo.

Sess. 22. cap. 9. de Reform.

RAVENNATEN. LEGATI. Latifundium nuncupatum *le Case bianche* in Argentano possidens Territorio, heredes instituit anno 1677. Bernardina Zavaresi Antonium, Josephum, & Joannem Danzi ejus filios, omnibusque defectis illorum descendentibus mandavit = *che detta possessione (salva però la legitima) vada alla Confraternita, ed Ospedale della Beata Vergine della Cintura de Battuti bianchi nella Terra d' Argenta, con obbligo di far celebrare ogni giorno in perpetuo una Messa all' Altare della Beata Vergine in suffragio dell' Anima di detta Testatrice, e de suoi Padre, Madre, Marito, e Figliuoli*. Ultimus familiæ Danzi Advocatus Vincentius annuum anno 1745. super d. Latifundio, aliisque Argentani Territorii bonis creavit vitalitium cum Præsule Francisco Zambeccari; deindeque anno 1767. heredem instituit Marchionem Jacobum ejus filium, ad quem bona etiam illa ex fideicommissaria Patris dispositione eodem anno delata fuerunt. Octennio Marchionem latuit pia Zavaresiæ dispositio. Hac tandem in perlustrandis scripturis comperta, Sacrorum celebrationem ad hæc tempora curavit, rogavitque nuper Sacram Congregationem pro facultate solvendi scuta 1200. in fundum legati, & absolutione a Missis priori tempore non celebratis.

Utrique petitioni in prima informatione favit Ravennatensis Archiepiscopus. Quoad primam enim censuit = *Che quantunque la Casa Zambeccari collo sborso di scudi 1200., che offre alla Compagnia de Battuti bianchi d' Argenta per l'adem-*

l'adempimento di una Messa quotidiana lasciata per disposizione di Bernardina Zavaresi, gravandone una sua possessione del valore di scudi 1774. 12. (tanti æstimatum fuit prædium in divisione Filiorum Bernardinæ) *venga à guadagnare scudi* 574. 12. (*giacchè forse sottilmente esaminando il dritto delle detrazioni, che pretende il Marchese competergli sull' Eredità Zavaresi, è distituto di fondamento*) *tuttavia potendosi da detta somma di scudi* 1200. *impiegati o in Censi, o in Terreni raccogliere il fruttato necessario per la soddisfazione perpetua di un tal Legato, sembra a mio parere proficuissimo alla Compagnia l'accordare all' anzidetto Marchese la facoltà, che chiede all' EE. Vostre, sul riflesso, che un tale debito potrebbe ancora a non poche dispute soggiacere, le quali tutte restano tolte, e perpetuamente sopite con tale Transazione amichevole. Passatosi in fatti da me il memoriale alla Compagnia, ha essa pure, conoscendo un tal profitto, accettato il proget to a pieni voti. Merita ancora un riflesso la spontanea confessione fatta dal Marchese di un tal debito, che sarebbe restato forse sempre occulto.* Quoad secundam vero, octennem confirmavit Missarum omissionem, eamque tribuere videtur delationi bonorum Danzi ad extraneam familiam Zambeccari.

Iterum de pluribus requisitus, omnia in secunda informatione documentis illustrat. Difficillima ex his apparet antiqui prædii legati, ejusque quantitatis demonstratio ob variata confinia, & quatuor alia per Danzos addita prædiola. Traditum fuit prædium illud Testatrici pro dotali, & extradotali ejus credito scutorum 1760. In veteri relatum est catastro inæstimatum, vixque in novo cum aliis prædiolis in scutis æstimatur 1433. 67. 8. Et annuus tandem ejus fructus primo possessionis Zambeccari decennio, ab anno scilicet 1746. ad totum annum 1755. scuta attigit 47. 86., noviissimo autem decennio, ab anno 1779. ad totum annum 1788., scutà 45. 68. Res igitur EE. Patrum judicio sub infrascriptis proponitur Dubiis.

Subrogatio numeratæ pecuniæ in locum prædii legati species est emptionis venditionis, quæ non aliter Loco Pio, quam ex necessitate, evidentique utilitate permittitur, *Petr. ad Const. Ambitiosæ per tot. de reb. Eccles. non olienan.* Ex hoc necessitas excludi posset cedendi prædium Zambeccario, quod licet difficilis sit antiqua illius designatio, possibilis tamen est, si diligenter ex priorum heredum divisione, & antiquo catastro perquirantur

fines. Maxime, quia adeo difficile non esset separare prædiola per Danzos quæsita annis 1716. & 1717., quum accurate in respectivis emptionum Instrumentis, juxta attestationem Notarii, qui ea perlustravit, descripta appareant. Evidens vero non deprehenditur utilitas in cessione prædii scutorum 1774. 12. pro scutis 1200., quoties Archiepiscopi judicio = *sottilmente esaminando il dritto delle detrazioni, che pretende Il Marchese competergli sull' Eredità Zavaresi, è destituito di fondamento*. Deficiente autem utilitate, fundi legati permutationem denegavit Sacra hæc Congregatio *in Regien. Permutationis* 24. *Julii* 1784.

Ponderandum insuper, quod fructus scutorum 1200. sufficientes forsan non erunt ad congruam perpetui quotidiani Sacri eleemosynam; & quatenus essent, in posterum forsan vel ob eorum imminutionem, vel ob legitimum manualis eleemosynæ augmentum, impares evadere possent. Hinc aut cum gravi præjudicio condemnanda erit Societas ad supplendum de proprio, aut reducendæ Missæ, contra enixum Testatoris præceptum = *di far celebrare ogni giorno in perpetuo finchè durerà il Mondo una Messa &c. qual obbligo debbano gli Uomini di detta Confraternita accettare, o rinunziare dentro il termine di due mesi per rogito di pubblico Notaro* = adeoque enixum, ut Societati non acceptanti substituerit Ecclesiam S. Joannis Baptistæ = *con dichiarazione espressa, che non possa mai in alcun tempo celebrare minori Messe di quelle ha detta Signora Testatrice disposto, per privilegio etiam Pontificio; ma debba onninamente adempire come sopra ha disposto, a ciò obbligandosi in scrittura pubblica, e non accettando, resti all'erede dell'ultimo discendente con il peso ed obbligo a se ed a suoi eredi in perpetuo di far celebrare la detta Messa quotidiana* = Accedit etiam, quod prædium gravatum possidet Orator, ejusque prætensa jura legaliter non probantur. Utrum vero ob assertum illiquidum jus donanda ei sint scuta 574. 12., quot explorato jure ne vix quidem competere possent, EE. Vestræ decernent.

Advertere tamen dignentur Emi Patres, adeo insubsistentes non esse Marchionis prætensiones super prædio legato, ut contemni mereantur. Legitimæ detractio reservata est in testamento Bernardinæ verbis illis = *salva però la legitima* = & ad quoslibet, extraneos etiam heredes transmittitur, *Merlin. de Legitim. lib.* 5. *tit.* 3. *quæst.* 9.

*quæſt.*9. *num.* 1., *& ſeqq.*, *Vel. diſſert.* 11. *num.*79., *& Rot. poſt Calcagnin. de Trebell. deciſ.* 20. *num.* 2.. Et licet hoc ipſum dici nequeat de trebellianica, quæ adverſus piam Cauſam non detrahitur, per *Text. in Leg. Cum dotem ff. ad leg. falcid.*, *Peregrin. de fideicomm. art.*3. *num.*63., competere tamen poſſet Oratori melioramentorum reintegratio, *Petr. de fideicomm. quæſt.*15. *num.* 213., *& ſeqq.*, *Garz. de expenſ.*, *& meliorat. cap.*7. *num.*5., *de Luc. de fideicomm. diſc.* 163. *num.*4., idque fortaſſe gravem pareret litem. Ponderandum ergo, num ad hanc evitandam concedenda potius ſit petita ſubrogatio. In ſimilibus porro terminis permiſſa fuit permutatio *in Fanen. Permutationis* 16. *Junii* 1787. Animadverſionem quoque merentur religio, qua legatum revelavit Marchioſ; recens Prædii æſtimatio in ſcutis dumtaxat 1433. 67., annuus ejus reditus ſcutorum 45.68., quem novum fortaſſe ſuperabit inveſtimentum; Societatis conſenſus; & Archiepiſcopi votum.

Si autem indulgere velint Eminentiſſimi Patres primæ Oratoris petitioni, deliberandum erit ex præmiſſis, num ſatis per ſolutionem ſcutorum 1200. compenſatum ſit Latifundii pretium, quod juxta novum Argentæ cataſtrum, in ſcutis ſaltem conſiſtit 1433. 67., & quomodo novum fieri debeat inveſtimentum. Ubi agitur porro de celebratione Miſſarum, demandari conſuevit in ſtabilibus, *ut in Firmana Oneris Miſſarum* 23. *Junii* 1764.

Quo vero ad ſecundum Dubium, certum eſt, quod celebrationis Miſſarum obligatio inceperit anno 1767., quo per obitum Advocati Vincentii extincta fuit familia Danzi. In hoc namque caſu legatum reliquit Teſtatrix. Priori octennio demandatam celebrationem omiſit Orator ex ignorantia diſpoſitionis, bonaque fide reditus conſumpſit. Veſtrum itaque, Emi Patres, erit decernere, num eam in his terminis mereatur indulgentiam, quam iterum atque iterum adhibuiſtis *in Eccleſien. Onerum*, *& Diſtributionum* 9. *Septembris* 1786. *ad I. Dub.*, *in Reatina Reductionis Miſſarum* 24. *Martii* 1787. *ad II. Dub.*, & noviſſime *in Romana Legati* 10. *Januarii* 1788. *ad II. Dub.*, in qua de diuturniori agebatur Miſſarum omiſſione; ſive potius attenta redituum perceptione, & nulla concurrente conſanguinitatis, & paupertatis juſta, aut neceſſaria cauſa, ſit deneganda. Eam vero a die cogniti lagati expleviſſe aſſerit, ſed non probat. Quis tamen hoc aſſerat, notandum: Nobilis Vir, qui ultro legatum pan-

didit, nec pejerare censetur in præjudicium Animæ, *Mascard. de probat. concl.* 359. *num.* 28., & *seq.*

Deliberare igitur dignentur EE. Vestræ.

I. *An, in qua summa, & quomodo sit locus solutioni pecuniæ numeratæ in locum prædii legati in casu &c.*

II. *An, & pro quo tempore sit consulendum Sanctissimo pro absolutione ab omissa Missarum celebratione in casu &c.*

Ad I. Affirmativè pro scutis 1200. investiendis cum solitis cautelis.

Ad II. Affirmativè celebratis Missis centum.

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

MONTIS ALTI CANONICATUS. Cathedrale Montis Alti Capitulum ex Decano constat, Archipresbytero, & Canonicis decem, quorum duo ex institutione *Xisti V.* de jure patronatus sunt Communitatis Porculæ. Altero e duobus hisce Canonicis defuncto, quatuor in generalibus illius Oppidi Comitiis diei 31. Decembris 1787. fuerunt candidati Sacerdotes, Franciscus nempe Agnelli, Aloysius Ferrari, Nicolaus Guidotti, Michael Prosperi. Tria favore Agnelli, qui reliquos vicit, excreverunt suffragia, novamque idcirco electionem die 9. Februarii seq. anni demandavit Sacra Consulta. Iterum illius favore in secundis Comitiis diei 24. ejusdem Februarii excreverunt suffragia, iterumque Sacra illa Congregatio die 2. Aprilis electionem circumscripsit. Expiraturum erat die 10 quatrimestre, Patronis laicis concessum ad præsentandum. Ne ad Episcopum ergo devolveretur nominatio, duorum mensium prorogationem ab EE. Vestris postulavit Communitas, precibusque die 5. pro informatione remissis, tertia demum acta fuerunt Comitia die 9., ac tertio favore Agnelli excreverunt suffragia octo.

Postremæ huic inhærens electioni, e vestiglo institutionem petlit Agnellus ad Canonicatum, eademque die 9. Aprilis per citationem cameralem inhibuit Ferrarius Promotori Fiscali Curiæ Episcopalis, ne quidquam in id, pendente in Sacra Consulta recursu, innovaret. Diverso hinc consilio Apostolicam Ferrarius adiit Datariam, ut Canonicatum jure devoluto impetraret; Sacram hanc Congrega-

tio-

tionem Agnellus pro ſuæ electionis ſanatione. Reſcripſerunt EE. Veſtræ die 26. Aprilis = *Expectetur exitus Cauſæ in Dataria Apoſtolica, & Sacra Conſulta*; remque die 9. Maii præ omnibus definivit Sacra Conſulta per reſcriptum = *Circumſcripta electione, Partes utantur jure ſuo*. Hoc cognito reſcripto, reſolutam cenſuit Epiſcopus Montis Alti inhibitionem Ferrarii, & ob lapſum quatrimeſtre ad Canonicatum nominavit Clericum Philippum Herculani, qui teſtimonialibus exhibitis illius Literis ſignari obtinuit a Dataria Apoſtolica ſupplicationem ſuper ætatis diſpenſatione, & collatione Canonicatus cum reſervatione annuæ penſionis ſcutorum 15. favore Sacerdotis Aloyſii Zolli. Triplex deinde in Dataria inter Agnellum a Conſilio electum, ac Ferrarium & Herculanum proviſos Apoſtolicos inſtitutum ſuit certamen: ſed quæſtiones tandem ad Sacram Congregationem remiſit Auditor *Sanctiſſimi* quoad omnes & omnia prout de Jure; ac duo modo, Ferrario contumace, inter Agnellum, & Herculanum diſputantur Dubia.

De viribus agitur *ſub primo* electionis Agnelli. Pluralitatem ipſe oſtentat ſuffragiorum. Ei namque in Comitiis 31. Decembris 1787. ſuffragati fuerunt Conſiliarii viginti, Ferrario 18., Proſpero 16., Guidotto 14. In Comitiis rurſus 24. Februarii 1788. uno potiorem candidatum Guidotti ſuperavit ſuffragio; & duobus tandem in Comitiis 9. Aprilis Proſperum, qui ceteris præſtabat. Neque obeſſe contendit ſuffragiorum excretionem; tum quia valida *de Jure* eſt electio, ſi redundantibus detractis ſuffractiis, major adhuc ſuperſit illorum numerus, *Monacell. adnot. ad form.* 22. *tit.* 11. *num.* 25, *Nicol. Floſc. verb. Vox n.* 6., *Set. de Offic. Locumten. cap.* 26. *n.* 6., *& Rot. in Firmana Canonicatus* 21. *Januarii* 1788. *coram Ceſarei*; tum quia Conſiliarii omnes electioni plauſerunt Agnelli, eique patentes etiam dederunt Literas, licet In noviſſimis Comitiis excretionem vidiſſent. Hoc ſane facto ſcrutinii vitium ſanare voluiſſe cenſentur per acclamationem, *Piton. diſcept.* 155. *num.* 22. *Rot. cor. Caprar. deciſ.* 558. *num.* 3. In quolibet autem validæ electionis dubio, ſua Agnellus ne irritetur, ſpectanda eſſe ait natalia, quibus ceteros Candidatos antecellit, *Piton. diſcept.* 156. *num.* 31., *& ſeq.*

Notat contra Herculanus, duas ex tribus præſentium Conſiliariorum partibus ad validam Univerſitatis electionem requiri, tum de Jure, ut poſt *Text. in Cap. Licet. §. Statuimus, & Cap. Eccleſia veſtra §. Verum de elect.* tradunt

Gra-

Gratian. discept. 933. *num.* 21., *Loscæus de jur. Universit.* §. 1. *cap.* 3. *num.* 57., *& seqq.*, *Lotter. de re benefic. lib.* 2. *quæst.* 17. *n.* 2., *&* 3., cum ex locali consuetudine, quam de Picena loquens Provincia, servandam censet *Rot. cor. Dunoz. sen. decis.* 58. *n.* 4., *& cor. Falconer. tit. de Jurepatr. decis.* 17. *num.* 6. *ad* 9.. Hoc autem posito, illegitimam dicit electionem Agnelli, qui in Comitiis diei 9. Aprilis 1788. favorabilia habuit suffragia 13. excrescentibus detractis octo, juxta doctrinam *Fagnani in Cap. Massana num.* 22., *& seqq. de elect.*, contraria 12. Hac ipsa de cetero facta detractione ab uno Agnellum *&* altero ex Candidatis victum ostendit. Ferrarius enim suffragia obtinuit sexdecim, Guidottus quatuordecim.

Comitiis præterea 9. Aprilis interfuisse probat Consiliarium cœcum cognomine Petroccum, ad ferendum suffragium ineptum, *&* Com. Franciscum Mariam Falconi simplicem honorarium, qui consultivum tantum habebat votum; nullamque idcirco, ob mixtionem inhabilium suffragantium, electionem fuisse. *Fagnan. in cit. Cap. Massana num.* 27., *& seqq. de elect.*. Despiciendas vero contendit præcedentes electiones, eamque præsertim 24. Februarii, tum ob parem suffragiorum excretionem, cum ob præstitum ab Agnello consensum novissimæ electioni 9 Aprilis. Qui posteriori enim assentitur electioni, regredi nequit ad anteriorem, suumque jus ex utraque simul dimetiri, *Cap. Ut quis duas, de elect. in sexto, de Nigr. de vacat. Benefic. cap.* 17. *num.* 18. Addi etiam posset, circumscriptas a prima ad ultimam fuisse electiones Agnelli a Sacra Consulta. Ea namque est circumscriptionis virtus, ut actum reducat ad non actum, *Cap. Non solum in fin. de appellat. in sexto, Rot. coram Falconer. de Benefic. decis.* 8. *num.* 3.

Ad secundum quod attinet Dubium, animadverti posset pro contumace Ferrario, qui Canonicatum jure devoluto a *Summo Pontifice* impetravit, quod nulliter Communitas Porculæ intra quatrimestre nominavit. Præsentatio siquidem nulla non impedit, secundum aliquos, devolutionem ad Papam, *Lotter. de Re Benefic. lib.* 2. *quæst.* 24. *num.* 32., *Rot. in Nullius, seu Firmana Canonicatus* 3. *Julii* 1748. *cor. Clemente*. Suam contra Herculanus, non illam Ferrarii relaxandam esse censet supplicationem. Eam namque signari obtinuit ex testimonialibus literis Episcopi, ad quem ob lapsum quatrimestre devolutum autumat nominationem Canonicatus, utpote vocati mense Decembris 1787., ex dispositione

Con-

Concilii Lateranenſis, de qua *in Cap. Quoniam de Jurepatr.*, *& ex reg. IX. Cancellariæ*. Ferrarius contra, qui odioſam gerit impetratoris figuram, gratiam extorſit pendente recurſu in Sacra Conſulta, *&* citatione etiam cum inhibitione adverſus Promotorem Fiſcalem Epiſcopi; reticuitque Canonicatus vacationem in reſervato menſe Ordinarii, contra *cit. reg. IX. Cancellariæ*. Ponderare tamen dignentur Emi Patres, num jure nominandi ceciderit Communitas, quæ termini prorogationem intra quatrimeſtre poſtulavit, *&* devolutus cenſeri debeat ſive ad Epiſcopum, ſive ad Summum Pontificem Canonicatus, de quo pendente illius recurſu diſputari cepit in Dataria Apoſtolica. Pendente enim recurſu ad Superiorem, vel lite, tempus ad præſentandum non currit, *Piton. de contr. Patron. allegat.* 54. *num.* 10., *Pax Jordan. lucubrat. lib.*10. *tit*7. *num.*360. *tom.*2., *Vivian. de Jurepatr. part.*2. *lib.*5. *cap.*2. *num.*27.

Quæritur ergo.

I. *An conſtet de validitate electionis, & præſentationis Sacerdotis Agnelli, ita ut ſit danda inſtitutio in caſu &c.*

Et quatenus negativè.

II. *An, & cujus ſupplicatio ſit relaxanda in caſu &c.*

Ad I. Negativè in omnibus.

Ad II. Negativè, & deveniat Conſilium ad novam electionem infra menſem Maii.

FIRMANA CAPELLANIÆ. Congruà in ſtabilibus conſtituta dote, capellaniam inſtituit anno 1695. Joannes Treviſani in propria B. Virginis Suffragii Eccleſia cum hebdomadali onere Miſſarum ſeptem ad Altare majus. In primum nominavit capellanum Antonium Benedetti, ejuſque deinde familiæ maſculum ad annos ſeptuaginta. Alterne primogenitis Albani, & Hieronymi ejus fratrum activum reſervavit patronatum: paſſivum Sacerdotibus, vel Clericis reſpectivæ illorum lineæ, in caſu etiam, quod ſeptuagenario decurrente termino, idoneus in familia Benedetti non exiſteret Clericus; declaravitque ut impuberes quoque de vocatorum genere capaces eſſent. *Seſſ. 25. cap. 5. de Reform.*

Pri-

Primus; ex præscripto Fundatoris capellaniam obtinuit Antonius Benedetti. Ei ob defectum Sacerdotis, vel idonei ejus familiæ Clerici, successit anno 1716. Laurentius, iterumque anno 1721. Philippus Trevisani. Hoc defuncto (quo anno ignoratur) rediit capellania ad familiam Benedetti, eaque unus post alium potiti sunt Sacerdotes Joannes Baptista, & Antonius junior ad annum 1788. In novissima tandem capellaniæ vacatione, ad eam Joseph Trevisani primogenitus lineæ Albani, proprium nominavit septennem Filiolum, clericali initiatum tonsura, quia censuit, unum ex vocata familia Benedetti superextantem Joannem Mariam, utpote in statu conjugali constitutum, inhabilem esse. Moram tamen hic institutioni per supplicem interposuit libellum, quo capellaniam sub administratore ad complementum utilis septuagenariæ a *Sanctissimo* postulavit.

Re ad Sacram hanc Congregationem delegata, exposita confirmat Firmanus Archiepiscopus, ejusque sententia, *de claro Patroni jure dubitari non potest, semel ac literalis adest Testatoris voluntas*. Hæc vero addit. *Quamvis*, inquit, *honoris gradibus in hac Civitate reipsa* (Orator) *non gaudeat, nihilominus inter nobiles familias Civitatis Montis Alti est adscriptus, & cum Patriciis familiis hujus Civitatis consanguinitate est quoque conjunctus. Quo vero ad ejus statum, non habet is alios reditus, quam in nummis aureis circiter bisecentum; sed ob æs alienum, quo gravatur, generis nobilitati hujusmodi reditus non apte respondere videntur. Hæc ejus in re domestica non satis commoda conditio æquam quodammodo causam eidem præbet, ob quam eam exposcit gratiam, quæ in reliquis a Sacratissimo Principe pendet dumtaxat. Certe si ejus votis annuatur, gratia ipsa ad pauciissimos annos coercebitur*. Præfixo igitur termino tam Josepho Trevisani, quam Joanni Mariæ de Benedictis ad deducendum jura sua in S. Congregatione, infrascriptum modo in contumaciam secundi proponitur Dubium.

Æqua videri posset Oratoris instantia ex tenui ejus substantia, & verisimili Fundatoris voluntate, quod frui reipsa deberet septuaginta annis capellania ab ejus familia. Utilem namque præseferre videtur illius possessionem vocatio Antonii sen. Benedetti, ac post eum *di un figlio maschio della sua linea mascolina di Casa Benedetti, e così di mano in mano perfino, che terminano li settant'anni*. De præciso non constat tempore, quo Antonius sen., Jo. Baptista, & Antonius jun. de Benedictis capellaniam retinue-

runt

rant; ex informatione tamen Archiepiſcopi colligitur, ſeptuagenariam non attigiſſe. Poſita autem vocatione, & paupertate vocati, ad tempus quandoque per EE. Veſtras conceſſa fuit capellaniæ adminiſtratio, ut in *Segovien. Capellaniæ* 17. *Novembris* 1731. *ad III. Dub.*, quandoque *ex audientia Sanctiſſimi* ad vitam, ut *in Aſten.* 25. *Junii* 1788., quodque magis eſt, favore etiam Clerici Conjugati, qualis eſt Orator, ut *in Auximana Capellaniæ* 15. *Decembris* 1787.

Agitur contra de tollendo jure alteri quæſito. Puerulus enim Treviſani, qui paſſivam & ipſe habet vocationem; jam ab ejus Patre, & patrono præſentatus eſt, certumque jus ad capellaniam quæſivit, *Tamburin. de jur. Abbat. diſp.* 10. *quæſit.* 4. *num.* 4. *&* 5. *tom.* 1., *Rigant. ad regul.* 18. *Cancell. num.* 48. Ponderandum ergo, num concedenda ſit Oratori adminiſtrationis gratia, quæ jus illud læderet, contra diſpoſitionem *Text. in Leg. Reſcripta* 7. *Cod. de precib. Imperat.*, quem exornant *Amoſt. de Cauſ. piis lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 8., *& Rot. cor. Molin. dec.* 806. *num.* 35., ſeu permitti potius debeat præſentato inſtitutio, per *Text. in Cap. Cum Bertoldus in fin. de ſent. & rejudic.*, *Vivian. de Jurepatr. lib.* 12. *cap.* 7. *num.* 2.

Interdicta quidem eſt *a Sac. Concil. Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *de Reform.* Beneficiorum collatio impuberi; ſed aliter ſentiendum ex lege fundationis, cui Sacroſancta Synodus non derogavit, *Lotter. de Re Benefic. lib.* 1. *quæſt.* 32. *num.* 34., *Antonell. de tempor. legal. tit. de ann. cap.* 8. *num.* 3., *Ciarlin. controv.* 53. *num.* 51. ,*& Sac. hæc Congregatio in Prænestina Fundationis Beneficii* 12. *Martii* 1746. Servanda enim eſt fundatoris voluntas, licet diſpoſitioni Juris contraria, *Piton. de controv. patron. allegat.* 80. *num.* 3. Apertiſſime autem in noſtra themate declaravit capellaniæ Inſtitutor = *che fiano, e debbano riputarſi capaci ed idonei di queſta Cappellania, o Beneficio anche quei Chierici, che non aveſſero l'età di quattordici anni, purche fiano delli chiamati*.

Sua hinc Eminentiſſimi Patres juriſprudentia de ſeptuagenario decernant termino, favore illorum de Benedictis præfinito, utilis ne ſit, vel continuus. Verba ſane illa = *di mano in mano per fino che terminano li ſettant'anni* = continuam deſignare videntur annorum ſeriem, pro qua legitima etiam urget præſumptio, *Donell. de Jur. Civil. lib.* 1. *cap.* 18 *num.* 3., *Hilliger. ad eumdem not.* 1. ,*Antonell. de temp. legal. lib.* 1. *num.* 3. *&* 4. Ceterum advertere dignentur, ſeptuagenariam illam voca-

tionem ab existentia pendere idonei Clerici de nocnedictis, qualis ad consequendum Beneficium Beest Orator conjugatus, *Text. in Cap.* 1., & 2. *de Clerin. conjug.*, scriptamque esse hujusmodi conditionem sub resolutiva, quod = *nel caso, che dentro il d. spazio di tempo non fosse in d. linea soggetto abile e capace, vuole &c. che il jus di nominare, e presentare il Cappellano spetti al primogenito della Casa del qu. Albano Trevisani*. In his porro terminis quærendum ex Jure, utrum purificata conditione, legitimam Trevisanus expleverit nominationem, quæ gratiam Oratori impediat. Affirmant *Piton. de controv. Patron. alleg.* 68. *num.* 8., *Hontalb. de jur. superven. in addit. ad quæst.* 22. §. 12. *num.* 81., eorumque sententiam confirmat observantia; nam toties Capellanum nominarunt Trevisani, quoties idoneus in familia de Benedictis non fuit, qui capellaniam obtineret. Dubium est.

An sit exequenda nominatio, seu potius sit locus dispensationi in casu &c.

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam,

Sess. 21. *cap.* 7. *de Reform.*

VERULANA TRANSLATIONIS MISSÆ. Duo in Ecclesia S. Pauli Civitatis Veruli ex fundatione Com. Francisci Capobianchi sunt Capellaniæ, quarum fundus in universa consistit illius hereditate. Onus est Capellanis, qui Canonici modo nuncupantur, simplicium Missarum 500. in singulos annos, & unius Missæ cum cantu in anniversaria ejus obitus die ad privilegiatum ejusdem Ecclesiæ Altare. Missa hæc ab anno 1764., quo Fundator decessit, ad annum 1787. celebrari consuevit cum assistentia aliorum Presbyterorum Ecclesiæ, soluto emolumento juliorum 10. absque cera, & juliorum octo cum cera pro Altari. Ecclesia autem nuper in Collegiatam erecta, onus respuerunt Canonici absque mercede juliorum 15. Provisionalem idcirco ejusdem Missæ celebrationem demandavit elapso anno Verulanus Episcopus in Parochiali Ecclesia S. Mariæ Franconum; perpetuamque deinde illius translationem ab EE. Vestris postularunt Capellani.

Ter-

Terminum de mandato præfixit Epiſcopus Capitulo ad deducendum jura ſua in Sacra Congregatione, & a ſereno abſtinens ſuffragio, duplici Canonicos inniti ait rationi, ne cum minori emolumento julliorum 15. Miſſæ aſſiſtant cum cantu, conſuetudini ſcilicet alterius Verulanæ Collegiatæ S. Eraſmi, & nunquam accepto oneri, *licet Oratores affirment, quod cum Reſcripto defuncti Epiſcopi mei prædeceſſoris pluribus ab hinc annis fuerit acceptatum, & ibi ſtatutum etiam remanſerit emolumentum in juliis decem, comprehenſa cera a Capitulo ſubminiſtranda*; illius vero tranſlationi obſiſtere, eo quod = *in eadem Eccleſia corpus* (Fundatoris) *ſit ſepultum, & adhuc ibi conſtrui debeat depoſitum juxta diſpoſitionem teſtamentariam*.

Aliaque ex parte refert, quod = *renuunt Oratores talem vetitam ſummam* (juliorum 15.) *perſolvere, quia jam præfatum legatum ibi applicabatur antequam in Collegiatam erigeretur; ideoque talis honorificentia Collegiatæ non debet variare emolumentum. Quin immo adimpleri poſſe autumant in eadem Eccleſia cum aliis Presbyteris abſque concurſu ejuſdem Capituli, vel ante ſcilicet, vel poſtquam Capitulares functiones in Choro expleverint. Eo vel magis quia dictum Capitulum non deberet cum rigore petere, & exigere emolumentum pro ſonitu Campanarum in die anniverſaria tanti Benefactoris; neque pro cera, pro qua in aliis functionibus, & Miſſis cum cantu iidem Oratores concurrunt*.

Juſta pro transferenda ab una ad alteram Eccleſiam Miſſarum celebratione requiritur cauſa, ut ſtatuit *Sac. Concilium Trident. ſeſſ. 21. cap. 7. de Reform.* & cenſuit *Sac. Congr. in Sabinen. Translationis Legati Miſſarum* 16. *Febr.* 1743. Talis, nec ne ſit in noſtro themate privatum intereſſe, ex quo aſſiſtere renuit Capitulum Miſſæ cum cantu, EE. Veſtræ decernent. Facile quidem componi non poſſe videtur controverſia. Capellanis enim diuturna favet plurium annorum obſervantia, dum ante & poſt erectam Collegiatam ſatis Capitulo fuit emolumentum juliorum 10. ſine cera, & juliorum octo cum cera. Capitulum contra tuetur voluntaria hujuſce emolumenti acceptio; quum Epiſcopi teſtimonio = *nondum a Capitulo præfatum legatum apparet fuiſſe acceptatum* = Ad avertenda igitur ſcandala æqua videri poſſet Miſſæ translatio.

Ponderandum tamen, demandatum a Teſtatore fuiſſe anniverſarium in Eccleſia S. Pauli, in qua tumulatum eſt ejus cadaver, & conſtrui debet depoſitum. Hujuſmodi ſane

circumstantiæ illius translationem impediunt, *Ricc. in prax. part. 4. resol. 69.*; *Pax. Jordan. tom. 1. variar. resol. leg. 4. tract. 1. de Sacr. Miss. num. 540.*, & *Sac. Congregatio in Comen. 15. Septembris 1764.*, *in Lucana 28. Julii 1781.*, & *in Firmana 3. Augusti 1782.* Accedit etiam, quod silentio fatentur Capellani, congrua ex universa Fundatoris hereditate possidere Beneficia. Sua ergo prudentia Eminentissimi Patres judicent, num permittenda sit anniversarii translatio ab Ecclesia tumulante ob tenue interesse juliorum quinque in singulos annos, & assueta maturitate respondere dignentur.

An sit locus translationi anniversariæ Missæ cum cantu in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

SARSINATEN. Sarsinatensis olim Episcopus Reghinius Canonicatum in ea Cathedrali erexit anno 1648. cum certo Locorum MM., censuum, & stabilium fundo annui reditus scutorum 50., ejusque patronatum reservavit Principissæ Olimpiæ Aldobrandini, & Principi Camillo Panfilj, eorumque successoribus. Binas Canonico hebdomadales præscripsit Missas, residentiam, & servitium Chori *cum onere præbendæ Sacerdotalis, & cum facultate reservata Episcopo mutandi qualitates, & obligationes d. Patronatus, etiam contraria statuendo ad ejus libitum, sicuti melius placuerit.*

Valde imminuti sunt hujusce Canonicatus reditus. Ob duos enim amissos census in sorte scutorum 57., imminutasque aliorum usuras, vix in annuis consistunt scutis 30. circiter, ex quibus detrahi adhuc debent scuta 2., & ob. 85. pro collectis, & impensis Sacrarii. Aucta contra sunt onera in annuis Missis conventualibus decem absque emolumento distributionum, quibus Capitulum caret. Qua de re hodiernus Canonicus Franciscus Petrucci reductionem postulat hebdomadalium, & conventualium Missarum, servitiique choralis ad dies festos.

Ca-

Canonicalis præbendę diminutionem *abſque ulla Oratoris culpa* Sarſinatenſis confirmat Epiſcopus. Indulgendam vero cenſet reductionem quoad hebdomadales Miſſas, *nullatenus quoad Conventuales pro Benefactoribus, neque quoad Chori quotidianum ſervitium, utpote Canonici hæc detrectantes propter damnum eiſdem exinde dimanans, qui bene vero lubenter quoad diminutionem tantummodo Miſſarum ad Oratoris præbendam ſpectantium, aſſenſum præbuerunt, quibus adhæſerunt intereſſe habentes.*

Taxative quidem aſſignata eſt canonicalis prębenda, quum ab ea incipiat Canonicatus fundatio, *Leg. Quidam ff. de Legat.* 2., *& Leg. Non aliter* §. 1. *ff. de Legat.* 3. Deliberandum ergo, utrum deficientes reditus ſupplere teneantur patroni, vel concedenda potius ſit onerum reductio. Secundam tuetur partem *Benedict. XIV. de Synod. Diœceſan. lib.* 13. *cap. ult.* §. 32., *& ſeqq.*, eamque fovet etiam Fundatoris voluntas. Sarſinatenſibus namque Epiſcopis reliquit arbitrium = *mutandi qualitates, & obligationes d. patronatus ad libitum*; & ſi ipſe viveret, ab oneribus fortaſſe Canonicum ob imminutos reditus levaret, *Paſqualig. de Sacrif. Nov. Leg. quæſt.* 1178. *num.* 1. Maxime quia *abſque ulla ejus culpa* evenit imminutio. Hoc ſane caſu indulgens quoque eſſe conſuevit Sacra Congregatio, ut *in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783., *& in Signina* 29. *Novembris elapſi anni* 1788. *ad III. Dub.*.

Quatenus autem hujuſmodi indulgentiam adhibere velint EE. Veſtræ erga Canonicum Petrucci, decernendum inſuper erit de oneribus reducendis. Potius ſane reduci debet ſervitium Chori, quam Miſſæ, *Fagnan. in Cap. Ex parte num.* 34. *de Conſtit.*, *Benedict. XIV. de Synod. Diœceſ. lib.* 13. *cap. ult.* §. 23., *& Sacr. Congregatio in Derthonen. Reductionis Onerum* 19. *Maii* 1787. Ex urgentibus quandoque circumſtantiis ab hac regula receſſit Sacra Congregatio, & Miſſas potius reduxit, ut *in Urbanien. Reductionis Miſſarum* 30. *Auguſti* 1788., ſed prudentia ſua Eminentiſſimi Patres judicent, num tales in noſtro themate concurrant circumſtantiæ, quæ Miſſarum potius reductionem ſuadeant. Res porro eſt de Cathedrali Capitulo, quod licet non appareat, ex ſufficienti tamen conſtare præſumitur Canonicorum numero, ne per reductionem choralis ſervitii unius Canonici Petrucci quidquam Divino cultui, decorique Eccleſiæ detractum cenſeatur. E contra Capitulum, & Epiſcopus, qui propriæ Cathedralis indigentias cognoſcere debet, & cui Teſtator facul-

facultatem reſervavit mutandi qualitates, & obligationes dicti patronatus, *etiam contraria ſtatuendo ad ejus libitum, ſicut melius placuerit*, Miſſarum potius, quam ſervitii Chori reductionem concedendam exiſtimant.

Reſpondere itaque dignentur Eminentiſſimi Patres.

An, & quomodo ſit locus reductioni Onerum in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 16. *Maii* 1789. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

VERULANA TRANSLATIONIS MISSÆ. Cauſa hæc, & ſequens altera reliquiæ ſunt præcedentis Folii diei 25. Aprilis. *Seſſ.* 21. *cap.* 7. *de Reform.*

An ſit locus translationi anniverſariæ Miſſæ cum cantu in caſu &c.

Negativè.

SARSINATEN.

An, & quomodo ſit locus reductioni onerum in caſu &c. *Seſſ.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

Affirmativè juxta votum Epiſcopi.

ALBANEN. Ad enixas Aricienſis Capituli preces reſcripſerunt in hac Cauſa EE. Veſtræ die 4. elapſi Aprilis = *Dilata ad primam poſt proximam*. Quum nullus vero aperte cum illo contenderet, interpellatus idcirco ex officio fuit ejus Defenſor ad ſua exhibenda Scripta, ut ſi quid notatu dignum eſſet, opportune hic exponi poſſet. Eo autem præ anguſtia forſan temporis ne- *Seſſ.* 21. & 22. *utrobique cap.* 3., & *Seſſ.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*

negligente; resumere dignentur Emi Partes Foliam tunc distributum, suaque prudentia respondere.

An, quomodo, & quibus diebus Canonici, & Archipresbyter Collegiatæ Ecclesiæ Ariciæ recitare teneantur Divinum Officium in Choro in casu &c.

Affirmativè in omnibus juxta votum Emi Episcopi.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

CADURCEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Armorum imperitus, prohibitæque autumnalibus feriis anni 1784. vacans Perdicum venationi, materni prædii stabulum petiit Clericus Joannes Franciscus Valriviere, ut quiesceret. Carrum ibi reficiebat Faber, ejus Parentibus addictus. Aliquantulum se Clericus inflexit, ut ei salutem ferret; sed igneam præ manibus habens balliſtam, repentino illius ictu exanimatus cecidit Faber, & urbanitatis officia conversa fuerunt in luctum. Diu infelicem deploravit casum; sed de ecclesiastico solicitus statu, absolutionem elapso anno petiit ab irregularitate.

Hæc omnia Cadurcensis confirmavit Episcopus, retulitque ad EE. Vestras = *homicidium fuisse casuale, atque Oratorem in eo dumtaxat fuisse culpandum, quod insuetus & imperitus arma tractaret, atque venationi Clericis prohibitæ vacaret.* Testatus insuper fuit = *ipsum per compositionem satisfeciſſe Parti, & Fisco: sanæ esse doctrinæ, & pollere egregiis ingenii dotibus, quæ magnam spem afferunt, ipsum futurum esse perutilem Ecclesiæ ministrum, atque etiam necessarium, si spectetur Operariorum paucitas, & temporum injuria: ante perpetratum homicidium se Presbyterorum Doctrinæ Christianæ Congregationi socium adjunxiſſe, atque ante, & post in variis variarum Provinciarum Seminariis, & Collegiis, tum ut doleretur, tum ut doleret, versatum fuisse: vita bonisque moribus ornatum esse.* Atque ex his eum censuit *dignum, ut precibus Sanctiſſimus Dominus Noſter benigne annuat*; monuitque, *præfatum Oratorem non fuisse citatum pro dicto homicidio coram Judice Ecclesiastico, nullamque de eo dictam ecclesiasticam sententiam, ac proinde canonicam pœnitentiam non esse ab eo peractam.*

A gra-

A graviſſima cenſura, qua *Sacr. Concil. Tridentinum* ſtatuit, *nullo unquam tempore ad Sacros Ordines promoveri* poſſe Clericum homicidam, homicidium excipit commiſſum = *non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo*, ut *in Seſſ.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*. Licet autem Epiſcopi teſtimonio, homicidium, de quo hic agitur, fuerit caſuale, in ea tamen Orator fuit culpa, *quod inſuetus, & imperitus arma tractaret, atque venationi Clericis prohibitæ vacaret*. Quærendum ergo, num voluntarium idcirco dici valeat in cauſa; quale eſt, ſi prævideri potuit, cauſamque homicida ad illud præbuit ordinatam, *Cap. Continebat, & Cap. Suſcepimus, de homicid.*

Quatenus vero cenſeatur caſuale; hoc etiam Emi Patres conſiderare dignentur = *An tantum tempus exceſſerit a die perpetrati homicidii, ut illius memoria ſit obliterata in loco, & ſic ceſſet ſcandalum*, ut monet *Fagnan. in Cap. Henricus num.* 35. *de Cleric. pugnan. in duell.* Jam quintus enim labitur annus, quo homicidium patravit Orator, ſatiſque triennium cum emendatione vitæ ad obliterandam illius memoriam cenſent *Abb. in Cap.* 21. *n.* 2. *de accuſ.*, *Antonell. de Regim. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 17. Niſi obſtet culpa, & tempus, indulgentiæ ſunt exempla *in Placentina* 30. *Septembris* 1724., *& in Elboren. Irregularitatis* 16. *Martii* 1737. *ad II. Dubium*.

Animadverſionem quoque merentur, quæ de ſcientia moribuſque Oratoris Epiſcopus refert; illudque præſertim, quod *futurus erit perutilis Eccleſiæ miniſter, atque etiam neceſſarius*. Quandoque enim Sacra Congregatio ad enixa Epiſcopi vota rigorem Juris relaxavit, ut *in Conſentina Irregularitatis* 20. *Martii* 1786.

His igitur perpenſis, deliberandum erit:

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione in caſu &c.

Affirmativè.

REATINA MEDIÆ ANNATÆ. Uno informante Reatino Capitulo, quæſitum fuit die 12. Maii 1770. I. *An ſit locus ſolutioni mediæ annatæ favore Eccleſiæ Cathedralis*. II. *An ad ſolutionem ejuſdem mediæ annatæ in futurum teneantur Canonici, Beneficiati, & Clerici Beneficiati ejuſdem Eccleſiæ Cathedralis*; & ad primum Sa- *Seſſ.* 21. *cap.* 7. *de Reform.*

cra Congregatio reſpondit: *Affirmative, & amplius*; ad ſecundum: *Affirmative ad formam Conſtitutionis Benedictinæ, & amplius*. Venia ab Emo Præfecto impetrata, de viribus modo utriuſque reſolutionis agunt Canonici, omneſque Reatinæ Diœceſis Beneficiati.

Denuo Capitulum *quoad primum* notiſſimam urget Conſtitutionem, *Pius, & Miſericors*, quarto idus Maii 1725., qua ad conſulendum reparationi Cathedralium, per totam Italiam, Inſulaſque adjacentes Benedictus XIII. edixit, ut de Parochiis proviſi, qui annuum cum incertis haberent reditum ſcutorum 100., ceterique ad reſidentialia, & ſimplicia Beneficia, *cujuſcumque valoris exiſtant*, promoti, mediam Cathedrali Eccleſiæ ſolvere tenerentur annatam. Uſu profecto recepta eſt Pontificia hæc Lex, ejuſque exequutionem demandavit Sacra Congregatio *in Æſina Mediæ Annatæ* 22. *Julii*. & 9. *Septemb.* 1741., & *in Viterbien. Mediæ Annatæ* 13. *Januarii* 1748.

Caſus deinde memorat, in quibus Summus ille Pontifex mediam annatam remiſit, ubi peculiare nempe ſit opus, aut patrimonium pro fabrica Eccleſiæ, vel ſi reparationis onus Patronis, aut Communitati incumbat. Nil horum in noſtro themate concurrere ait; neque ad evadendam mediæ annatæ ſolutionem prodeſſe unionem præbendarum in unam maſſam, jamdiu a *Nicolao V.* expletam; quum non conſtet, quod peculiares extitiſſent, & in eamdem maſſam collati fuiſſent reditus fabricæ, qui de cetero eſſe debeant diſtincti, *Rot. in Conſtantien. Unionis* 12. *Martii* 1736. §. *Verum coram Nunez*. Contrariam vero contemni debere obſervantiam ex *decreto irritanti*, & clauſula *ſublata*, quibus munita eſt Benedictina Conſtitutio, *Text. in Cap. Quia diligenter, de elect.*, *Rot. cor. Falconer. tit. de offic. Ordinar. deciſ.* 3. *num.* 3.

Plura injuiunt Canonici, & Beneficiati, donata olim fuerunt Cathedrali Eccleſiæ bona, quæ dotem fabricæ ex diſpoſitione Juris conſtituebant, *Franc. de Eccleſ. Cath. cap.* 13. *num.* 51., *Barboſ. ad Concil. Trident. ſeſſ.* 21. *cap.* 7. *num.* 7., *Leuren. in For. Canon. lib.* 3. *tit.* 48. *quæſt.* 991. *num.* 1. Donationes probant; atque ex his, non a Bulla unionis Nicolai V. conſtitutum dicunt patrimonium, de quo in exceptis caſibus Benedictina loquitur Conſtitutio. Peculiari autem exiſtente patrimonio Eccleſiæ, ſeu fabricæ, Beneficiatos a ſolutione mediæ annatæ abſolvit Sacra Congregatio *in Camerinen.*, &

Auga-

Anagnina Mediæ Annatæ 2. *Maii* 1733. *ad I.*, & *II. Dubium*.

Ex hoc forsan, quod bona etiam donata Ecclesiæ, collata fuissent in capitularem massam, fieri ex ea consueverunt reparationes Ecclesiæ, juxta Constitutiones Capituli, quas Reatini Episcopi, aliique Apostolici Cathedralis Visitatores confirmarunt; Episcopus nempe Castracani anno 1573., & 1574., Guinisiani anno 1711., & Ferretti 1776. Eademque ratione reparata fuit anno 1786. Cathedralis Apsides, binæque ad Canonicorum usum extructæ cellulæ per census in sorte scutorum 300., impositos de licentia Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium super Latifundio Capituli *la Torretta*. Affirmativæ huic observantiæ accedit negativa: nunquam enim (si unum excipias casum anni 1726., de quo Reatinus tentatus fuit Episcopus anno 1768.) soluta fuit Cathedrali media annata.

Præ omnibus autem quoad reparationem Cathedralium attendendam esse consuetudinem, docent *Franc. cap.* 13. *de reparat. seu renovat. Eccles. Cathedr. num.*9., & 13., *Barbos. de offic., & potest. Episc. part.*3. *alleg.* 64. *num.*5. Neque ei obesse contendunt Beneficiati *irritans* Benedictinæ *decretum*, & clausula *sublata*, eo quod ipsimet Constitutioni consentanea ob factas reparationes ex massa capitulari, in quam bona donata Ecclesiæ coaluerunt, seu ex peculiari ipsius Ecclesiæ patrimonio, *Rot. in Ratisbonen. Jurisdictionis super manutentione* 27. *Februarii* 1760. §. *fin. coram Azpuru*, & *in Lauretana Executionis Literarum Apostolicarum super Nullitate Transactionis* 26. *Junii* 1778. §.9. *cor. Mannellio*.

A resolutione primi Dubii resolutio pendet secundi. Si præstari enim non debet Reatinæ Cathedrali media annata, neque ad illius solutionem tenentur Beneficiati; Si aliter vero in id EE. Vestræ decernent, deliberandum erit, num omnes indistincte condemnandi sint Beneficiati, qui exigua etiam possident Beneficia. Ita profecto, exceptis Parochis, Benedictina statuit Constitutio verbis illis = *cujuscumque valoris existant* = Quoad Canonicos vero animadverti posset, quod distributiones quotidianæ, in quibus eorum præbendæ consistunt, nomine veniunt fructuum, *Gloss. in Cap. Grandi, verb. Reditibus, de supplen. negligen. Prælat.*, *Lotter. de Re Benefic. lib.* 1. *quæst.* 39. *num.* 27., & *seq.*, *Barbos. de Canon.*, & *Dign. cap.*21. *num.* 8., idque in pretio forsan adeffectum, de quo agitur, haberi debet.

Ex his igitur, aliisque in Folio 12. Maii 1770. fuse deductis respondere dignentur Emi Patres;

An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 12. Maii 1770. quoad primum, & secundum Dubium in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 22. Decret. de observan. & vitan. in celebr. Miss., & Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ROMANA CAPELLANIÆ. Ex fructibus Locorum Montium duodecim instituit anno 1780. Sacerdos Vincentius Garbi laicalem Capellaniam hebdomadalium Missarum quatuor ad Altare B. Virginis septem Dolorum Parochialis Ecclesiæ S. Nicolai ad Forum Archimonium, vulgo *Arcione*, ita ut non deberet = *in qualunque tempo essere affetta alla Dataria Apostolica*; mandavitque, ut teneretur Insuper Capellanus in anniversaria ejus obitus die = *celebrare in detta Chiesa Parrocchiale con Ministri parati, e tumulo in mezzo di quella una Messa cantata di requie, oltre num. otto Messe lette, che dovrà anch'esso far celebrare nel medesimo giorno in detta Chiesa, colla recita dell'officio de Morti da farsi dal medesimo Cappellano cogli altri Sacerdoti, che avranno celebrato, a quali sarà tenuto lo stesso Cappellano pogargli baj. 15. di elemosina, compreso l'officio, ed in fine fare la consueta distribuzione delle candele, facendo precedere, ed accompagnare una tal funzione col solito suono delle campane.*

In primum Capellanum ad vitam nominavit P. Josephum Masetti Ordinis Servorum Deiparæ, tunc Ecclesiæ S. Nicolai, modo S. Marcelli Parochum, eique facultatem dedit celebrandi per alium, & in casu absentiæ ab Urbe, ad quodlibet B. Virginis Dolorum Altare = *a riserva dell'anniversario, quale dovrà farlo soddisfare onninamente in Roma nel modo sopra espresso in detta Chiesa solamente*. P. Maletto Parochos pro tempore substituit S. Nicolai, & in casu inadimplementi, Parochos S. Marcelli cum eadem facultate celebrandi per alium, & sub declaratione = *che il Cappellano nominato non sia tenuto impetrare veruna conferma, o instituzione da qualunque persona*; voluitque ut quocumque tempore Sacerdos Familiæ Garbi moram facturus esset in Urbe, cedi ei deberet Capellania, ad Parochos deinde reditura. Fundato-

re igitur defuncto, Capellaniam assumpsit Parochus Masetti, rogavitque successorum etiam nomine *Sanctissimum* pro facultate eam retinendi.

Præcibus ad Sac. hanc Congregationem ablegatis, hæc Emus Urbis Vicarius, auditis Superioribus Ordinis refert. *Masettus ejusmodi Capellaniam haud ægre susciperet administrandam; sed Ordinis obstant Præsides, qui in rem esse negant religiosarum ejusdem Ordinis Familiarum hoc vel semel constitui exemplum, ut cujusquam Cœnobii Patres suæ magis, quam communi studentes utilitati, oneribus & vinculis sese quantislibet innecti sinant, impotesque ea re fiant ad onera exequenda meliora, & fructuosiora Cœnobio. Nec vero Præsides Masetto obnituntur omnino; sed ejus, ut videntur, meritis nonnihil tribuentes, patiuntur quidem, Missas ab eo peragi quaternas, quoad ipse vixerit. Verum ab insequentibus idem præstari posse Parochis, id vero pernegant absolute, ne illud quidem probantes, ut ab ipso Masetto anniversarium fiat; qua in re tenuem incusant causantque reditum Capellaniæ totius.*

Ita vero suam aperit sententiam: *Si in una, qualem Fundator statuit Capellaniam, a Missis anniversarium divellendum ita esset, ut qui Missis satisfacere Masettus posset, non posset anniversario; utique oporteret, Opus institutione unum in duo scindi, uti personis, ita & rebus, functionibus, proventibusque diversa; id quod a Fundatoris voluntate quantum aberret, non intelligit nemo. Etsi vero memorati Præsides reformident; ne universus reditus toti Capellaniæ attributus, impar utrique oneri sit ferendo, hunc tamen excutiet, opinor, metum animadversio, quod hic agitur de Capellania, quantumvis perpetua, non tamen ipsi imposita, & addicta Ecclesiæ S. Nicolai, sed in Parochorum potius collata personas, quibus etiam fuerunt Locorum Montium fructus reservati; eaque res in ipso quam maxime elucet Masetto, quem Fundator sciens vidensque ex Parocho S. Nicolai factum jam Parochum S. Marcelli, nihilominus pro suo habuit reputavitque Capellano,*

His ita se habentibus, *minime arbitror opus esse, Missas etsi perpetuas, juliis constare singulas duobus, ut edocere videntur Capellaniæ in Urbe non infrequentes, eædemque perennes & quotidianæ, cum solo reditu scutorum plus minus quadraginta; ideoque ad Sacra quod attinet, in facti specie circiter ducenta per hebdomadas facienda, ad rem esse posse videntur scuta 28. 28., aut etiam plus paullo, quibus demptis ex integro annuo emolumento scutorum 36., reliqua octo ad expensas in anniversarium satis fore confido;*

do ; omnemque idcirco Præſidibus rationem puto deſore prohibendi ab ejus ſuſceptione Maſſarum , quem prohibendum ceteroquin non judicant a cujuſvis hebdomadæ Sacrificiis.

Aſſumere nequeunt Regulares perpetua Miſſarum onera *ſine Generalis , vel Provincialis conſenſu & licentia* , ut hiſce verbis cavetur *in Decretis Sacræ Congregationis de celebratione Miſſarum* , relatis per *Urbanum VIII.* in Conſtitutione *Cum ſæpe* 21. Junii 1625. , & confirmatis ab Innocentio XII. in Conſtitutione *Nuper* anni 1697. , ac tradunt etiam *Benedict. XIV. de Synod. Diæceſ. lib.* 13. *cap. ult. num.* 10. , *Paſqualig. de Sacrific. Nov. Leg. quæſt.* 1102. *num.* 1. , *& ſeq. tom.* 2. Ea igitur a contrario ſenſu accipere valent *cum licentia & conſenſu* , per *Text. in Leg.* 1. *ff. offic. ejus , cui mandata eſt juriſdictio , & Leg. Inter Socerum* 26. *ff. de pact. dotal. , Averan. Interpr. Jur. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 17.

Licentia hæc & conſenſus pro hebdomadalibus dumtaxat Miſſis quoad Maſſarum concurrit ; quidve propterea in id de ipſo, EE. Veſtræ decernent . Omnino autem deficit quoad futuros Parochos S. Nicolai ; ſed quærendum eſt , num eos in noſtro themate afficiant Decreta , & Conſtitutiones . Negativa ex nonnullis Doctoribus tenenda eſſet ſententia ; nam directa ſunt Decretorum verba religioſis Familiis , non privatis Religioſis , qui ſimplices reputantur legatarii , nec perpetuum onus ultra propriam vitam Religioni imponunt , *Paſqualig. de Sacrific. Nov. Leg. quæſt.* 1102. *numer.* 3. *tom.* 2. , *Tamburin. opuſc. de Sacrific. Miſſ. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 16. Auctoritatem vero Sacræ Congregationis habet affimativa . Expreſſe enim ad Dubium XVI. in declarationem Innocentianæ Conſtitutionis *Nuper* , reſpondit = *comprehendi etiam privatos Sacerdotes* ; ut videre eſt apud *Girald. in Jus Pontific. tom.* 3. *part.* 2. *pag.* 900.

Ad priorem trahi poſſet ſententiam declaratio illa , quod non teneantur Capellani = *impetrare veruna conferma , o inſtituzione da qualunque perſona* . Nam ſi intelligi etiam debet de conſenſu , & licentia Superiorum Religionis , eo quod Capellani , de quibus loquitur Fundator , ſunt Religioſi, admittenda forſan eſſet non obſtantibus Decretis ; quum rejicere non ſoleat Eccleſia conditiones fundationum , licet Juris diſpoſitioni contrarias , ne a piis operibus Fideles retrahantur , *Text. in Cap. Præterea* 2. *de Jurepatr.* , *Lambert. eod. tract. lib.* 1. *part.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 9. , *Corrad. prax. Diſpenſat. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 2. At reſpicere potius videtur auctoritatem Ordinarii , quæ in

per-

perpetuis confirmandis Capellanis requiritur ; nec de cetero Jus læderet , nisi specialiter ab eodem Ordinario approbata , *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 1. *part.* 1. *quæst.* 9. *num.* 50. , *Rot. apud Scarfanton. ad Ceccoper. decis.* 9. *num.* 15.

Plura Emus Vicarius ex ore Præsidum Religionis Innuit incommoda , ne futuris etiam Parochis Capellania permittatur . Unam tamen excludit redituum tenuitatem , ductoque calculo , sufficientem demonstrat Missarum eleemosynam . Rem Emi Patres ex disertissima penitet illius relatione , suaque prudentia deliberent , num irrationabilis sit Præsidum dissensus , eorumque idcirco consensum , in Decretis & Constitutionibus volitum , supplere debeant , permittente *Text. in Cap. Ad audientiam in fin. de Eccles. ædifican.* At sedulo advertendum , potissimam dissentiendi causam esse , ne oneribus Religionis impares fiant Capellani, & ex hac præcisa causa perpetuas Religiosis interdictas esse Capellanias *sine Generalis , vel Provincialis consensu , & licentia .*

Hæc quoad Capellaniam in genere . Quo vero ad anniversarium ; satis ad illud censet Emus Vicarius annua scuta octo , quot detracta Missarum eleemosyna , ex fructibus Locorum MM. supersunt , *omnemque idcirco Præsidibus rationem desore prohibendi ab ejus susceptione Masettum , quem prohibendum ceteroquin non judicant a cujusvis hebdomadæ Sacrificiis.* Verendum tamen, ne per coactam anniversarii celebrationem in designata Ecclesia S. Nicolai ejus libertas lædatur , Resistit contra enixa Fundatoris voluntas , ne in altera celebretur Ecclesia ; nam prædilecto etiam injunxit Masetto = *farlo soddisfare onninamente in Roma nel modo sopra espresso in d. Chiesa solamente* . Frustrari porro non debent piæ Fidelium voluntates , *Can. Ultima voluntas* 13. *quæst.* 2. , *& Leg. Omnium* 19. *Cod. de Testam.* Inde autem vel deneganda esset Capellania Masetto , cui pro hebdomadalibus Missis indulgent Religionis Superiores, vel *opus institutione unum in duo scindi deberet* , ut Emus observat Vicarius .

Res componi posset per commutationem voluntatis , per celebrationem scilicet tot simplicium Missarum in locum anniversarii , quæ uberiores essent , & majus Animæ Fundatoris suffragium afferrent ; & hujusce commutationis exemplum est *in Camerinen. , seu Fabrianen. Commutationis Voluntatis* 10. *Septembris* 1735. Ponderandum tamen , num justa concurrat , & rationabilis causa , quæ in commutandis voluntatibus requiritur *a Sac. Conc. Trident.*

dent. Sess. 22. cap. 6. de Reform. Anniversarium porro in Ecclesia S. Nicolai Masetto prohibent Superiores Religionis ob tenue emolumentum, Multo magis forsan extraneo prohiberent Capellano; & utroque propterea casu difficilis est voluntatis exequutio.

Quæritur ergo,

I. *An, & a quo retineri valeat Capellania Garbi in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis quoad celebrationem anniversarii in casu &c.*

Ad I. Affirmative ab omnibus Parochis ad formam Testamenti.

Ad II. Negative.

Sess. 22. decret. de observ., & evitan. in celeb. Miss., & Sess. 24. cap. 15. de Reform.

NEPESINA MISSÆ CONVENTUALIS. Tres Oppidi Flaviani Paræcias in unam anno 1480. Nepesinum congessit Episcopus Cardinalis Mellini, transtulitque ad Ecclesiam S. Blasii, mutato in alterum S. Stephani titulo. Duo in ea præter Archipresbyterum sunt Canonici, qui Missam pro Populo celebrant per turnum, alteramque diebus festis cum Vesperis canunt. Quæ fuerit canonicalis nominis origo, ignoratur. Reliqua desunt collegialitatis signa; neque ullum erectionis Collegiatæ indicium. Et hac fortasse de causa nunquam hactenus celebrata est conventualis Missa.

Rem in Visitatione anni 1786. hodiernus curavit Nepesinus Episcopus, ac binos Canonicis præscripsit menses, ut suæ quoad præteritum consulerent conscientiæ, & Sacræ Congregationis oraculum quoad futurum etiam implorarent: quo termino elapso conventualem Missam indixit. Supplicem illi ad EE. Vestras dederunt libellum, ut immunes ab onere fierent, eisque Episcopus ipse in prima informatione favit. *Quod enim*, inquit, *Canonicorum habent, unicus est Missæ, & Vesperarum cantus diebus festis.* Eos idcirco censuit *potius Archipresbyteri, cui soli incumbit Animarum regimen, coadjutores, ut qui Missam pro Populo per turnum concelebrent.* Perennem confirmavit consuetudinem non celebrandi Missam conventualem; omnibusque perpensis concluſit, *nullum solidum apparere fundamentum, unde huic oneri nunc Orato-*

res

res decernantur obnoxii. Ex his vero in secunda informatione collegialitatem excludit. *Nullam habent communem massam Canonici: Sigillo item communi carent: carent etiam libro, ubi Capitula describantur, & Archivio; nullæque sunt Constitutiones, seu Statuta, quæ a Capitularibus serventur. Nullam hic certe, præter nomen, Capituli effigiem cernere mihi videor.*

Inducta in Cathedralibus, & Collegiatis fuit conventualis Missa ab *Honorio III. in Cap. Cum Creatura, de celebrat. Miss.*, & ad eas tantum *Benedictus XIV.* respexit Ecclesias, dum veterem in Encyclica, *Cum semper oblatas*, confirmavit disciplinam, Dubium de collegiali Ecclesiæ S. Stephani qualitate ingerere posset inveteratus Missæ, & Vesperarum cantus diebus festis, quum onus hoc ultro susceptum non censeatur. In dubio autem standum esset pro celebratione Missæ conventualis, a qua immunis non est Ecclesia = *nisi cum apertissime manifestum fuit, haud recenseri inter Collegiatas*, ut monet *Benedictus XIV. Instit.* 107. §. 15., neque immemorabilis attendi deberet consuetudo juxta Encyclicam, *Cum semper oblatas*.

Deficit contra erectionis Bulla, ex qua potissimum collegialis Ecclesiæ qualitas probatur, *Cap. Porro, de Privileg.*; *Fagnan. in Cap. Postulasti num. 2. de Jurepatr.*, aliaque omnia deficiunt collegialitatis signa, nempe = *usus sigilli, arca communis, & tractatus capitulariter gesti ad sonum campanelli ad expedienda negotia Capituli*, quibus in dubio recurrendum ait *Fagnan. in cit. Cap. Postulasti n. 5. & 15., & Fargn. de Jurepatr. can. 6. cns. 2 num. 5 tom. 1.* Hisce profecto deficientibus signis, simplex Divinorum celebratio diebus festis receptitia potius ostendit Ecclesiam, *Benedict. XIV. Instit. 107. sub §. 15.*, satisque non est ad collegialem inducendam qualitatem, cui Missæ conventualis onus inhæret, ut censuit *Sacra Congregatio in Montis Falisci 12. Februarii 1718.* Exiguus accedit Canonicorum numerus, cui tribui non solet honor Collegiatæ *Petr. ad Constit. Apost. tom. 3. pag. 75. numer. 51., Card. de Luc. in Miscell. Eccles. disc. 38. num. 13.*, & immemorabilis observantia, tot Episcoporum silentio confirmata, cui plurimum defert *Fagnan. in cit. Cap. Postulasti num. 3.*

Si immunes ab EE. Vestris censeantur Oratores a futura conventualis Missæ celebratione, neque ob defectum obligationis de præterita quærendum est illius omissione. Si aliter vero quoad futurum decernant, advertere quoad præteritum dignentur ad pervetustam consuetudi-

nem, silentiumque Episcoporum, suaque prudentia deliberent, num inducta ex his fuerit bona fides, ex qua pluries Sacra Congregatio in similibus omissionibus veniam indulsit, ac præsertim *in Parmen.* 6. *Maii* 1786., *& in Albinganen. Missæ Conventualis* 9. *Augusti* 1788. *ad I. Dubium*. Ideoque ex Jure respondeant:

I. *An Canonici nuncupati Ecclesiæ S. Stephani teneantur ad celebrationem Missæ conventualis in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad I. Negativè.

Ad II. Provisum in primo.

Sess. 24. *cap.* 8. *de Reform. Matrim.*

FIRMANA SEPARATIONIS THORI. Post triennem vitæ consuetudinem binosque enixos Filios, in Josephum Foglietti ejus virum exasperata est nobilis mulier Franciscа Moscheni, eique extra paternam domum matrimonialia obsequia ex nuptiali conventione denegavit. Pastoralia primum Firmanus Archiepiscopus adhibuit officia, deindeque reluctantem damnavit Mulierem ad præstanda obsequia Viro vel in superiori Moscheniæ domus contignatione, vel in separatis ædibus Firmi. Re ad universum Sacræ Rotæ Auditorium, duabus præscriptis Decisionibus, ex Decreto Auditoris *Sanctissimi* delata, duo coram R. P. D. Lancellotto die 29. Martii 1784. proposita fuerunt Dubia; I. *An, & quo in loco sint præstanda obsequia matrimonialia*: II. *An sit capienda provisio collocandi Uxorem in Monasterio pendente lite*; redditumque ad primum fuit responsum = *obsequia matrimonialia præstanda esse in paterna domo Viri*; ad secundum = *Negative*.

Una in secunda propositione 7. Junii ejusdem anni ad examen venit Decisio *super obsequiis matrimonialibus*, additusque in ea confirmanda fuit modus, quod præstari arbitrio Viri deberent *vel in superiori contignatione domus Moscheniæ, vel in alia sejuncta domo sita in eadem Civitate Firmi*. Hoc ipsum statuit tertia Decisio 25. Februarii 1785., expeditaque Rotali sententia subdelegavit R. P. D.

P. D. Lancellotus die 6. Junii Firmanum Antistitem pro destinatione domus. Eo autem renuente, conducendas edixit Sacrum Tribunal die 3. Augusti Sgattonias ædes; deindeque *in gradu restitutionis in integrum* rem confirmavit judicatam die 12. Junii 1786. coram R.P. D. Flangini.

Statim Fogliettus destinatam condnxit, instruxitque domum; sed neque precibus, neque amicorum officiis consequi potuit, ut in eam Uxor se conferret. Proponi idcirco debuit per eumdem Flangini Dubium=*An sint relaxandæ declaratoriæ*; prodiitque die 21. Martii 1787, rescriptum=*Affirmative*. Excommunicationem neglexit Uxor, adiitque Auditorem *Sanctissimi*, qui eam sub lege ingrediendi Monasterium ad exitum litis, ex Supremo Pontificis oraculo absolvit, *novamque Causam super separatione Thori remisit ad Sacram Congregationem Concilii, firmis remanentibus Causis super Dote, & Fructibus in Sacra Rota*. Vigore igitur hujusce Decreti infrascriptum modo EE. Vestris proponitur Dubium.

Res porro est de separatione Thori, in qua ad vitandum incontinentiæ periculum, publicumque deficientis Prolis damnum, caute procedendum monent *Zypæus consult.* 3. *de Sent. & rejudic. Bielfed. instit. polit ic. cap.* 5. §. 14. *tom.* 1. Urgentissimæ autem in id requiruntur causæ; vel alterius nempe Conjugis adulterium, ex quo perpetuum concedltur divortium, vel periculum vitæ, ex quo temporanea permittitur separatio Thori, per *Text. in Cap. Transmissa, & Cap. Literas de restit. spoliat., & in Leg. Dissentientis* 5. *Cod. de Repud., Rota in Romana præstationis Obsequiorum Matrimonialium* 3. *Julii* 1780. §. 2. *coram Eminentissimo Riminaldo, & Sacra Congregatio in Imo len. Separationis Thori* 11. *Martii* 1786. *ad I. Dubium*.

Tres per Franciscam Moscheni ad separandum Thorum afferuntur causæ, ejus scilicet diffamatio ob imputatum a Viro adulterium; verbales sævitiæ, & adversa valetudo. Diffamationem probat ex Testibus, & summariolo manuscripto per Fogliettum distributo in Sacra Rota. Non desunt autem, qui eam æquiparant periculo vitæ, & justam separationis Thori causam arbitrantur, ut *Cyriac. controv.* 172. *num.* 19., *nov. addit. ad Ferrar. verb. Divortium num.* 6., *Cosc. de separat. Thor. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 60.. & *Rot. in Posnanien. Separationis Thori* 4. *Maii* 1728. §. *Ratio*, & §. *Quod autem, coram Cincio*, & *in Romana Separationis Thori* 4. *Junii* 1736. §. 13. *coram Canilliac.* Loquuntur tamen de vera calumnia, de

qua in casu nostro ex juribus hinc inde productis Eminentissimi Patres decernent.

De inofficiosis in eam Foglietti verbis testantur Domestici, adduntque nonnulli, semel ab illius ore audivisse = *che tirava ad averne due Figli, e di poi nulla si curava, che più vivesse*. De gravioribus hinc Moschenia timet sævitiis in odium litis, satisque hujusmodi timorem censet, ne remoto etiam periculo vitæ, ad conjugalem consuetudinem compellatur, *Reinfest. ad tit. 19. de divort. §. 2. num. 4.*, *Rota in Firmana Separationis Thori 9. Junii 1786.*, *ejusque confirmatoria 1. Julii 1787. utrobique §. 3. cor. R. P. D. Soderino*. Infirmam postremo ex medicis relationibus ostentat valetudinem; adeoque eam Medici quidam opinantur gravem, ut de periculo non dubitent vitæ, si ad usum matrimonii Moschenia restituatur = *da poiche si renderebbe piu grave ed efficace l'esacerbamento di quei morbosi prodotti, che da lungo tempo si osservano nell'utero, nel torace, nel fegato*. Iam vero hujusmodi periculum, ex citatis *auctoritatibus*, a conjugali excusat consuetudine.

Uxorem diffamasse negat Foglietus, idque ex sollicitudine probat, qua illam ad nuptialem Thalamum revocare contendit, *Rot. in Romana Separationis Thori 6. Junii 1777. §. fin. cor. Eminentissimo Riminaldo, & in Romana Præstationis Obsequiorum Matrimonialium 8. Junii 1781. §. 3. cor. R. P. D. Soderino*. Quidquid de cetero ex suo excidit ore, tribuendum ait odio litis, justamque idcirco separationis Thori causam præbere non posse, ut præter citatas decisiones *coram Eminentissimo Riminaldo, & Soderino*, dixit eadem *Rot. in Anconitana Obsequiorum Matrimonialium 9. Decembris 1760. §. 5. cor. Emo de Zelada, & in confirmatoria 15. Junii 1764. §. fin. cor. Veri*.

Ad secundam excludendam verbalium sævitiarum causam, de universis fere actum inquit matrimoniis, si ex inofficiosis parumque urbanis verbis Conjuges separari deberent, contra dispositionem *Text. in Cap. Literas §. Si vero tant. de restit. spoliat.*, & monitum *Rot. in Carpen. Separationis Thori 25. Junii 1781. §. 4. cor. R. P. D. de Bayane*. Ex plurimis vero Testibus, quos inter Publici Montis Ulmi ejus Patriæ Repræsentantes, Sæcularis & Regularis Clerus, ac Firmanus ipse Antistes, nil minus timere valet Uxor, quam reales sævitias a Viro mitissimo, omnibusque præ modestia, morumque suavitate accepto.

Ad opportunitatem postremo confictam dicit Foglietus adversam Uxoris valetudinem, aliudque ei non esse affirmat

mat malum, quam pleriſque fœminis communes uteri convulſiones. Malum hoc ſecundum Medicos ipſos ab ea productos, a nativitate contraxit; & binos tamen ſine periculo vitæ concepit, & peperit Filios. Qua de cauſa unus ex illis, iſque primarius Medicus coram aliis Profeſſoribus declaravit, neque in futurum hujuſmodi periculum adeſſe poſſe. Ubi periculum vero abeſt vitæ, quilibet non ſufficit morbus, ut conjugalis communio, & cohabitatio diſſolvatur, *Sanch. de matrim. lib. 9. diſput. 24. n. 2. & 3.*, *& Rot. poſt Zacch. quæſt. medic. legal. deciſ. 56. num. 15.* Quidam tamen ſunt, qui de bona deponunt Moſcheniæ valetudine; ejuſque etiam argumentum eſſe poſſet, quod de loco dumtaxat præſtandi obſequia matrimonialia in Sacra Rota certavit; teſte *Deciſione 7. Junii 1784. §. 3. cor. R. P. D. Lancellotto*, per hæc verba: *Erat concors utriuſque Conjugis ſententia, eſſe ab Uxore Viro præſtanda obſequia matrimonialia; nec minus reverenter Uxor, quam Vir venerabatur Divinas, humanaſque Leges, quibus hoc ſanctiſſimum præceptum eis imponebatur.*

Dubium eſt: *An ſit locus ſeparationi Thori in caſu &c.*

Non propoſita cum ſequenti.

FOROLIVIEN. Ad reparandam Forolivienſis Capituli domum obtinuerunt primum anno 1781. illius Canonici per reſcriptum Sacræ hujus Congregationis ex hereditate Ugolini, in Anniverſaria & Miſſas deſtinata, ſcuta 1800. In eamdem rurſus caulam impoſitum affirmat Forolivienſis Epiſcopus ex altero EE. Veſtrarum reſcripto 1. Decembris 1786. cenſum in ſorte ſcutorum 600. ſuper bonis Menſæ Capitularis. Rescriptum tamen hoc neque in Poſitione, neque in Codicibus eſt Secretariæ, prodiitque forſan a Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium. Aliud tandem ab EE. Veſtris die 24. Martii 1787. impetrarunt Canonici ſubſidium *juxta votum Epiſcopi, docto de celebratione Miſſarum, & fideli erogatione pecuniæ*. In ſenſu autem fuerat Epiſcopus, ut ce- *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

celebratis Miſſis centum pro quolibet Canonico, & Anniverſariis octo, *quod reliquum erit ex reditibus prædictæ hereditatis quotannis aſſignetur in cauſam reædificationis domus Capituli perficiendæ uſque ad ſummam ſcutor.* 1500. *quæ quidem ſumma a Canonicis, & Perito in arte muraria neceſſaria creditur pro effectu explendæ reædificationis.*

Ut citius vero Artifices dimittant, oblatamque conſequantur imminutionem debiti, facultatem poſtulant Canonici imponendi ſuper bonis eorum Menſæ cenſum alterum in ſorte ſcutorum 700., exorantque, ut in ſolutionem fructuum, ac dimiſſionem ſortis reliquos erogari permittant hereditatis Ugolinæ reditus (jam ex reſcripto 24. Martii 1787. in ædificii cauſam deſtinatos) & nonnulla etiam *ad decennium* ſuſpendere dignentur Miſſarum legata, annui in unum reditus ſcutorum 106. 28., celebratis tamen Anniverſariis. Tot nempe ex diſpoſitione Canonici Franciſci *Antonini* manuales Miſſæ, & Anniverſaria quinque, quot capiunt ſcuta 35. Tot rurſus Miſſæ, & Anniverſaria ſeptem pro Sacerdote Dominico *Magnani* ex ſcutis 40. Hebdomadales Miſſæ tres pro legato ſcutorum 15. 60. Præſulis *Teodoli*. Totidemque hebdomadales pariter Miſſæ pro ſcutis 15., & ob. 68. legatis a Canonico Petro Paulo *Becci*, Fabritio *Golfarelli*, & Canonico Thoma *Torelli*. Atque ex ore etiam Epiſcopi ſupplicant pro abſolutione ab omiſſo per duos annos depoſito in extinctionem cenſus ſcutorum 600.

Neceſſitas, inquit Ariminenſis Epiſcopus, *id poſtulat. Creditores enim inſtant, & in ſolicita ipſorum dimiſſione non leve lucrum haberi poteſt. Summæ porro diminutionem, ſi hic & nunc ſolutio fiat, polliciti ſunt Creditores ipſi. Reliquatus hæreditatis Ugolini in ſumma ſcutorum circiter centum conſiſtit, quæ partim ad debita jampridem contracta dimittenda etiam in præſenti erogantur, ſcilicet triginta aurei nummi in fructuum antedicti cenſus ſolutionem, & totidem in ſortis extinctionem. Sed cum agatur de modica reſiduali ſumma, ad hoc ut citius dimittatur debitum jam contractum, quam ut poſtulant contrahendum, Canonici, & Capitulum humillime poſtulant, ut EE. Veſtræ benigne annuant, ſuperſederi per annos decem in ſatisfactione nonnullorum legatorum, celebratis tamen Anniverſariis, quorum reditus, & anera hic adnecto. His compoſitis, ſumma ſcutorum 200. in quolibet anno in promptu eſſet, quorum pars in fructuum ſolutionem, & pars in ſortis extinctionem cedere deberet in quantitate præfinienda. Hæc ſola via, hoc unicum eſt remedium, quo tam gravi ne-*

necessitati occurri possit, nec aliter ab ære alieno contracto Oratores levari possunt præ redituum tenuitate, quæ tanta est, ut demandata annuæ summæ depositio in duobus elapsis annis minime absoluta fuerit. Accedit in omnibus Canonicorum consensus; & nullus alius adest, qui interesse habeat in legatorum prædictorum satisfactione. Unde mea est sententia, ut Sacer iste Senatus petitioni Oratorum annuere possit.

Pro creatione siquidem census necessitas urget, & utilitas. Necessitatem inducit Creditorum vexatio, & impotentia Capituli: utilitatem imminutio debiti, quam = *si hic & nunc solutio fiat, polliciti sunt Creditores.* Si ita EE. Vestris videbitur, ad examen revocandus erit propositus modus solvendi illius fructus, & extinguendi sortem. Rescripto diei 24. Martii 1787. consentaneum dici posset, ut reliqui in id erogentur hereditatis Ugolinæ reditus, jam in dimissionem Creditorum assignati. Sive enim directe ad Illius formam Creditoribus solvantur, sive juxta hodiernam petitionem in fructus cedant, & sortem census, ex quo statim illi dimittentur, idem profecto haberetur finis.

Tota esse posset difficultas quoad suspensionem Missarum. Tres quidem ex Legantibus, *Antonius* nempe, *Beccius*, & *Torellius* Capitulares fuerunt Canonici, & occurrere etiam voluisse censentur necessitatibus Capituli, *Pasqualig. de Sacrific. nov. Leg. quæst.* 1145. *num.* 5. *tom.* 2., *Piton. discept. Eccles.* 2. *num.* 12. *tom.* 2., eademque de reliquis militare posset præsumptio; nam Capitulum, & Canonicos ad celebrationem Missarum prædilexerunt. Animadvertere tamen dignentur Eminentissimi Patres, quod ex insignibus Ugolinæ hereditatis subsidiis fructuosiorem sibi constituerunt domum Canonici; suaque prudentia deliberent, num suffragiis ad decennium privari debeant Legantium Animæ, seu aliquid potius ex pensionibus domus addere debeant Canonici reditibus Ugolini, ut fructus solvant census, & congruam quotannis summam in extinctionem sortis deponant. Qui ex Ugolina hereditate reliqui sunt reditus, annuam, teste Episcopo, attingunt summam scutorum circiter centum. Horum sexaginta pro altero destinata sunt censu scutorum 600. Quæ ergo supersunt quadraginta, in scutis superant 12. quantitatem fructuum novi census scutor. 700. ad rationem scutorum 4. in singula centum, nec multum pro annuo deposito sortis addendum esset ex pensionibus domus, quibus diu Canonici durante ædificio caruerunt.

Per-

Pertinent hæc ad *primum & secundum* ex infrascriptis Dubiis. Quo vero ad *tertium*; biennio omissum affirmat Episcopus depositum in extinctionem prioris census scutorum 600. *præ reditûum tenuitate*. Justa autem, nec ne hæc sit absolutionis causa, Eminentissimi decernent Patres, a quibus deliberandum erit.

I. *An, & in qua summa sit locus creationi census in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An, & quomodo sit providendum solutioni ejus fructuum, & extinctioni sortis in casu &c.*

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 13. *Junii* 1789. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

QUOAD primam, & ſecundam Cauſam conſulere dignentur Emi Patres præcedens Folium 16. Mail.

FIRMANA SEPARATIONIS THORI.

An ſit locus ſeparationi Thori in caſu &c. *Seſſ. 24. cap. 8. de Reform. Matrim.*

Negativè.

FOROLIVIEN. *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

I. *An, & in qua ſumma ſit locus creationi cenſus in caſu &c.*
Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo ſit providendum ſolutioni ejus fructuum, & extinctioni ſortis in caſu &c.*

III. *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro abſolutione in caſu &c*

Ad I. Affirmativè in ſumma ſcutor. 700. juxta votum Epiſcopi.

Ad II. Affirmativè. depoſitis ſingulis annis ſcutis quadraginta ſuperextantibus hereditatis Ugolini, & viginti ex penſionibus reparatæ Domus.

Ad III. Affirmativè.

Seſſ. 21. cap. 3. ſeſſ. 22. cap. 9. & ſeſſ. 25 cap. 6. de Reform.

SENOGALLIEN. In Collegiatam erexit *Clemens XIV.* anno 1773. Parochialem Eccleſiam S. Petri Montis Martiani *cum omnibus honoribus, & privilegiis, quibus aliæ inſignes Collegiatæ gaudere ſolent.* In primam ejus Dignitatem cum Animarum cura, reditibuſque Parochiæ conſtituit Archipresbyterum: in ſecundam Priorem; aliiſque Canonicis quinque bona addixit Capellaniarum ſex, quæ in ſuburbana erant Eccleſia S. Mariæ *degli Alberici*, ea tamen lege, *ut in ipſa Eccleſia ſemper unus Capellanus, qui ad audiendas confeſſiones ſit approbatus, reſidere debeat.* Manſionariorum vero titulum dedit binis Capellanis, *quorum ſubſidiaria opera in exercenda Animarum cura uti Archipresbyter ſolet.* Dignitatibus, & Canonicis ſuperpelliceum, & palliolum; Manſionariis almutiam conceſſit, reſervavitque Senogallienſi Epiſcopo facultatem condendi = *eas Leges, Conſtitutionesque, quas aptiores eſſe, opportunioreſque pro loco, proque Collegarum numero, magiſque Divino cultui, ac publicæ Populorum ædificationi conſentaneas, una cum ipſo Capitulo judicabit.*

In exequendo Pontificio Brevi approbavit Epiſcopus de Rubeis anno 1773., novendecim conventiones, initas anno 1765. inter Parochum, & Capellanos *degli Alberici*, iterumque eas confirmavit anno 1775., *reſervato Nobis, & Succeſſoribus in Epiſcopatu jure addendi, minuendi, augendi, & corrigendi.* Earum duæ ad rem pertinent: altera, quod = *tanto il Signor Arciprete, quanto li Signori Priori, e Canonici goderanno l'uſo, e comodo della Chieſa, Sagreſtia, e Campanile con tenere ancor eſſi una chiave per avere a loro diſpoſizione l' ingreſſo*; & altera, quod onus *di mantenere la detta Chieſa* (S. Petri) *Sagreſtia, Campanile &c. ſpetti intieramente al Signor Arciprete pro tempore; così il riattamento di porte, fineſtre &c.*

Diuturna inter Archipresbyterum, & Canonicos non fuit concordia. Contendere enim ceperunt anno 1779. de regimine & adminiſtratione Eccleſiæ Collegiatæ; reparatione Fabricæ; Utenſilium manutentione; Sacrarum Functionum celebratione, aliiſque pluribus circa minores Officiales, Manſionariorum ſervitium, diſtributiones. Controverſias vero ex compromiſſo Partium hodiernus diremit Eminentiſſimus Epiſcopus anno 1781. per decreta undecim. Tribuit *primo* Eccleſiæ regimen, claviumque retentionem Capitulo, exceptis iis, quæ ad curam pertinerent Animarum. II. Reparationis Fabri-

bricæ onus uni impoſuit Archipresbytero ; eique annua præſcripſit ſcuta 60. , Canonicis 35. in manutentionem Utenſilium . III. Præter parochialem Miſſam pro Populo , alteramque præsente cadavere , reliquas omnes cum novendialibus, aliiſque Sacris Functionibus eidem permiſit Capitulo , cui ſubditum etiam voluit Sodalitium Sanctiſſimi Roſarii , in Collegiata Eccleſia erectum ; ac de illius conſenſu indicendas per Archipresbyterum declaravit Supplicationes .

Res IV. , & V. ſtatuit non controversas. VI. Capitulariter eligendos decrevit minores Eccleſiæ Officiales , eorumque ſtipendium ſumendum ex dote Sacrarii , diſtributis etiam inter ipsos incertis. De rebus VII. , & VIII. diſpoſuit ad Cauſam non pertinentibus. IX. Archipreſbyterum abſolvit a menſtruo depoſito ſcuti unius ex ſalario Manſionariorum pro ſolutione punctaturæ , *dummodo ſemel ſaltem in menſe computentur fallentiæ , & ſolutionem non renuant* . X. Non licere edixit Archipresbytero , & Manſionariis curatis ſimulare exercitium curæ Animarum ad evitandum ſervitium Chori , eoſque in deferendo Sanctiſſimo Viatico abſtinere debere a cantu intra Eccleſiam chorali tempore . Et XI. tandem jus eſſe declaravit Archipresbytero decimandi fructus bonorum Capituli cum onere diſtribuendi in die Purificationis B. M. Virginis candelas majoris ponderis inter Canonicos , quam inter Manſionarios .

Licet hujuſmodi decreta cum Canonicis accepiſſet Archipresbyter , eo tamen fortaſſe urgente , treſdecim alia in Sacra Viſitatione anni 1784. edidit Eminentiſſimus Epiſcopus , & in quibuſdam revocavit , aut moderatus fuit priora; nova in reliquis diſpoſuit . Mandavit I. , ut alienum æs Sacrarii intra certum tempus dimitterent Archipresbyter , & Canonici *nella ſteſſa proporzione ſino ad ora tenuta* [quæ fuiſſet hæc proportio , ignoratur)II. , & III. , quod bina conſtitui deberent Sacraria ; capitulare unum communi Archipresbyteri , & Canonicorum ſumptu , ſub directione Clerici ſubſacriſtæ capitulariter eligendi ; parochiale alterum unius Archipresbyteri ſumptu , ſub directione alterius ſubſacriſtæ , ab ipſo eligendi , attributis eidem Archipresbytero emolumentis Funerum , aliiſque incertis . IV. capitulariter eligeretur Sacriſta , ejuſque ſtipendium pro medietate a Canonicis , & Archipresbytero ſolveretur . V. capitularis , & parochialis divideretur ſupellex . VI. annua quilibet Canonicus deponeret ſcuta octo pro manuten-

tione, & augmento ſupellectilis capitularis; alteriuſque parochialis cura ad Archipresbyterum pertineret.

Septimo, quod Calices, aliaque argentea vaſa, & ornamenta, quæ in Parochiali Eccleſia, vel ab altera *degli Alberici* Canonici aſportaverant, in reſpectivis cuſtodiri deberent Sacrariis. VIII. communis eſſet Sacrarum Reliquiarum cuſtodia, & expoſitio, ſex exceptis argenteis illarum thecis ad Archipresbyterum ſpectantibus. IX. pro medietate a Canonicis, & Archipresbytero præſtanda eſſet cera pro expoſitionibus SS. Sacramenti, ſacriſque aliis Functionibus. X. is adventitias Miſſas, novendialia, & tridua celebraret, Archipresbyter nempe, vel Capitulum, cui commiſſa eſſent. XI. In celebrationem Miſſarum erogarentur elemosynæ. XII. Archipresbyteri eſſet proprietas, Canonicorum etiam usus Organi. Et XIII. tandem ab utriſque tintinnabula pro reſpectivis Functionibus pulſari poſſent.

Cauſam poſteriora hæc decreta gravioribus dederunt contentionibus, novaſque hinc inde excitarunt prætenſiones. Rem omnem igitur ab EE. Veſtris definiendam cenſuit Eminentiſſimus Epiſcopus, Capitulique Defenſor *triginta* circiter ſubſcribenda exhibuit Dubia. Horum multitudo maturum exigebat examen. Cujusque idcirco rationes in ſcriptis, ut in mandatis habuit, Defenſor ipſe expoſuit, ejuſque animadverſiones communicatæ fuerunt Patrono Archipresbyteri, ut contraria notaret Dubia; ſua exhiberet. Poſt diuturnam moram libellum hic exaravit, nulloque facto de Dubiis verbo, ſubminiſtrationem poſtulavit in cauſam declarandam, ut litem Archipresbyter ſuſtineret. Ex pluribus inſtantiis hæc, atque ex eo potiſſimum viſa fuit abſurda, quod de bono Archipresbyteri jure, quod principale eſt ſubminiſtrationis requiſitum, ad primam ſaltem EE. Veſtrarum deciſionem conſtare non poſſet.

Iterum ergo illius Patronus, iterumque monitus, Dubiorum concordationem per menſes neglexit; eaque idcirco urgente Defenſore Capituli fieri tandem debuit ex officio. Poſt hanc vero deſtinatam Congregationem formiter Archipresbyteri nomine renovata fuit ſubminiſtrationis inſtantia, inſtitumque pro ſubſcriptione unius tantum Dubii = *An ſint exequenda capitula, ſeu decreta anni* 1781., *ſeu potius alia anni* 1784. Eadem erat denegandæ ſubminiſtrationis ratio. Incongruum vero videbatur tot decretorum examen ſub unico Dubio; quum pleraque ſtatuerent diverſa, ac novæ etiam quæ-

ſtio-

ſtiones acceſſiſſent. Utraque igitur rejecta inſtantia, EE. Patrum judicio concordata ſubjiciuntur Dubia.

Canonicos a limine judicii rejiciendos cenſet Archipreſbyter; quum neque majorem, neque ſaniorem conſtituant Capituli partem. Non majorem, quia quatuor tantum ex ſeptem Capitularibus in hanc litem conveniunt; & duæ ſaltem ex tribus partibus ad inducendum Capituli conſenſum requiruntur *ex Cap. unic. de Cleric. ægrot.*, *Zoeſ. in Jus Canon. univ. lib.* 3. *tit.* 11. *de his, quæ fiunt a major. part. Capit. num* 1. Non item saniorem, quia inter eos non ſunt Dignitates Capituli, quæ ſaniorem conſtituunt partem, ceteriſque Capitularibus præcellunt, *Zoeſ. loc. cit. num.* 1. *in fin.* Hæc tamen procedere forſan poſſent, ſi Archipresbyter, cum quo lis eſt, in numero Capitularium haberetur. Aliter enim quatuor litigantes Canonici duas componerent reliquorum Capitularium partes; & una eis adverſaretur Dignitas.

Quæritur deinde de neglectis in concordatione Dubiorum conventionibus anni 1765., & decretis anni 1784. Unicum præterea diſputandum proponit Dubium, paullo ante memoratum; & de ſubminiſtratione tandem agit in cauſam declarandam. Quæ de his notanda ſunt, jam habent Eminentiſſimi Patres ex facto. Nullum quidem Archipresbyter de propoſitis quæſtionibus verbum. Societatis tamen SS. Roſarii nomine *octavum*, & *decimum* Dubium in ſeparatis Scriptis impugnat ejus Defenſor. Hæc autem Canonici quoad infraſcripta obſervant Dubia.

Regimen, inquiunt, & adminiſtratio Eccleſiæ S. Petri, de quibus ſub *primo* Dubio, ob illius erectionem in Collegiatam ſpectant ad Capitulum, tum ex diſpoſitione Juris *in Cap. Relatum* 12. *de Teſtam.*, *Pignatell. conſult.* 42. *num.* 2. *tom.* 6., cum ex Clementino Brevi, & decreto erectionis. Ei ſane *Clemens XIV.* honores tribuit, & privilegia, *quibus aliæ inſignes Collegiatæ gaudere ſolent*, nilque aliud, quam Animarum curam, & reditus Archipresbytero reſervavit; quaſi non expreſſum Eccleſiæ regimen denegare voluiſſe cenſeatur, per *Text. in Leg. unic. §. fin autem, Cod. de caduc. tollen.*. Et hoc ipſum in erigenda Collegiata decrevit Epiſcopus. Advertit tamen poſſet, quod per conventionem anni 1765. permiſſus tantum fuit Canonicis = *l'uſo e comodo della Chieſa, Sagreſtia, e Campanile*. In hac quidem confirmanda conventione reſervavit ſibi Epiſcopus facultatem *reformanda*

mandi, immutandi, & de novo etiam alia statuendi; eaque utens, Ecclesiæ regimen per salterum ex decretis anni 1781. addixit Capitulo. Ponderandum contra, num sublatæ censeri valeant conventiones per decretum, quod est cum reliquis in quæstione.

Certant *secundo* de removenda communicatione Archipresbyteralis domus cum hiemali Choro. Duplex ex illa aditus est in Ecclesiam. Nullum ergo, inquiunt, Archipresbytero præjudicium, si altero privetur, quo absque perturbatione choralium functionum uti non potest. Quod uni autem non nocet, alteri prodest, concedendum putat *Ulpianus in Leg. 2. §. locum ff. de religios., & sumpt. fun.*. Verum adverti posset, quod vel cum reliquis Canonicis in Choro, vel in Ecclesia Archipresbyter chorali tempore ex parochiali munere versatur. Utroque casu cessat fortasse controversi introitus abusus.

Præ viribus *tertio* in unum Archipresbyterum refundere conantur manutentionem fabricæ Ecclesiæ, sive ex dispositione Juris, ex qua onus illud, propriis deficientibus Ecclesiæ reditibus, incumbit Rectori, ut *in Cap. 4. de Eccles. ædif.*, *Barbos. de Paroch. part. 1. cap. 13. num. 1.*, *& seqq.*, sive quia Æconomi testimonio annua Archipresbytero sunt scuta circiter 250., detractis oneribus, tenuis vero Canonicis præbenda; sive quia is unus est decimator, & emolumenta percipit Curæ; sive quia ei ante erectionem Collegiatæ onus ipsum incumbebat, ac injunctum etiam fuit in conventionibus anni 1765.. Dum hæc vero Emi Patres ex circumferendis Canonicorum Scriptis fusius accipient, ponderare etiam dignentur, quod ubi de regimine agitur Ecclesiæ, negligendum contendunt Canonici primævum Archipresbyteri jus, eique consentaneas conventiones anni 1765., ubi res vero est de oneribus, antiquum statum, & conventiones appellant.

Quartum, & quintum succedit Dubium super manutentione Sacrorum Utensilium, pro qua mandavit anno 1781. Emus Episcopus, annua per Archipresbyterum scuta 60., aliaque per Canonicos 35. in massam conferri, a majori Sacrista administrandam. Hujusce sane massæ constitutio consona est dispositioni Juris *in Can. Nobis 12. quæst. 2.*, sed quæ ad eam constituendam servanda sit inter Archipresbyterum, & Canonicos proportio, EE. Vestræ decernent. Plus certe ex secundo decreto anni 1781. unus gravaretur Archipresbyter, quam reliqui omnes Canonici. Ex decreto autem sexto anni 1784. æqua inter Ca-

nos

nonicos pro capitularibus utenſilibus ſervaretur proportio, ut res exigit communis; integrumque parochialium onus uni injungeretur Archipresbytero, in cujus privativum uſum deſtinata ſunt.

De jure agitur ſub *ſexto* celebrandi Functiones, quæ chorales non ſint, aut parochiales: de diſtinguendis vero parochialibus ſub *ſeptimo*. Ex communi Collegiatæ titulo commune dicunt Canonici jus celebrandi Functiones non parochiales, ut ſunt Miſſæ cum cantu pro vivis, & defunctis, novendialia, tridua, anniverſaria, & ſimiles. Facile autem ab his diſtingui parochiales, quum ſatis conſtet ex Jure, quid ad parochiale officium pertineat; Miſſæ ſcilicet pro Populo, & præſente cadavere; SSm̃i Viatici delatio; aſſiſtentia matrimoniis, aliaque notata per *Gloſſ. in Cap. Quia ex eo, verſ. parochialibus, de pact. in ſexto*, ac fuſius expreſſa *in Decretis generalibus Sacræ Congregationis Rituum anni* 1703., de quibus *Benedict. XIV. Inſtit.* 105. §.4.

Non inficiantur ad *octavum* Canonici, Societatem SSm̃i Roſarii ſubjectam ſemper fuiſſe Parocho S. Petri; ob erectionem tamen Parochialis Eccleſiæ in Collegiatam, ſubeſſe debere contendunt capitulari adminiſtrationi, de qua ſub primo Dubio. Ne id permittatur, ſuam Societas urget fundationem anni 1573., ex qua privativum ejus regimen ad Parochum ſpectat S. Petri, qualis in Collegiata etiam eſt Archipresbyter; additque tranſactionem anni 1761., per quam plura Parocho tanquam ejus Rectori, ſeu Capellano, plura ſibi a Parocho ſtipulata fuit.

Admittunt pariter Canonici quoad *nonum*, jus indicendi publicas Supplicationes parochiale eſſe, *Barboſ. de Paroch. cap.* 12. *part.* 1. *num.* 3., ſed exerceri non poſſe contendunt in Collegiata Eccleſia abſque conſilio Capituli, juxta doctrinam *Scarfant. ad Ceccoper. lib.* 2. *tom.* 1. *tit.* 14. *num.* 35.. Idque a majori ad minus exemplo confirmant Epiſcopi, qui in dirigendis Supplicationibus requirere etiam debet conſenſum Capituli, *Barboſ. de officio, & poteſt. Epiſc. allegat.* 78. *num.* 4., *Scarfant. ad Ceccoper. loc. cit. num.* 31.

De cuſtodia, & diſtributione eleemoſynarum quæritur *decimo*. Cuſtodiendas authumant Canonici per Sacriſtam, juxta *Cæremoniale Epiſcoporum lib.* 1. *cap.* 6. *ſub num.* 4., erogandas vero in celebrationem Miſſarum. Proprias vero Societas tuetur eleemoſynas, ſibique uni jus eſſe cenſet in earum cuſtodia, & erogatione, tum ex bi-

biscentenaria observantia, cum ex transactione anni 1761., in qua cautum præ ceteris fuit, quod = *le Offerte, lascite, questue, relitti, voti, e qualsivoglia altra simil cosa, che fosse lasciata, o portata alla S. Immagine della B. V. del Rosario, tutto appartener debba alla Confraternita.*

Quantum sub *undecimo* soliciti sunt Canonici de capitulari electione Sublacristiæ, aliorumque minorum Officialium Ecclesiæ, tantum sibi parcere studeant de illorum stipendio. Pro nunc enim solvendum esse autumant ex provisionali assignamento, de quo in secundo decreto anni 1781., deindeque pro tertia ab ipsis parte, & pro reliquis duabus ab Archipresbytero, postquam scilicet in fine quindennii exoneratus erit ab annua contributione scutorum 100. pro fabrica Ecclesiæ. Eam vero afferunt hujusce inæqualis præstationis rationem, quod majus Officiales illi servitium præstant Archipresbytero ob Animarum curam. Minores etiam Officiales respicit *duodecimum* super incertis, eorumque divisione. Ea sane præstari solent in præmium laboris, & ad illos pertinent, qui incommodum sentiunt, per *Text. in Leg. Secundum naturam ff. de reg. Jur.*. Nedum vero de illorum pertinentia; sed de modo etiam deliberandum ea dividendi, & a quo fieri debeat divisio, quam Canonici injungendam arbitrantur Sacristæ.

De distributionibus Mansionariorum agunt *decimumtertium*, & *quartumdecimum*. In exequutione siquidem Bullæ erectionis Collegiatæ imposuit Episcopus Mansionariis, licet amovibilibus, onus residentiæ, & Chori. Ex hoc concludunt Canonici, quod conferre debeant tertiam eorum stipendii partem in distributiones, ad formam *Sac. Conc. Tridentini Sess. 21. cap. 8., & Sess. 24. cap. 12. de remormat.*, solvendas vero esse hujusmodi distributiones singulis mensibus in manibus Sacristæ, ne per dimissionem negligentis Mansionarii, iis privetur, qui diligentem assistentiam præstitit Choro; ac utroque deficiente cedere debere in utilitatem Sacrarii, juxta *Sacrum ipsum Concilium in cit. sess. 24. cap. 12.*. In eos insuper refundi debere arbitrantur almutiæ sumptum, cum obligatione eam deferendi in Choro, & Supplicationibus sub pæna amissionis distributionum, juxta *XV. & XVI. Dubium*. Auctum inquiunt illorum stipendium a scutis 24. ad 40., ita ut commode sumptum illum ferre valeant. Nisi almutiam vero in Choro, & Supplicationibus deferant, pro intereſſentibus haberi nequeunt,

Card.

Card. de Luc. de Præem. disc. 41. *num.* 9., *& disc.* 54. *num.* 3.

Ecclesiæ silentio studeant Canonici *sub XVII.* chorali tempore. Qua de re claudendum censent os Sacris Ministris, SS. Viaticum deferentibus, quousque ab ea egressi fuerint; & occasione communionum generalium deferri per eos debere SS. Sacramentum summo mane ante recitationem Officii. Ita plane Emus statuit Episcopus in decimo decreto anni 1781. Quid vero in id expediat, EE. Vestræ decernent. De ipsa præterea Animarum cura soliciti, contendunt ad *decimumoctauum*, Mansionarios curatos a Choro vacantes, vacare etiam non debere a cura, utpote mercede conductos. Suoque tandem consulentes interesse, recensent juxta *decimumnonum* inter parochialia jura candelarum benedictionem, & distributionem in die Purificationis B. M. Virginis, ad tradita per *Barbos. de Paroch. part.* 1. *cap.* 12. *num.* 4., & in Archipresbyterum refundunt sumptum, ex *Gavant. in prax. Visitat.* §. 11., *& Scarfaat. ad Ceccoper. tom.* 2. *lib.* 3. *num.* 24. Præ majori autem sua dignitate, in majori eas flagitant pondere, quam quæ inter Mansionarios, ceterosque Ecclesiæ Sacerdotes distribuuntur.

Ne vero Canonici quatuor, qui litem agunt, integrum ferant ejus sumptum, reliquos ex *vigesimo*, & ultimo Dubio cogendos sustinent dissentientes Capitulares ad contributionem; quum de communibus certent juribus Capituli, *Gloss. cum inter de elect.*, *Scarfant. ad Ceccoper. part.* 2. *lib.* 4. *tit.* 13. *num.* 1., satisque ad id sit, quod probabiliter justam habeant litigandi causam, *Carol. Ant. de Luc. observ. ad decis.* 394. *de Franch. sub num.* 3.

Dubia sunt.

I. *An regimen & administratio Ecclesiæ S. Petri, & retentio clavium ejusdem Ecclesiæ, Sacristiæ, Chororum & Cubiculi existentis supra Cappellam B. M. Carminis, & Turrium campanarum spectent ad Capitulum, per Canonicum Sacristam annuatim ab ipso eligendum exercenda, seu potius privativè ad Archipresbyterum in casu &c.*

II. *An communicatio domus archipresbyteralis cum Choro, ubi in hyeme officiant Canonici claudi debeat, reservata Archipresbytero altera, quam habet communicatione cum Ecclesia in latere oppositio in casu &c.*

III. *An onus reparandi, ac manutenendi fabricam, & campanas dictæ Ecclesiæ, ipsamque Ecclesiam providendi de sacris Indumentis, luminibus, cæterisque Divino cultui necessariis spectet ad unum Archipresbyterum, seu*

potius repartiendum sit inter eum, & ceteros Capitulares, & quomodo in casu &c.

IV. *An, & pro qua rata ex Præbenda Archipresbyteri, & aliorum Capitularium respectivè constitui debeat distincta massa per Canonicum Sacristam administranda pro manutentione Utensilium, aliorumque Divino cultui, ut supra necessariorum in casu &c.*

Et quatenus negativè.

V. *An, & quomodo sit providendum in casu &c.*

VI. *An, & cui competat jus celebrandi in eadem Ecclesia Sacras omnes Functiones, exceptis choralibus, & parochialibus in casu &c.*

VII. *An, & quomodo distinguendæ sint Functiones parochiales a non parochialibus in casu &c.*

VIII. *An Confraternitas SSmi Rosarii in eadem Ecclesia S. Petri, ut asseritur, erecta subesse debeat Capitulo, seu potius soli Archipresbytero in casu &c.*

IX. *An quoad ordinem, & directionem Processionum teneatur Archipresbyter sequi voluntatem Capituli, seu potius e contra in casu &c.*

X. *An, & a quo recipi, & custodiri debeant eleemosynæ Benefactorum quomodocumque quæsitæ, inter quos, & quomodo sint distribuendæ in casu &c.*

XI. *An, & ad quem spectet electio Subsacristarum, aliorumque minorum Officialium Ecclesiæ, & a quo sit illis solvendum stipendium, & quatenus a singulis Capitularibus, in qua rata in casu &c.*

XII. *An incerta dictis minoribus Officialibus præstari solita a Defunctorum heredibus, aliisque inter ipsos a Capitulo dividi debeant, seu potius privativè pertineant ad Archipresbyterum in casu &c.*

XIII. *An, & in qua summa statuendæ sint distributiones quotidianæ Mansionariorum, & fallentiæ ab iis persolvendæ, & cujus commodo cedere debeant absente utroque Mansionario a Choro in casu &c.*

XIV. *An, quo tempore, & apud quem faciendum sit depositum dictarum fallentiarum pro tuta illarum solutione in casu &c.*

XV. *An, & cujus sumptibus debeat provideri almutia pro dictis Mansionariis in casu &c.*

XVI. *An Mansionarii non deferentes in Choro, & Processionibus almutiam, haberi debeant pro intereſſentibus, seu potius pro absentibus in casu &c.*

XVII. *An; & quid servare debeant Canonici, Archipresbyter, & Mansionarii curati in casu delationis SSmi Viatici*

tici ad Infirmos, & illius reditus in Ecclesiam tempore Divini Officii in Choro in casu &c.

XVIII. *An liceat Mansionario curato a Choro vacanti, vacare etiam a Cura in casu &c.*

XIX. *An, cujus ponderis, & sumptu in Festivitate Purificationis B. M. Virginis distribui debeant candelæ benedictæ Canonicis, & Mansionariis in casu &c.*

XX. *An Capitulares dissentientes debeant contribuere in expensas præsentis litis, & pro qua rata in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam juxta modum, nempe ad formam primi decreti Emi Episcopi anni 1781. Ad II. Affirmativè juxta decretum Emi Episcopi anni 1781., & amplius. Ad III. Quoad **Sacra** Indumenta, lumina, ceteraque Divino cultui necessaria servetur decretum Emi Episcopi anni 1784., & amplius; quo vero ad onus reparandi, ac manutenendi Fabricam & Campanas, spectare pro tertia parte ad Capitulum, pro reliquis duabus partibus Archipresbytero. Ad IV., & V. Provisum in tertio. Ad VI. Servetur decretum tertium Emi Episcopi 1781., & amplius. Ad VII. Affirmative juxta decreta **generalia** Sacræ Congregationis Rituum anni 1703. Ad VII. Negative ad primam partem, affirmativè ad secundam, & amplius. Ad IX. Affirmativè juxta decretum Emi Episcopi anni 1781. Ad X. Affirmativè ad formam decreti tertii Emi Episcopi anni 1781., exceptis eleemosynis ad Societatem B. M. Virginis Rosarii pertinentibus, & amplius. Ad XI. Servetur decretum Emi Episcopi anni 1784. Ad XII. Affirmativè ad primam partem; Negativè ad secundam. Ad XIII. Affirmativè ad formam decreti Emi Episcopi 1781., & amplius. Ad XIV. Affirmativè singulis mensibus in manibus Sacristæ, & amplius. Ad XV. Affirmativè sumptibus Mansionariorum. Ad XVI. Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam. Ad XVII. Affirmativè ad formam decreti decimi Emi Episcopi 1781., & amplius. Ad XVIII. Negativè. Ad XIX. Affirmativè sumptibus Archipresbyteri, & quoad pondus candelarum arbitrio Emi Episcopi, & amplius. Ad XX. Affirmativè pro virili, excepto Archipresbytero, & amplius. Quoad subministrationem, Nihil.

Seff. 25. cap. 5. de Reform.

ROMANA CAPELLANIARUM. In teſtamentariis, quas anno 1764. condidit tabulis, ſex clar. mem. Cardinalis Coſma Imperiali pro Januenſibus Sacerdotibus fundavit capellanias in Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ Nationis Januenſis; aſſignavitque ſingulis Capellaniis menſtrua ſcuta ſex cum onere = *di dovere a vicenda fare ogni Feſta in detta Chieſa il catechiſmo, e la ſpiegazione del Vangelo all'Altare*. In codicillis vero applicationem cuilibet demandavit Miſſarum viginti in ſingulos menſes ſub lege celebrandi = *quotidianamente la Meſſa in detta Chieſa di S. Giovanni, e non altrove, e riſiedere nelle ſtanze, che ſaranno loro aſſegnate*; pœnamque pro qualibet vice impoſuit juliorum duo, applicandam *a chi degli altri Cappellani ſupplirà*, ſi in explenda catecheſi, vel exponendo Evangelio deficeret.

Ex ampliſſimis Teſtamenti facultatibus, hoc in erigendis capellaniis Executores teſtamentarii addiderunt, quod = *in qualunque caſo dell'inadempimento delle dd. Meſſe di cadauno di dd. Cappellani o per mancanza volontaria, o per impedimento procedente da aſſenza volontaria, in cui ſi poſſa conſiderare qualche colpa, o negligenza del Cappellano, da conoſcerſi dal Prelato pro tempore della detta Ven. Chieſa, e Compagnia, queſta debba far ſupplire al d. peſo da un'altro Sacerdote durante tale mancanza, ritenendoſi l'intiera menſtrua proviſione; eccettuato però il caſo di legitimo impedimento procedente da infermità, o per cauſa d'indiſpoſizione di alcuno di detti Cappellani, ne quali caſi durante l'infermità, o indiſpoſizione, dovrà e sia tenuto lo ſieſſo Cappellano far ſupplire da altro Sacerdote a ſe ben viſto alla celebratione in detta Chieſa delle ſole venti Meſſe il meſe, che devono applicarſi in ſuffragio dell'Eſto Teſtatore*.

Onera initio adimpleverunt Capellani ad formam diſpoſitionis, & erectionis. Paullatim deinde Miſſas viginti per alios applicare, reliquas pro præſentia omittere cœperunt. Sæpe eos idcirco Eccleſiæ Præſul caſtigavit; ac pro eis impetrarunt anno 1783. illius Rectores a Sacra Congregatione Viſitationis abſolutionem a Miſſis pro præſentia non celebratis, *dummodo in poſterum* (ſunt verba reſcripti) *etiam quoad Miſſas pro præſentia mens Teſtatoris exacte, & omnino adimpleatur*. Perſeverantibus Capellanis in celebratione per alios, decrevit ſecreta Eccleſiæ, & Societatis Congregatio die 6. Martii elapſi anni 1783., *che a neſſuno de' Signori Cappellani ſarà lecito in avvenire di far celebrare la Meſſa per altri Sacerdoti*;

il ; mentre la Chiesa in conformità della fondazione se ne prenderà il pensiere colla proporzionata ritenzione dell'assegnamento mensuale , iterumque die 18. Junii = *che circa le mancanze delle Messe , che faranno li Cappellani Imperiali , la nostra Chiesa sia quella , che debba pensare a far celebrare le Messe colla ritenzione dei due pavoli , eccetto il caso della malattia* ; ita tamen , ut = *adempito l'obbligo delle Messe* (cum eleemosyna obolorum duodecim cum dimidio pro qualibet) *il carlino di sopravanzo , si tenga in deposito finche la Sagra Congregazione del Concilio avrà deciso* ,

De utraque re apud EE. Vestras conquesti sunt Capellani , de onere scilicet celebrandi per se ipsos , & applicatione obolorum 7. cum dimidio Ecclesiæ . Eis tamen in omnibus adversatur Emus D. Cardinalis Antonius ab Auria, Ecclesiæ Protector . Rogatus enim , ita de personali celebrationis obligatione juxta legem fundationis , & erectionis differit . *Quemadmodum* , inquit , *lex ista obligationem fert nedum affirmativam celebrandi in prædicta Ecclesia , verum etiam negativam , e non altrove* ; *rursus quemadmodum utrobique indictum fuit residentiæ onus , concessaque demum ex fundatione sit in casu infirmitatis facultas certum Missarum numerum celebrandi per alium , & hoc adamussim ex unanimi Doctorum sensu luculentissima sint volitæ personalitatis connotata ; ita videtur , de ea secus in subjecta quæstione judicari non posse , adeo ut Capellani nequeant , præter indultam in casu infirmitatis limitationem , huic personali muneri per alium Sacerdotem satisfacere* ,

Neque legem celebrandi = *nella Chiesa di S. Giovanni , e non altrove* = latam censet ad designandum dumtaxat celebrationis locum . Quandoquidem lex ista = *non est inpersonalis , vel directa tantum ad denotandum locum celebrationis , sed utrumque continet ; quippe quæ , & Ecclesiam designat , & Personis onus celebrationis directe imponit* . Et considerandum denique proponit = *quod si Capellanis , præter indultam ex infirmitate limitationem regulæ , potestas fieret demandandi alteri Sacerdoti muneris , nil inde facilius , ac frequentius omissione quotidianæ celebrationis consequeretur . Percepto namque ab ipsis Capellaniæ emolumento contingere posset , ut debitæ Sacerdotibus ad supplendum onus adhibendis eleemosynæ præstationem negligerent , unde hi a celebratione vacarent . Quod revera alias contigisse non ignoramus , compertumque sit ex rescripto Sacræ Visitationis 29. Aprilis* 1783.

In

In plures deinde ſecundam dividit quæſtionem ; *an ſcilicet oboli viginti in ſingulas Miſſas conſtituendi ſint ; an idem ſentiendum tum quoad viginti Miſſas demandatæ applicationis , tum quoad liberas ; & tandem utrum quod ſuperſit , ſoluta eleemoſyna ſupplementi Miſſarum , in Eccleſiæ potius , quam Capellani omittentis commodum cedere debeat*. Integra Miſſarum omnium celebrationi tribuenda arbitratur ſcuta ſex , ſeu obolos cuilibet viginti , tum ob perpetuam illarum qualitatem , cum ob factam Eccleſiæ poteſtatem retinendi in pœnam dumtaxat earum omiſſionis *l'intiera menſtrua proviſione* , quæ integraliter retineri non poſſet , ſi aliqua ex parte in aliorum onerum compenſationem referenda foret ; onera autem hæc *non exiguam aliunde obtinere compenſationem , nimirum ex habitationis commoditate , relictaque in unoquoque menſe ſingulis Capellanis decem aut undecim Miſſarum libera applicatione ; cum ex harum libertate quoad applicationem , adjectiſque manſionibus ipſi non minus duo de viginti ſcutorum emolumentum percipiant* .

Notat rurſus , obolos ſeptem cum dimidio , qui in ſupplenda cujuslibet Miſſæ celebratione ſuperſunt , adjudicandos non eſſe Capellanis , *ne indebitam a ſua ipſi culpa vel negligentia percipiant utilitatem* , ſed Eccleſiæ , cui facultas eſt ex fundatione=*di far supplire da un'altro Sacerdote , ritenendoſi l'intiera menſtrua proviſione* .Maxime quia *pateſt tractu temporis fieri ut Deputati , vel eorum vice,Sacrarii Præfectus tum pro Sacerdotum inopia , tum pro magna Eccleſiæ diſtantia , quos Cappellanorum defectui ſupplere velint , non invenientes eleemoſyna obolorum tantum duodecim cum dimidio , cogantur eleemoſynam ipſam augere*; & quia aliter Capellani = *libenter , & ultro Sacrario quotidie relinquentes obolos duodecim cum dimidio pro celebratione ſuarum Miſſarum , & ſibi ſumentes quotidianos ceteros obolos ſeptem cum dimidio , capellaniam facili negotio ad Beneficium ſimplex redigerent , ſeque in famulatum alicujus Viri conferentes (quod exemplo minime caret) Teſtatoris mentem fruſtrando , ſe eximerent a munere , quod perſonaliter in Eccleſia tam remota adimplere tenentur* .

De conſuetudine tandem referens ; *inter initia* , ait , *res quieta , atque tranquilla proceſſit , Capellanis ſuo muneri diligentius vacantibus . Proceſſu vero temporis abuſus orti ſunt , quibus deinde voce atque etiam minis obviam itum eſt ; idque ego memoria contineo , cum acciderit eo tempore , quo Eccleſiæ Prælati munus obirem . Conſtito tandem ,*

dem, prædictos abusus majores potius in dies fieri, quam deficere, oportuit Capellanos ad exacte munus suum adimplendum adigere. Atque hinc suum aperit votum in hæc verba: *Mea ergo esset sententia, ut Missæ omnes tam præscriptæ, quam liberæ applicationis, calculata singularum eleemosyna in obolis viginti, celebrari a Capellanis debeant in Ecclesia S. Joannis Nationis Genuensis, quod quidem relate etiam ad liberas indictum ipsis fuit a rescripto Sacræ Visitationis: ut Capellani omittentes voluntarie, & culpabiliter celebrationem Missarum, luere pœnam debeant tum quoad Missas de applicatione, tum quoad eas pro præsentia; nam satis æquum videtur, quod in Ecclesiæ utilitatem vertatur residuum, quod plus aut minus a soluta Sacerdotibus supplementi eleemosyna remanet: ut tandem debeant sub pœna in fundatione constituta viginti obolorum explicare Evangelium, & Christianæ cathechesi operam dare.*

Ea omnia Emi Patres ex difertissima habent Emi Protectoris relatione, quæ pro decretis editis a Congregatione S. Joannis adverti possunt. Reliquum itaque est, ut Capellanorum accipiant jura. Expressam in codicillis, & instrumento fundationis deesse affirmant legem celebrandi per se ipsos, quo casu per alium satisfieri posse tradunt *Fagnan. in Cap. Ut Abbates num.* 65., *& seqq. de ætat.*, *& qualit. ordinan.*, *Antonell. de jur.*, *& oner. Cleric. lib.* 1. *cap* 29. *num.* 11., *Pignatell. consult. can.* 2. *num.* 15. *tom.* 7. Ab ipsa capellaniarum fundatione celebrare consuevisse asserunt per substitutos (contrarium refert Emus Profector) valdeque hujusmodi consuetudinem ad interpretandam Fundatoris voluntatem urgere; *Gonzal. ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. *num* 87., *Vivian. de Jurepatr. part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 6 *num.* 37. Onus celebrandi in Ecclesia S. Joannis, *e non altrove*, injunctum dicunt ad augendum in ea Missarum numerum, non ad designandum personale Capellanorum ministerium: hoc vero non induci neque ab onere residendi, *Niccol. lucubrat. can. lib.* 3. *tit.* 41. *sub num.* 18, *vers. sed dubium est*, *Pignatell. consult.* 2. *num.* 10 *tom.* 7., *Piton. de controv. Patron. allegat.* 27. *sub num.* 17., *& fin.*, neque ex sola facultate celebrandi per alium in casu infirmitatis, *Pignatell. loc. cit.*, *Rot. cor. Lancett. decis.* 829. *num.* 17., *& seqq.*. Simul tamen sumenda sunt personalitatis argumenta; & casus exceptus celebrationis per alium, firmat regulam in contrarium, *Card. de Luc. de Benefic. disc.* 62. *n.* 7., *Rot. cor. Ratto dec.* 150. *num.* 17.

Quo

Quo vero ad applicationem ejus, quod in ſupplenda Miſſarum omiſſione, ex eleemoſyna ſupereſt obolorum viginti; principaliter menſtruum aſſignamentum ſcutorum ſex tribuendum eſſe contendunt oneri exponendi Evangelium, & explendi catecheſim; nec quidquam idcirco in caſu omiſſæ celebrationis Miſſarum detrahi ex illo debere. Contrarium vero deſumi poſſet ex inſtrumento fundationis, in quo tribuitur Eccleſiæ facultas ſupplendi per alios celebrationem Miſſarum, *ritenendoſi l'intiera menſtrua proviſione*.

Quæritur itaque.

I. *An Capellani Imperiali teneantur celebrare in Eccleſia S. Joannis Nationis Januenſis quotidianas Miſſas per ſe ipſos in caſu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An, & quæ rata menſtrui eorum aſſignamenti ſit ſtatuenda in ſingulas Miſſas, & cui in caſu omiſſæ per Capellanos celebrationis adjudicandum ſit, quod ſupereſt, detracta eleemoſyna alterius Sacerdotis celebrantis in caſu &c.*

Non propoſita cum ſequentibus.

ſs. 25. cap. 4. Reform.

FERRARIEN. REDUCTIONIS: Hujus Cauſæ ſpecies eſt in Folio 12. Martii 1785. Poſtulabant Marchio Gavaſſini, & Comes Aventi abſolutionem ab hebdomadalibus Miſſis tribus in præteritum non celebratis juxta fundationem Sigiſmundi, ejuſque Nepotum de Pajolis; & illarum reductionem quoad futurum, tum ob imminutum ad ſcuta 18. 18. 2. valorem librarum 100., quæ in celebrationem deſtinata fuerant, cum ob decoctionem Auguſtini jun. Pajoli, qui ſextantem hereditatis a Fundatoribus poſſidebat. Ad dubium vero: *An, & quomodo tam quoad præteritum, quam quoad futurum ſit providendum*; EE. Veſtræ reſcripſerunt: *Quoad præteritum, ad D. Secretarium cum SSmo* (pro abſolutione) *Quo vero ad futurum, negative, detractis Sacris Utenſilibus; & ſcribatur Emo Archiepiſcopo, qui mandet ſervari qualitatem Beneficii ad formam erectionis.* Unus

Unus nunc Comes Aventi de modo agit exequendi ſecundam partem reſcripti. Ex hoc namque, quod ob decoctionem Auguſtini, delatum ſit ad ſuam Familiam hereditatis Pajoli triens, ad alteram vero Gavaſſini ſemiſſis, juſta inter utramque proportione dividendum cenſet Miſſarum onus; ideoque dimidiam ejus partem ſcutor. 9. 09. 1., quæ a ſua Familia præſtari deberet, reducendam ad ſcuta 6. 06. pro illius triente, idque a Familia Gavaſſina ſolvendum, quoad ad ſummam deficit ſcutorum 18. 18. 2. Quatenus autem ei non obſtaret ſolidalis obligatio, quam Inſtitutores Capellaniæ aſſumpſerunt verbis illis = *quilibet ipſorum ſolvere promiſit* (libras centum) *abſque replicatione & exceptione*; adhuc tamen erraret in calculo. Scuta enim 18. 18. 2. partienda eſſent in dextantem hereditatis, qui detracta portione Auguſtini, ex eſſe ſupereſt, & ſic Familiæ Aventi, quæ quatuor habet dextantis uncias, ſcuta obtigerent 7. 21., Familiæ vero Gavaſſinæ, quæ reliquas habet ſex, ſcuta 10. 97. Procederet quidem Oratoris calculus, ſi reduci deberet ejus onus pro rata hereditariæ ſuæ portionis, quin Gavaſſinio accreſcret: id tamen eſt, quod anno 1785. Sacra Congregatio denegavit.

Ad conſequendum oneris levamen, ſolidalem Orator impugnat Fundatorum obligationem, eo quod eam aſſumpſit Auctorum ejus Tutor, & Curator contra Legem dationis tutelæ, & curæ de illis obligandis pro medietate librarum 100. Idque aliis additis rationibus Emus etiam ſuſtinet Ferrarienſis Archiepiſcopus in hæc verba: *Ratio præcipua, ob quam heredes Fundatorum d. Beneficii videtur non fore obligandos ad ſolvenda etiam ſcuta* 3. 03. 1., *quæ ſpectabant ad Auguſtinum, deſumitur ex tabulis dotationis, in quibus licet omnes Fundatores infimul, & quilibet eorum ſe obligaverint ad perſolvendas libellas centum, nemo tamen eorumdem cum renunciatione beneficiis de Jure competentibus, & præſertim cum renunciatione beneficio ſtatutario excuſſionis in ſolidum ſe obligavit. Hinc eſt, quod obligatio contracta ab eiſdem, cenſenda ſit pro virili; præſertim etiam cum deſideretur in ſtipulata obligatione Forma Cameralis. Accedit, quod Fratres de Pajolis, de tempore fundationis Beneficii exiſtentes in pupillari, ac minori ætate, non poterant a Tutore, & Curatore obligari pro integra ſumma libellarum* 100., *præſertim quia dd. Fratres auctoritate Judicis habilitati fuere ad hypothecanda eorum bona pro libellis tantum* 50.

Hiſce profecto de cauſis obligatos non fuiſſe refert Comes Aventi in Paſtoralibus Viſitationibus = *ad perſolvenda*

cetera scuta 3. 03. 1., *de quibus erant debitores Augustinus, ejusque heres ad integrum oneris adimplementum*, Dum tamen Oratori favet, non adversatur Gavassinio, cui jam elapsum præfixit duorum mensium terminum ad deducenda jura sua in Sacra Congregatione. Censet enim = *accurate perquirenda, persequendaque fore bona Augustini Pojoli, quæ licet alienata, retinent tamen specialem hypothecam favore Beneficii, & quæ existunt in Territorio Bondeni, uti mihi retulit Archipresbyter ejusdem Loci hac super re quoque requisitus, ut cum eorum fructibus integre Missarum onus adimpleatur, in limine præscriptum fundationis Beneficii.*

Præter notata in Folio anni 1785., ponderare etiam dignentur Emi Patres, num post centum sexaginta, & amplius annos, ab anno scilicet 1626., quo instituta fuit Capellania, ad hæc tempora, impugnari amplius valeat solidalis obligatio. Omissa enim renunciatio beneficio excussionis; facultatum excessus in Tutore, & Curatore; & si quæ aliæ Pupillis, & Minoribus competunt exceptiones, proponi amplius nequeunt, si majores facti, per quatriennium non reclamaverint, ut de Nepotibus Sigismundi de Pajolis dici posse videtur per *Text. in cap. 1. de restit. in integr. in sexto, & in Leg. fin. Cod. de temp. in integr. restit.*, *Antonell. de temp. legal. lib. 2. cap. 19. per tot.* Quoties vero EE. Vestræ solidalem non admittant obligationem, deliberandum erit de modo dividendi Missarum onus inter utrumque obligatum. Quilibet sane ad solutionem tenetur legati pro rata, in qua heres est, *Leg. Si fundum sub conditione* 81. §. *Si Libertus* 4 *ff. de Legat. 1. Voet in Pandect. lib. 32. tit. unic. de Legat.*, & *Fideicomm. sub* §. 13. Hereditaria autem Comitis Aventi rata in quatuor constitit dextantis unciis, quibus, ut dictum est, summa respondet scutorum 7. 21., altera Marchionis Gavassini in unciis sex, quæ dant scuta 10. 97. in complementum scutorum 18. 18. 2.

Quæritur ergo ab Emis Patribus:

An, & quomodo sit exequendum rescriptum diei 12. *Martii* 1785. *quoad secundam partem in casu &c.*

SPOLE-

SPOLETANA. De hac primum Causa egit Folium 15. Martii 1783., deindeque in sequenti Congregatione 5 Aprilis, ad Dubium: *An, & quomodo sit providendum*; Eminentissimi Patres rescripserunt: *Ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo juxta mentem*; pro quinquenni scilicet assignatione legatorum Antonini, & Statera; ac reductione Missarum 85. ad 60., quibus Parochus Oppidi Meggiani, præter illas pro Populo, quotannis gravatur, in subsidium Parochialis Ecclesiæ. Ad exitum properante quinquennio, eademque vigente inopia Ecclesiæ, perpetuam fieri postulat Meggianensis Populus temporariam gratiam; eique Spoletanus favet Episcopus, licet annuendum censeat ad tempus indefinitum, quousque aliunde Parochialis Ecclesia provideatur. *Sess. 21. cap. 5. & sess. 24. cap. 13. de Reform.*

Cum Ecclesia Meggiani, inquit, *alio modo suffragari haud potuisset, nec ulla hactenus affulgeat spes suffragandi, urget Populum duplicis detrimenti periculum; primo quod expirat terminus d. concessionis ad quinquennium tantum valituræ; secundo quod bona beneficio Ecclesiæ curatæ ad tempus permissa, damno emergenti, & lucro cessanti subjacere coguntur. Equidem prædicta bona consistunt in prædiis, sive terræ petiis divisis, & sitis in diversis vocabulis; idcirco ea meliorandi frustratur opus, quin immo in diem deteriora fiunt: en damnum emergens. Causa indulti ad tempus concessi prædicta bona permutari minime queunt cum aliis prædiis, Ecclesiæ adjacentibus, sive propinquis, ad effectum plantationes augescendi: en lucrum cessans. Ea propter his recensitis, & habito respectu, quod alia media suppetere haud valent, nec excogitari possunt, abs re non erit, atque in sententiam venio, petitum indultum protendi posse ad tempus indefinitum cum clausula, donec Ecclesia alio modo provideatur, uti Oratores enixe precantur, & interesse habentes auditi ultro consentiunt.*

Ubi aliter succurri nequit inopi Paræciæ, perpetuo ei uniendæ sunt Beneficia & Legata pia, ex providentia *Sac. Concilii Tridentini sess. 21. cap. 5., & sess. 24. cap. 13. de Reform.*, neque in debilioribus terminis, ad augendas nempe distributiones in Collegiata, exemplum deest perpetuæ etiam reductionis Missarum, ut *in Syracusana Missarum* 10. *Martii* 1759. De permanente, & insuperabili forsan Parochialis Ecclesiæ Meggiani inopia testatur Episcopus: sed vestrum, Eminentissimi Patres, erit decernere, utrum flagitatam exigat unionem, & reductionem; & pro quo tempore concedenda sit gratia. In similibus fere terminis prorogata dumtaxat fuit ad certum tem-

tempus Missarum reductio in altera *Spoletana* 16. *Junii* 1785. Plura tamen in novissima informatione notat Episcopus, ut protendatur indultum *ad tempus indefinitum cum clausula, donec Ecclesia alio modo provideatur*; ejusque testimonio, in id etiam interesse habentes conveniunt.

Resolvendum ergo proponitur Dubium.

An, & quomodo sit locus applicationi legatorum, & reductioni Missarum in casu &c.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

SABINEN. IRREGULARITATIS. Ad Dubium: *An sit consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis in casu &c.*, rescripserunt EE. Vestræ in Congregatione 17. Junii 1686. *Negative, & expectet*; idque confirmarunt die 28 Julii 1787. per rescriptum alterum: *In decisis*. Tertio nunc Sacerdos Franciscus Serafini post biennium fere supplicat pro dispensatione ab irregularitate: iterumque rogatus, refert Eminentissimus Sabinensis Episcopus, *Sacerdotem enunciatum tam valida pœnitentia, ac veræ emendationis indicia præbuisse, vitamque, & mores ita composuisse, ut speciales Literas testimoniales super his omnibus expedire debuerim, in quibus etiam illum exoptata absolutione dignum asserere non dubitavi, ut constat ex tenore dd. Literarum, quas EE. VV. adnexas transmitto una cum precibus, & attestationibus tum localis Archipresbyteri, tum publicorum Officialium, uno ore parique consensu affirmantium, supplicantem Sacerdotem sui voti compotem fieri debere, nedum ob vitam ipsius morigeram & exemplarem, sed ob necessitatem quoque numerosi Populi, spirituali non mediocriter auxilio destituti.* Atque ita concludit: *Vestrum proinde erit Oratoris egestati, Parochi desiderio, ac Populi necessitati consulere, petitam benigniter indulgendo absolutionem.*

Sua ergo prudentia, & religione deliberare dignentur Emi Patres.

An sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus 17. Junii 1786., & 28. Julii 1787. in casu &c.

RA-

RAVENNATEN. Annuente per Apoſtolicas Literas Urbano IV. erectum Ravennæ fuit anno 1262. Xenodochium S. Mariæ de Crucibus, teſte *de Rub. Hiſtor. Rer. Ravenn. edit. Venet. anno* 1589. *pag.* 437. Pleraque ei anno 1563. ex auctoritate *S. Pii V.* unita fuerunt Civitatis Xenodochia, additumque circa annum 1640. Brephotrophium SS. Trinitatis; & in ipſum modo recipiuntur Ægroti, Peregrini, Spurii, Pauperesque nuncupati *fruſtoni*, qui ſtipem interdiu per Civitatem mendicant, in eo pernoctant. Qua de re ex aggregatione anni 1706. privilegiis omnibus gaudet Archioſpitalis S. Spiritus in Saxia Urbis, *Seſſ. 23. cap. 1. & ſeſſ. 24. cap. 4. de Reform.*

Infirmis olim, aliiſque in illo degentibus Sacramenta miniſtrabat Rector S. Apolloniæ, in cujus Paræcia exiſtit. Quum ſatis vero ejus opera non eſſet, in Paſtorali idcirco Viſitatione anni 1579. demandavit Archiepiſcopus Boncompagni electionem Capellani, qui in ipſo degeret Xenodochio, *ut præſto eſſe poſſit miniſtrationi Sacramentorum*. Et ab eo tempore exigi per Archiepiſcopos conſuevit hujuſce adminiſtrationis ratio a Capellano, in Sacris præſertim Viſitationibus annorum 1632. 1640. 1684. 1749. Sexdecim tamen in Parochialibus libris, vel paullo plures ab anno 1648. ad annum 1716. relati ſunt caſus de miniſtratis per Parochos S. Apolloniæ Sacramentis ſive peregrinis, ſive pauperibus, qui extra valetudinarium degebant; aliique ab anno 1729. ad annum 1778. circiter triginta de extractis cadaveribus a Xenodochio, accepta in limine valetudinarii illorum conſignatione; ac duo præceteris annorum 1729., & 1743., in quibus hujuſmodi extractionem contradicente Xenodochii Rectore, per modum proviſionis demandarunt Archiepiſcopi. Quorumdam vero teſtimonio, qui Rectores fuerunt Xenodochii, aut Parochiæ Capellani, nedum Parochus extra valetudinarium Sacramenta miniſtravit, ſed Animarum etiam omnium Xenodochii ſtatum conſicere, ipſumque Xenodochium luſtrali aqua in Sabbatho Sancto aſpergere conſuevit; & in Parochiali Eccleſia, qui extra valetudinarium habitant, ſumpſerunt Paſcha.

Graves ſuperioribus annis inter Parochum, & Rectorem Xenodochii circa adminiſtrationem Sacramentorum, & & cadaverum extractionem ortæ fuerunt controverſiæ. Eas vero per decretum diremit anno 1780. deceſſor Ravennæ Archiepiſcopus Cantoni. Manutentionem enim conceſſit Parocho in quaſi poſſeſſione aſpergendi Xeno-

do-

dochii ædes lustrali aqua in Sabbatho Sancto, exceptis valetudinariis; cogendi laicos omnes in eo habitantes ad satisfaciendum in parochiali Ecclesia Paschali præcepto; conficiendi Animarum statum, & assistendi matrimoniis, si quæ contrahenda essent per Mulieres in Xenodochio habitantes. Declaravit contra= *Sacramenta tempore infirmitatis omnibus, & singulis Capellanis, Ministris, Officialibus, ceterisque inservientibus, nec non Expositis, Peregrinis, aliisque Pauperibus, qui ibi pernoctant, dummodo intra septa ejusdem Hospitalis commorentur, ministranda esse a Capellanis Hospitalis independenter a Parocho S. Apolloniæ, eorumque cadavera, dummodo sepulcrum, vel domicilium non habeant, vel sepulturam non elegerint, sepelienda esse in Ecclesia, seu Cœmeterio d. Hospitalis. Quo vero ad cadavera alibi sepelienda, mandavit deferri ad limina Ecclesiæ, ibique Parochis consignari postquam Capellanus Hospitalis cotta, & stola indutus, illa lustrali aqua asperserit.*

Quamvis autem Sacerdos Joannes Baptista Vistoli hodiernus S. Apolloniæ Parochus, judicialiter per Procuratorem cum reliquis Ravennæ Parochis declaraffet = *di non intendere essi di contravenire al citato Decreto* = mutato tamen consilio, suam per supplicem libellum Sanctissimo vindicare tentavit jurisdictionem in Capellanos, Ministros, Inservientes, Spurios, alioisque in Xenodochio habitantes; præcibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, hæc hodiernus Archiepiscopus de utroque habet decreto annorum 1579., & 1780. *Decretum*, inquit (anni 1780.) *nil aliud continet, nisi quamdam ampliationem, & explicationem alterius ab Archiepiscopo Boncompagni de anno* 1579. *editi. Hæc duo tamen decreta ad componenda perpetua dissidia inter Parochos S. Apolloniæ, & Vener. Hospitale non fuerunt satis. Durabunt, æterneque durabunt dissidia & lites, nisi aut tota Parocho reservetur jurisdictio intra fines Hospitalis, aut tota adimatur, Decretum Boncompagni, quod pro se habet biscentenariam, nullo actu legitimo unquam turbatam, ademit Parocho jurisdictionem in valetudinario; decretum vero Cantoni, quod nunc primum impugnatur a Parocho, ipsi ademit jurisdictionem super quoscumqae alios Infirmos degentes intra septa Hospitalis.*

Tria hinc proponuntur Dubia. Agitur sub *primo* de administratione Sacramentorum SS. Viatici, & extremæ Unctionis Infirmis Xenodochii extra valetudinarium.

Fue

Fundatam Parochus habere ait jurisdictionem in parochialibus juribus ; ab eaque immunia non esse Xenodochia, *Cap. Cum dicat, de Eccles. ædificat.*, *Card. de Luc. de Paroch. disc.* 38. *num.* 2., nisi ex privilegio, & observantia, *Barbos. de Episc. allegat.* 26. *num.* 10., *& seq.*. Nullum Xenodochio S. Mariæ de Crucibus esse affirmat privilegium, ex quo Sacramentorum administrationem legitimo impediat Pastori ; ei vero obesse observantiam, de qua testes sunt parochiales libri. Ad rem autem non esse decretum anni 1579., quum non controversos respiciat infirmos valetudinarii ; illudque anni 1780. imminuere non potuisse parochialem jurisdictionem absque necessitate, ut in debilioribus terminis dismembrationis Beneficii statuit *Text. in Cap. Majoribus*, *& Cap. Vacante de Præben.*,

Utrumque altera ex parte urget decretum, qui Xenodochium tuetur. Nedum enim illud anni 1579. infirmos respicit valetudinarii, sed reliquos etiam omnes Xenodochii habitantes, ut pandit impulsiva instituendi Capellani causa, quia *in dicto Hospitali non adest Sacerdos, qui Sacramenta infirmis, & habitantibus in d. Hospitali ministret* Decretum vero anni 1780. expresse potestatem tribuit Capellanis ministrandi Sacramenta *Officialibus*, *Inservientibus*, *Expositis*, *Peregrinis*, *aliisque Pauperibus intra septa ejusdem Hospitalis commorantibus.* Quum autem Sacramentorum administratio ad parochialem pertineat jurisdictionem, quæ ab Episcopali dependet, secundum *Div. Thomam in* 4. *dist.* 20. *art.* 4. *qu.* 1. *in corp.*, ordinaria idcirco Episcopi auctoritate restringi posse affirmat *Abb. in Cap. fin. de offic. Archipres.*, favore potissimum Xenodochii, in quo proprii sunt Sacerdotes ; nam intra illius septa vices gerunt Parochi, & distinctam quodammodo Parochiam administrant, *Pignatell. consult.* 52. *num.* 4. *tom.* 1., *Card. de Luc. de Paroch. disc.* 23. *num.* 7., *Scarfant. ad Ceccoper, addit.* 28. *num.* 6, *& seq.* Ponderanda etiam declaratio illa, per Ravennates Parochos emissa = *di non intendere essi di contravenire al citato decreto* (anni 1780.) Ejus namque virtute orta dici posset res judicata, quæ ulteriorem administrationis Sacramentorum quæstionem dirimat, ut in terminis dixit *Ursaya discept.* 17. *num.* 27. *to.* 4. *part.* 2.

Decretis accedit observantia, quam Xenodochio potius assistere contendit illius Defensor. Rationem porro in Sacris

cris Visitationibus reddere consueverunt Capellani administrationis Sacramentorum ad formam decreti anni 1579., ejusque indefinitum exercitium erga universos Xenodochii habitantes ex hoc desumi posset, quod in tanta duplicis sæculi intercapedine, & in frequentissimo Xenodochio, plurimi ex parochialibus libris (si fidem favore Parochi mereantur) non sunt casus de administratis per Parochos Sacramentis. Pleræque enim illorum notæ, extractionem cadaverum respicientes, vel administrata enuntiant Sacramenta, reticita administrantis persona, vel administrationem tribuunt Capellanis Xenodochii. Per simplicem profecto consuetudinem, licet peculiari lege destitutam, acquirere potest Xenodochium jus administrandi per suos Capellanos Sacramenta universæ ejus Familiæ, juxta notabilem *Glos. in Clement. Quia contingit, verb. Parochialis, de relig. domib.*, & *Pignatell. consult. 52. num. 17. tom. 9.* Sed ad EE. Vestras pertinet decernere, num contrarii Parochorum S. Apolloniæ actus, quibus resistere videtur decretum anni 1759, Ravennatensis Xenodochii observantiam inficiant; contra sententiam. *Corrad. in prax. benefic. lib. 2. cap. 10. num. 138.*, *Piton. de contr. patron. alleg. 17. num. 9.*

Animadversionem postremo meretur illius aggregatio Archiospitali S. Spiritus in Saxia Urbis. Ita enim communicata censentur aggregantis exemptiones, & privilegia, ac si expresse concessa essent aggregato, per *Text in L. Omnia Cod. de Episc. & Cleric.*, *Rot. cor. Ansald. decis 3. num. 15.* & 16. Præ ceteris autem amplissimis privilegiis, quibus Archiospitale S. Spiritus gaudet, immunitas est a juribus parochialibus, quæ inter potissimum locum obtinet Sacramentorum administratio, ut ad rem tradunt *Ursaya discept. 17. num. 25.*, & *seq. tom. 4. part. 2*, *Rot. cor. Zarat. decis. 45. num. 25.*

Paucis Parochus a secundo se expedit Dubio, quoad jus nempe sepeliendi cadavera decedentium in Xenodochio extra valitudinarium. Canonicas enim memorat Sanctiones, ex quibus decedentes in Parochia, nisi propriam habeant sepulturam, vel eam elegerint, in parochiali sepeliendi sunt Ecclesia, a qua recipiunt Sacramenta, *Text. in Cap. Ex parte 5.*, & *Cap. In nostra 10. de Sepultur.* Hoc tamen est in quæstione, & a resolutione pendet primi Dubii, num recipere debeant Sacramenta a Parocho, qui extra valetudinarium in Xenodochio decedunt. Tradita ei quandoque fuerunt cadavera; sed plera-

raque illorum erant, qui Sacramenta ab ipso, priusquam ad Xenodochium deferrentur, acceperant; vel sepulturam elegerant, ut in duplici præsertim casu annorum 1729., & 1743.

Jus contra sepeliendi desumit Xenodochium ex privilegio, & consuetudine. Ex privilegio, ob aggregationem Archiospitali S. Spiritus in Saxia, cui ex citatis *Auctoritatibus* privativa etiam est sepeliendi in sua Ecclesia, & Cœmeterio cadavera decedentium intra ejus septa. Ex consuetudine, ob frequentem tumulationem decedentium extra valetudinarium, quam ex suis probat libris, & Sacrarum Visitationum enunciativis. Jus porro sepeliendi per consuetudinem acquiri posse affirmant *Ursaya discept.* 17. *num.*63. *& seq. tom.*4 *part.*2., *Scarfanton. ad Ceccoper. addit* 48. *num.*64.

Tertium Dubium est de modo consignandi Parocho cadavera, quæ alibi ex defunctorum voluntate sepeliri debent. Inter sua Parochus jura aspersionem recensent lustralis aquæ in actu consignationis. Id vero Hospitalium Cappellanis tribuunt *Scarfanton. ad Ceccoper. addit.*48. *n.*21., *Panimol. decis.*5. *annot.*5. *num.*12. Additur etiam ex parte Xenodochii observantia, de qua testatur Sacerdos Joannes Zaganelli jam illius Capellanus; & constat ex provisionalibus consignationibus annor. 1729., & 1743., in quibus ejusdem Xenodochii Capellani; cotta, & stola induti, cadavera in limine Ecclesiæ lustrali aqua asperserunt.

eliberent itaque Emi Patres:

D. *An, & cui liceat administrare Sacramenta SS. Viatici, & extremæ Unctionis quibuscumque sive ratione domicilii, sive ratione servitii degentibus in Hospitali S. Mariæ de Crucibus in casu &c.*

II. *An cadavera dd. Inservientium, & habitantium in Hospitali sint sepelienda in ejus Ecclesia, & Coemeterio in casu &c.*

III. *An liceat Capellanis Hospitalis præsente Parocho aspergere aqua benedicta cadavera extra Hospitale sepelienda in actu eorum consignationis in casu &c.*

ſs 25. cap. 4. Reform.

LUNEN. SARZANEN. Inter vivos donavit anno 1683. Carolus Vivaro dimidiam bonorum partem, quæ in Territoriis poſſidebat *del Meſco, e del Montale*, Stephano Gibbone ejus conſobrino, cum onere perpetui Sacri ſingulis Dominicis, aliorumque trium in ſingulos annos cum cantu; eique in caſu, quod de altera medietate ad pias etiam cauſas per Teſtamentum diſponeret, poteſtatem fecit redimendi bona = *con aſſegnare altri fondi di cenſi, o di altri beni fruttiferi, purche fiano cauti, a qual fine voglio, che per l' evizione fiano ſempre tenuti detti beni*. Reipſa de hac bonorum medietate Teſtamento diſpoſuit anno 1689., inſtituitque favore alterius conſobrini Antonii Coſta, ejuſque heredum perpetuum juſpatronatus cum onere duplicis hebdomadalis Miſſæ, & ſeptimorum, ſeu Anniverſariorum trium in ſingulos annos ad Altare S. Sebaſtiani, vel SS. Roſarii Parochialis Eccleſiæ *de Levanto*. Semper autem pro hiſce oneribus obligata voluit bona; ac ne unquam Gibbonus, & Coſta in adimplendis legatis deficerent, expreſſe cavit, quod = *obligari poſſint, & teneantur alter in alterum cavere, ut ſuffragia ſupradicta fideliter impleantur*. Heredes tandem damnavit ad ſolvenda bona *del Meſco* ab alieno ære ſcutorum 500., declaravitque = *quod non poſſint reducere onus dd. Miſſarum, ſed totum remaneat in perpetuum ut ſupra; ita ſi dd. bona fortaſſe deteriorayerint culpa & incuria, nihilominus non minuantur, ſic neque onus dd. ſeptimorum*.

Teſtatore defuncto, redemit Gibbonus a Sacerdote Coſta dimidiam bonorum ejus partem, totidemque illi Peritorum judicio aſſignavit ſtabilia valoris librarum 2124. 2. Major hujuſce fundi pars diſtracta olim fuit; vixque apud hodiernos heredes Coſta Jacobum, & Franciſcum Antonium, cenſus remanet in ſorte librarum 400. Non hac tamen de cauſa, ſed ob reditum librarum 2124. 2. oneribus imparem, reductionem poſtulant hebdomadalium Miſſarum, & Anniverſariorum ad æquam illius menſuram. Januenſes ſiquidem libræ 2124. 2. ſummam conſtituunt ſcutorum 329. 23., & ad rationem ſcutorum quatuor in ſingula centum, annua reddere poſſent ſcuta 13. 30., ex quibus binæ in ſingulas hebdomadas celebrari deberent perpetuæ Miſſæ, ſinguliſque annis Anniverſaria tria.

Ex ore Parochi *del Montale* difficillime Sarzanenſis Epiſcopus vindicari poſſe refert bona diſtracta = *come paſſati in di-*

diverse mani dopo il decorso quasi di un secolo = Præter vigentem censum librarum 400., alias ab Oratoribus retineri libras 337. 15. 1., quæ pars fuerunt librar. 2124. 2., & debitæ erant Gibbono a germano fratre primi heredis Costa. Impar de cetero esse capitale librarum 2124. 2. adimplemento onerum Costa; spernique debere = *l'obbligo dell' alternativa imposta a detti Gibboni e Costa, per esser perito in parte, e caduto in Mare il primario fondo obbligato*. Atque ex his censet = *Fundum, seu capitale fructiferum librarum 737. moneta Genuæ* (seu scutor. 114. 23 ½) *quæ summa vix supereſt apud Oratores, assignandum esse pro satisfactione onerum de quibus agitur; ita ut tot Missæ celebrentur ad mentem Testatoris, juxta annuum memorati fundi reditum, taxata eleemosyna ad rationem manualis, quæ est solidorum 12. dictæ monetæ*.

Oratoribus favet Imminutio fundi absque eorum culpa: distracta enim fuerunt a prioribus heredibus capitalia. Hæc porro justa reputari solet reductionis Missarum causa, *Monacell. formul. legal. 19. tit. 20. part. 1. num. 25.*, *& Sacra Congregatio in Senogallien. Reductionis 10. Mail 1783*. Accedit præterea, quod nec reditus librar. 2124. 2., quatenus existerent, pares essent oneribus, eosque Parochus *del Montale* infra summam etiam scutorum 13. 30. imminuit. Ait enim = *che anche quando possedessero li fondi alienati, ragguagliandosi questi ad un tre per cento all' anno di reddito, quanto all' incirca può calcolarsi sopra li beni stabili; ed al quattro circa per 100. sopra gli altri due capitali, considerandoli tali al tempo, che furono assegnati, senza tenersi conto dell' ulteriore aumento monetale, e senza tampoco calcolarsi le spese fatte per il conseguimento delle dd. lire 400., appena ascenderebbe l'annuo introito, o sia frutto a lire 70. circa* (seu scuta 10. 85.) *quando al ragguaglio eziandio di soli soldi dodici d'elemosina per ogni Sacrificio, e di lire 4. 16. per ogni settimo, sarebbe necessaria una maggior somma*.

Urget contra, quod præter fundum Missarum, alia ad Jacobum Antonium Costa delata fuerunt hereditaria bona Vivaro; licet affirmet Parochus, quod consisterent = *in altro assai poco*; quodque mediati heredes sunt Oratores tum Jacobi Antonii, cum eorum, qui fundum ex parte distraxerunt. Adhuc etiam pro adimplemento onerum Costa affecta sunt bona per Gibbonum redempta, dum expresse Testator jussit, = *che per l'evizione siano sempre tenuti detti beni*. Et quod magis est, tenentur in-

vicem Gibboni, & Costa = *alter in alterum cavere, ut suffragia supradicta fideliter impleantur*. In his ergo terminis deliberandum, num minui debeant Sacrificia, quæ adeo enixe voluit Testator, & ex donatis, hereditariisque celebrari valent bonis; & num in casu reductionis, statui debeat illorum numerus juxta existentem fundum librarum 737., ut censet Episcopus; seu primævum potius librarum 2124. 2.

Dubium est;

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum, & Anniversariorum in casu &c.

Dlo

Die Sabbathi 27. Junii 1789. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

TRes dumtaxat, præ earum gravitate, in præcedenti Congregatione diei 13. labentis Junii reſolutæ fuerunt Cauſæ; ideoque reliquæ ſex primum hic ex ordine obtinent locum.

ROMANA CAPELLANIARUM.

I. *An Capellani Imperiali teneantur celebrare in Eccleſia Sancti Joannis Nationis Januenſis quotidianas Miſſas per ſe ipſos in caſu &c.* *Seſs.25. cap. 5. de Reform.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & quæ rata menſtrui eorum aſſignamenti ſit ſtatuenda in ſingulas Miſſas, & cui in caſu omiſſæ per Capellanos celebrationis adjudicandum ſit quod ſupereſt, detracta eleemoſyna alterius Sacerdotis celebrantis in caſu &c.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmativa in obolis vigioti pro qualibet Miſſa, retinendis favore Eccleſiæ, detracta alterius Sacerdotis celebrantis eleemoſyna.

FERRARIEN. REDUCTIONIS:

An, & quomodo ſit exequendum reſcriptum diei 12. Martii 1785. quoad ſecundam partem in caſu &c. *Seſs.25 cap. 4. de Reform.*

Affirmative per Gavaſſinum, & Aventi in ſolidum; & Partes utantur jure ſuo coram Emo Archiepiſcopo ad formam reſcripti 12. Martii 1785.

SPO-

Sess. 21. cap. 5., & Sess. 24. cap. 13. de Reform.

SPOLETANA.

An, & quomodo sit locus applicationi legatorum, & reductioni Missarum in casu &c.

Affirmative ad aliud quinquennium; & interim curet Episcopus providere indigentiæ Paræciæ aliis mediis a Sacro Concilio Tridentino præscriptis.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

SABINEN. IRREGULARITATIS.

An sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus 17. *Junii* 1786., *&* 28. *Julii* 1787. *in casu &c.*

Prævio recessu a decisis, consulendum SSmo pro gratia absolutionis, & dispensationis.

Sess. 23. cap. 1. & Sess. 24. cap. 4. de Reform.

RAVENNATEN.

I. *An, & cui liceat administrare Sacramenta SS. Viatici, & extremæ Unctionis quibuscumque sive ratione domicilii sive ratione servitii degentibus in Hospitali S. Mariæ de Crucibus in casu &c.*

II. *An cadavera dd. Inservientium, & habitantium in Hospitali sint sepelienda in ejus Ecclesia, & Coemeterio in casu &c.*

III. *An liceat Capellanis Hospitalis præsente Paroco aspergere aqua benedicta cadavera extra Hospitale sepelienda in actu eorum consignationis in casu &c.*

Ad I. Licere Capellanis Hospitalis, & amplius;
Ad II. Affirmative, & amplius.
Ad III. Affirmative, & amplius.

LUNEN.

LUNEN. SARZANEN. *Sess 25. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum, & Anniversariorum in casu &c.

Negative in omnibus.

CONCORDIEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Ad Dubium; *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione*, rescripserunt in hac Causa EE. Vestræ die 9. Augusti elapsi anni 1788. *Negative*. Iterum modo dispensationis gratiam implorat Sacerdos Marcus de Mattia, ac præter notata in Folio tunc distributo, proprius ei favet Parochus, cui alii duo accedunt Sacerdotes, in hæc verba: *Testor, & fidem facio, Ven. Sacerdotem Marcum de Mattia, indigenam, perpetuumque incolam in meo confinio, alienum semper ab armis quibuslibet animum, consuetudinemque exhibuisse, & continenter exhibere, vitamque ducere Christianis optime consonam, Ecclesiasticisque institutis. Quod quidem mecum ultro testari assentiuntur duo æque infrascripti Sacerdotes.* Ad Vos igitur, Emi Patres, pertinet decernere. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis.

EGITANIEN. VISITATIONIS SAC. LIMINUM. Præ ceteris anno 1779. ad EE. Vestras retulit Egitanien sis Episcopus, plures in sua Diœcesi, *Curionatus* nomine, Parochiales esse Ecclesias, Matricibus adnexas, earumque amovibiles Vicarios, seu *Curiones* vel Missam pro Populo celebrare sub conditione, vel penitus negligere, eo quod ex synodali decreto anni 1747., ab hoc onere immunes essent; ac Vestrum in id oraculum postulavit. In secunda deinde relatione anni 1785. tenorem ex præscripto dedit synodalis decreti in hæc verba = *Plures sunt in hac Diœcesi Ecclesiæ filiales, quarum Parochi amo-* *Sess. 23. cap. 1. de Reform.*

amovibiles (Curiones apud nos, vulgo Paras dicuntur) per Legem synodalem obstringuntur, ut Missam pro Populo Dominicis, festisque diebus celebrent; indeque multæ lites, conscientiarumque perturbationes: multi enim ex Curionibus prædictis, quia non habent congruam portionem suæ honestæ sustentationi assignatam, synodali præcepto non satisfaciunt. Quia vero filiales Ecclesiæ aliud non sunt, quam quædam Cappellæ in subsidium Parochialium institutæ, & erectæ, ut Parochiani distantes a Parochialibus Ecclesiis Sacramenta recipere, Missamque audire commodius possent, ita tamen, ut Parochiani remanerent Matri. cum Ecclesiarum, quibus decimas persolvunt, & in quibus Missæ pro Populo Dominicis, festisque diebus applicantur; ideo non obstante d. Lege synodali, declaramus, prædictarum Ecclesiarum filialium, & annexarum Curiones Missam pro Populo offerre non teneri, exceptis tamen Curionatibus illis, qui aliis Ecclesiis Parochialibus non sunt adnexi, in quibus præd. Legem synodalem volumus observari.

De requisita hinc Curionatuum erectione ita retulit: *Qua ratione, quibusve cum oneribus Curionatus, seu Vicariæ prædictæ fuerint erectæ, certe asserere non licet; hujusmodi enim erectionum acta non inveniuntur. Sex tantum hujusmodi erectionum acta inveni in Archivio Curiæ Episcopalis, ex quibus constat, auctoritate ordinaria, & ad instantiam Populorum erectas fuisse commodioribus locis novas Ecclesias Parochiales sub titulo filialium, in ipsisque constitutos Vicarios amovibiles, quorum muneris esset Sacramenta ministrare, ceteraque parochialia officia obire in Parochianos novis Parochiis addictos, & a principalibus Ecclesiis segregatos, seu ut ajunt, dismembratos; firma tamen remanente obligatione eorumdem Parochianorum persolvendi, ut antea, Rectoribus titularibus decimas, & primitias, impositoque eisdem Rectoribus onere tribuendi novis Curionibus suæ sustentationi congruam portionem; ac insuper reficiendi Cappellas majores, & Sacraria earumdem respective Ecclesiarum filialium, iisdemque necessaria ad Divinum cultum subministrandi. Unam tantum erectam fuisse anno 1611. cum onere imposito, ut ex Parochianis unus de unaquaque domo in signum recognitionis matricem Ecclesiam adire, ibique Missam audire teneretur singulis annis in die Nativitatis B. M. V. Alteram verò nuper erectam cum onere Parochianis imposito tribuendi singulis annis Ecclesiæ matrici unum denarium argenteum in die Nativitatis D. N. Jesu Christi etiam in signum recognitionis.*

Vi-

Vidi etiam in actis unius nuper erectæ impositam ab Officiali meo fuisse ipsius Ecclesiæ Vicario obligationem applicandi Missam pro Populo. E contrario vidi in actis erectionis alterius, erectam fuisse anno 1762. sub titulo Curionatus; seu capellaniæ amovibilis, in qua administrantur Sacramenta per Sacerdotem, apud ipsam residentiam facturum, vicesque Parochi gesturum. In hujusce erectionis sententia prætenditur, istius naturæ esse omnes Ecclesias filiales istius Diœcesis.

Hujusmodi erectionum causam tribuit Parochianorum distantiæ a Parochialibus Ecclesiis, maximisque locorum difficultatibus. Ac modum postremo addidit instituendi Curiones. *Curiones*, Inquit, *seu Vicarii prædicti per Rectores principales annuatim; & in scriptis præsentantur Ordinario, a quo approbantur, jurisdictionemque accipiunt, ut paroc hiale officium exerceant a die Nativitatis S. Joannis Baptistæ usque ad eumdem diem sequentis anni. Quoties vero Rectores principales Curiones non præsentant usque ad diem B. Jacobi Apostoli, moris est, & synodali Lege statuitur, ut eo anno præsentatio devolvatur ad Ordinarium.* Eos vero monuisse dixit ad deducenda jura sua coram Sacra Congregatione; sed *quidquid juris, & facti cor. EE. Vestris adducere fas erat, tum Parochi, tum Capellani coram me proposuerunt; ad Sac. vero Congregationem referre nullus forsan auderet. Præter ea, quæ jam EE. Vestris exposui, certe nihil, quod ad rem faciat, deprehendi potest; neque enim in Ecclesiarum Archiviis ipsarum erectionis instrumenta existunt; neque in publico Diœcesis Tabulario inveniuntur, exceptis a me jam memoratis.* Vestræ igitur, Emi Patres, deliberationi infrascriptum proponitur Dubium.

Quilibet sane, cui Animarum cura commissa est, oves suas pascere, & Sacrificium pro eis offerre tenetur, ut statuit *Tridentina Synodus in sess. 23. cap. 1. de Reform.*, & *Benedictus XIV. in Constit. Cum semper oblatas* 19. *Augusti* 1744., declaravitque *Sac. hæc Congregatio in Oveten. Missæ pro Populo* 26. *Februarii* 1774. Hæc vero requiruntur, ut verus quis dicatur Parochus; quod potestatem nempe habeat fori pœnitentialis; quod certam suo nomine administret Parochiam; quodque de necessitate ministret, ab eoque Parochiani necessario recipiant Sacramenta, *Glos. in Clement. Dudum, verb. impendat de sepultur.*, *Barbos. de offic. & potest. Paroch. part. 1. cap. 1. num. 27. & seq.*, *Reclus. de Re Paroch. part. 1. tit. 1. n. 53. & seqq.*, *Ferrar. verb. Parochia num. 11. & seqq.* Quæ in

noſtro themate ſit Curionum poteſtas, & officium; & quales eorum Curionatus, jam habent EE. Veſtræ ex præmiſſa relatione Epiſcopi; ac luculentius deſumere poterunt ex formula ipſorum inſtitutionis, hiſce verbis concepta: *Quoniam nobis innotescit ſcientia, & morum probitas N. N. Sacerdotis, eidem committimus curam Parochialis Eccleſiæ N., in qua Sacramenta miniſtrabit, ceteraque omnia parochialia munia exercebit, & apud eamdem reſidebit a die Nativitatis S. Jo. Baptiſtæ currentis anni uſque ad eumdem diem anni proxime futuri, emolumentaque omnia lucrabit, quæ de jure debentur. Omnibus dictæ Eccleſiæ Parochianis injungimus, & in virtute obedientiæ præcipimus, ut dictum N. N. tanquam proprium Parochum agnoſcant, eidemque in omnibus ad parochiale officium ſpectantibus obediant.*

Dubium eſſe poſſet, num ſuo potius, quam principalium Rectorum nomine hæc omnia exerceant Curiones. Nonnulli enim ex eorum Parochianis Matrices ſemel in anno ad audiendum Sacrum adeunt; nonnulli decimas, & primitias, vel argenteum denarium Titularibus in ſignum ſubjectionis perſolvunt. Quædam etiam Titulares in Curionatibus exercent; nam teſtimonio Epiſcopi = *vel ex longa conſuetudine apud filiales Eccleſias reſident, ibique ubi major Parochianorum numerus aſſiſtit, parochiale officium exercent; apud Eccleſias vero principales habent Vicarios amovibiles*, & alii Curionibus deficientibus, aut non exiſtentibus = *Parochianos ſuis Eccleſiis filiabus addictos, tanquam ſuos agnoſcunt, eiſdemque Sacramenta miniſtrant; ipſique Parochiani adeunt nonnunquam Matrices Eccleſias ad Miſſam audiendam diebus feſtis, & Paſchalem communionem ſuſcipiendam; ibique fiunt denunciationes matrimoniorum quando Parochi titulares non adeunt filiales Eccleſias Miſſam conventualem celebraturi.* Inde autem cum eodem Epiſcopo inferri poſſet, ſegregatas non eſſe curionales Eccleſias a Matrice, earumque actualem etiam adminiſtrationem apud principales Rectores remanere, quaſi illorum nomine Animarum curam exerceant Curiones; ut deceſſor cenſuit Epiſcopus, qui hac eos de cauſa ab applicatione Miſſæ Pro Populo liberavit.

Quamvis autem ſtricti juris ſit Paræciarum diviſio, nec facile præſumatur; ubi contraria præſertim concurrant argumenta; *Ferrar. verb. Dismembratio in addit. num. 8. & ſeqq.*, ceſſat tamen odii cauſa in ſimplici ſeparatione curæ actualis; & ſatis ſunt ad eam ſuadendam indicia,

Re-

Recluſ. de Re paroch. part. 1. *tit.* 12. *num.* 17. *& ſeqq.* Primum hujuſce ſeparationis indicium deſumi poſſet ex impellentibus erectionis Curionatuum cauſis ; Parochianorum ſcilicet diſtantia a parochialibus Eccleſiis , itinerumque difficultate . His enim de cauſis Paræciarum ſeparationem præſcribit *Alexander III. in Cap. Ad Audientiam , de Eccleſ. ædifican.* , & *Sac. Concil. Trident. ſeſſ.* 21-*cap.* 4. *de Reform.* , vereque per eam conſtitutæ cenſentur diſtinctæ Parochiæ, *Barboſ. de Paroch. cap.* 1. *numer.* 25. , *Monacell. part.* 1. *tit.* 2. *form.* 3. *num.* 3. , *Piton. diſcept.* 160. *num.* 10. , *Recluſ. de Re paroch. part.* 1. *tit.* 12. *num.* 82. *Zipæus reſponſ. unic. num.* 2. *de Eccleſ. ædifican.* . Secundum diſmembrationis indicium eſt aſſignatio congruæ ſive ex Matricibus , ſive a Parochianis pro ſuſtentatione Curionum . Hæc namque veris tribuitur Parochis , ut per *cit. Cap. Ad audientiam , de Eccleſ. ædifican.* obſervat *Monacell. part.* 1. *tit.* 2. *form.* 3. *num.* 4. Accedit tertium antiquæ Legis , ex quo Curiones tanquam veri Parochi applicare tenebantur Miſſam pro Populo . Et quartam denique alterius ex recentioribus erectionibus ſub expreſſa ejuſdem applicationis obligatione , Onera autem , quibus Curionum ſubditi erga Matrices earumque Rectores gravantur , reputari poſſunt honoris ſigna , juxta *cit. cap. Ad Audientiam , de Eccleſ. ædifican.* & parochialem fortaſſe qualitatem in filiabus Eccleſiis confirmant , *Fagnan. in d. Cap. num.* 8. *& ſeqq.* , *Monacell. part.* 1. *tit.* 2. *form.* 3. *num.* 13. Juriſdictionales quorumdam Rectorum actus unum vel alterum reſpiciunt Curionatum , & particulari nituntur conſuetudini , quæ jus non conſtituit univerſale , *Text. in Can. Illud , diſtinct.* 12. , *ibique Gloſſ. verb. contrario more , Piton. diſcept. eccleſ.* 191. *num.* 10. Tenuis Curionum congrua, ob quam inquit Epiſcopus , *plerumque opus eſſe Sacerdotes compellere , quos obedientiæ præcepto propriis militare ſtipendiis. coactos , durum conqueri & clamitare , quod ulterius onus offerendi Miſſas pro Populo ſibi imponatur* ; tenuis , inquam , congrua nil parochiali detrahit qualitati : neque enim redituum cauſa, ſed ratione officii applicare tenentur Parochi Miſſam pro Populo , *Ferrar. verb. Miſſæ ſacrificium art.* 3. *num.* 8. *Clericat. Diſcord. forenſ.* 29. *de Benefic. num*, 43. Eorum vero inopiæ ſuccurri poſſet vel per mendicatas eleemosynas diebus feſtis , juxta *Conſtitutionem Benedicti XIV. Cum ſemper oblatas* 19. *Auguſti* 1744. , vel aliis modis , de quibus *Text. in Cop. fin. de offic. Ordinar.* , *& Can. Eccleſiaſticum* 12. *quæſt.* 1. , *Fa-*

gnan. in Cap. Ad audientiam de Eccles. ædifican. num. 6. Curionum quoque amovibilitas, eos ab applicatione Missæ pro Populo non excusaret, quatenus veri ex præmissis censerentur Parochi, *Monacell. in formul. tom. 1. pag. 32. num. 4. & seqq., & tom. 2. pag. 219. num. 18. & seqq., & Sac. Congregatio in Forosempronien. Missæ Parochialis 2. Februarii 1716. lib. 66. Decret. pag. 55., in Ostien. Parochiæ Castri Romani, & Decimæ 29. Januarii 1724.*, in qua agebatur de Vicariis ad nutum amovibilibus, & mensuali dumtaxat stipendio provisis; & *in Oveten. 22. Januarii 1774.* Et decretum denique anni 1747., quo liberati fuerunt ab hujusmodi applicatione sub judice est, & a rectissima pendet EE. Vestrarum sententia super parochiali Curionatuum qualitate.

Quæritur ergo.

An, & a quibus Vicariis, seu Curionibus sit applicanda Missa pro Populo in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 22. Decret. de observ. & evitan in celebr. Miss., & sess. 23. cap. 1. de Reform.

CASTRI ALBI VISITATIONIS SAC. LIMINUM.

Tria potissimum anno 1785. ad EE. Vestras retulit Castri Albi Episcopus occasione Visitationis Sac Liminum; Vestrumque de iis oraculum postulavit. Exposuit primo, neque in Ecclesia Cathedrali, neque in Collegiata Ecclesia Sanctæ Mariæ *do Castello* illius Civitatis applicari Missam conventualem pro Benefactoribus, sed alteram pro Populo a Beneficiatis per turnum. *Tanti oneris*, inquit, *rationem sufficientem fateor me non capere; & si quæ datur, alia profecto non est, nisi Parochorum, qui illis præsunt, & a quibus Beneficiarii ipsi dependent, libera voluntas, vel & fortasse verius, ut hoc modo prædicti Parochi satisfaciant Missæ pro Populo. Monumenta antiqua de institutione talium Beneficiorum a D. Rege Emmanuele legi, & examinavi. Regius Fundator, præter Divinas laudes in choro recitandas, solum decrevit, ut singuli Beneficiarii in qualibet septimana quotidie Missam conventualem ad Populum, & non pro Populo celebrent. Præterea Beneficiarii non ignorant institutionem Beneficiorum*

rum, & ob id fortaſſe paucis abhinc temporibus obtulerunt mihi libellum, quo ſupplicant, me exponere Miſſarum onera ſibi in fundatione impoſita, & inter alia referunt, ſe nullatenus ad Miſſam pro Populo teneri, præſertim quia hujuſcemodi officium, ſit privativum, ac ſpeciale Parochorum. Atque hinc concluſit: *Ad Miſſam quod attinet pro Benefactoribus applicandam perſuaſum habeo, Beneficiarios ipſos ad illam teneri. Profecto illis non ſuffragatur ratio a pluribus adducta, nempe ſumptus pro congrua ſaſtentatione conſignatos, extractos eſſe a decimis quondam Templaribus pertinentibus; ſive a decima parte fructuum jam Eccleſiæ jure debita. Verum ut ut ſit; decimæ illæ, ni fallor, & applicatio in origine ſpectatæ Benefactoribus accæptæ referri debent. Adeſt igitur materia, objectumque pro Miſſarum applicatione.*

Enarravit ſecundo, Parochos Eccleſiæ Cathedralis aliarumque Collegiatarum Diœceſis Caſtri Albi celebrare conſueviſſe, ut ajunt, ab immèmorabili Miſſam pro Populo per Beneficiatos, *quos inter diſtribuitur Miſſa conventualis per hebdomadas totius anni*, ſuamque ſententiam ita aperuit. *Hanc praxim, ſeu verius corruptelam ægre fero. Nequaquam comprehendo, prædictos Parochos diebus feſtivis celebrare pro ſingulari Benefactore, & poſthabere oves ſibi concreditas.* Et tertio denique ſignificavit, nonnullas eſſe filialium nomine rurales Eccleſias, earumque Parochos nuncupatos *Cure*, qui ad nominationem principalium Rectorum quotannis ab Epiſcopo inſtituuntur, non applicare Miſſam pro Populo, eo quod illorum opinione, Eccleſiæ quibus præſunt, individuæ ſunt cum Matricibus. *Harum*, ait, *Eccleſiarum naturam, & inſtitutionem magno labore & diligentia præhabita, huc uſque non inveni. Quamobrem ſint nec ne hujuſmodi Eccleſiæ veræ Parochiæ, & illarum Rectores, licet amovibiles, veri Parochi, an potius unam individuamque Parochiam conſtituant cum illis, unde exciſæ ſunt, fateor me ignorare.*

De ſuo hinc requiſitus voto, ita Episcopus ipſe Luſitano idiommate, in Italicum translato, de ſingulis diſſeruit. I. *Circa li Beneficiati delle reſpettive Chieſe ſono di parere, che li medeſimi non ſono tenuti celebrare tutti li giorni, ne ancora ne feſtivi per il Popolo, e mi pare pure, che ne per li Benefattori in generale. Non ſono obbligati per il Popolo, perche d. obbligo è privativo de Parochi, e tal qualità non ſi verifica in dd. Beneficiati. Oltre di ciò dalla inſtituzione di queſti Beneficj non coſta un tal peſo. Le viſite anti-*

tiche, che io lessi, portano, ed attribuiscono quest'obbligo à Rettori, e rispetto alli Beneficiati non dicono parola alcuna intorno all'obbligo di dire o non dire la Messa per il Popolo. Si aggiunge che la congrua de Beneficj è così limitata, che dalla medesima ottimamente si ricava, che questi Beneficj non furono instituiti, nè creati con un tal peso; poiche detta congrua consiste in 75. crociati per anno. E con stipendio si tenue, come potranno soffrire pesi così gravi? Esaminando il principio, e fondamento del preteso obligo, non trovo altro, che una notizia confusa dall'uni all'altri trasmessa, la quale serve solamente d'imbarazzo alle coscienze, essendo certo, che alcuni Beneficiati, e questo da tempi remotissimi; non celebrano per il Popolo, ed altri di coscienza piu timorata celebrano sub conditione.

Ancora mi pare, che non sono obbligati a celebrare per li Benefattori in generale; ed in questa parte riformo il giudizio, che feci nella Scrittura, che presentai all'EE. VV. circa lo stato della mia Chiesa. La tenuità della congrua, di cui già ho parlato, non è piccolo indizio, che un tal peso non ha avuto principio dalla instituzione de Beneficj. Ed in verità in questa non comparisce, ne almeno si rileva vestigio, da cui si possa dedurre, che li Beneficiati siano obbligati a celebrare per li Benefattori. Aggiungesi, che nelle sopradette Corporazioni, chiamate Collegiate, non si verificano le note, che secondo il Dritto costituiscono vera Collegiata; nè gli Ecclesiastici instituiti in tali Beneficj, sono chiamati Beneficiati, ma Racoerios, cioè destinati al servizio del coro; il che costa dal titolo della creazione di questi Beneficj; ne d'allora fino al presente le soprad. Corporazioni furono elevate alla dignità di vere Collegiate insigni.

Quoad Parochos vero Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatarum, qui Missam pro Populo celebrant per Beneficiatos, ut in secundo postulatu, existimat, consuetudinem hanc corruptelam esse & abusum. Beneficiati enim = *non sono coadjutori* (Parochorum) *che gli ajutino nell'amministrazione de Sagramenti, ma solamente pretendono i Rettori attuali di obligarli a fare le loro veci nell'applicazione della Messa per le loro Pecorelle. Nè ciò ricercano per sollievo di fatica, non tralasciando eglino di dire la Messa ne giorni festivi. Laonde altra differenza non corre, se non che la Messa, che hanno da offrire per il suo Popolo, la dicono secondo l'intenzione del particolar Benefattore, vale a dire in utile proprio. E se in questa parte i Be-*

neficiati preſtano alcun ſoccorſo alli reſpettivi Parrochi, ſolamente lo preſtano, se non m'inganno, alla loro avarizia. Nè può giovare il coſtume antichiſſimo; poiche non è vero coſtume, ma bensì abuſo, e corruttela per eſſere introdotto contro l'eſpreſſo Dritto. Più ancora io trovai nel medeſimo coſtume, il quale quando principiaſſe non ſi sà, che li Rettori delle Chieſe sì Catedrale, come dell'altra minore di detta Città, ſenz'alcun vero titulo, ne che preſumere ſi poſſa, con tutto ciò quelli che preſentemente ſervono, commoſſi dal peſo della verità, celebrano per il Popolo, tralaſciando l'eſempio de loro Predeceſſori.

Ex pluribus tandem diſtinctis Parochiales cenſuit ſuburbanas Eccleſias, earumque idcirco Rectores tanquam veros Parochos teneri ad applicandam Miſſam pro Populo. Hæc ſunt ejus verba. *Li Rettori poi delle Chieſe minori, che non ſono perpetui, ma eſercitano ad nutum le funzioni parrocchiali, mi pare che ſono obbligati a celebrare per il Popolo ne giorni feſtivi. La Conſtituzione del Veſcovado di Guarda, che ſerve di regola a queſto Veſcovado di Caſtel Bianco lib. 3. tit. 7. cap. 3. fà menzione eſpreſſa di detti Rettori, e dichiara, che debbano celebrare per il Popolo. Si deve ancora notare, che li Rettori delle Chieſe maggiori hanno il jus di preſentare al Veſcovo li Curati, e li Rettori delle ſud. Chieſe minori, e nella preſentazione, che paſſano proponendo il Sacerdote, che hanno ſcelto, non lo propongono come Cappellano coadjvtore, nè ſupplicano il Prelato, che lo ponga in prova, e gli dia giuriſdizione per poter confeſſare, ma bensì glie l'offeriſcono come Curato, e Rettore delle Anime, ſupplicando il Veſcovo, che gli faccia paſſare la Patente, che per tale officio ſi abbiſogna. Ed infatti gli ſi paſſa tal quale come a qualunque vero Parroco, comandandoſi nella medeſima ſotto precetto di ſanta obbedienza alli reſpettivi Parrocchiani, che lo riconoſchino per vero Parroco.* Ad id confirmandum nonnullas alias memorat ſuburbanas Eccleſias, quarum Rectores quum ſimplices ſint Capellani, diverſe inſtituuntur. Atque hinc concludit = *che gli attuali Rettori delle Chieſe maggiori dell'Uditoria di Albrantes ſenza fondamento pretendono, che dd. Chieſe filiali non ſiano Parrocchie ſeparate, e che li Sacerdoti, i quali le amminiſtrano, ſolamente ſiano Cappellani, avendo dd. Chieſe minori, e filiali tutti i requiſiti neceſſarj, che le coſtituiſcono Parrocchiali ſeparate dalle maggiori, e li reſpettivi Rettori veri Parrochi, benchè amovibili.* Monitis

tis igitur interesse habentibus ad deducenda jura sua in Sac. Congregatione, infrascripta proponuntur Dubia.

Agitur sub primo de obligatione Beneficiatorum Cathedralis, & Collegiatæ S. Mariæ *de Castello* circa Missam pro Populo, & conventualem. Ii profecto applicare tenentur Missam pro Populo, quibus Animarum cura commissa est, juxta *Sac. Concil. Tridentinum Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* Curam autem hanc ex institutione non habent Beneficiati; quum teste Episcopo, impositum dumtaxat eis fuerit onus psallendi in choro, & celebrandi Missam conventualem, non pro Populo, sed *ad Populum*; neque ex jure addenda sunt onera in fundatione non expressa, *Squillant. de privileg. Clericor. cap.* 4. *num.* 28., *Monacell. formul. legal. tom.* 4. *in supplem. ad f. pag.* 241. Pervetusta quidem adversatur observantia, ex qua coadjutores Parochi dici possent Beneficiati; interpretatione quadam fundationis Beneficiorum in Ecclesiis, quibus adnexa est Animarum cura, *Piton. de contr. Patron. alleg.* 86. *num.* 22., *Fargn. de Jurepatr. part.* 2. *can.* 26. *cas.* 2. *num.* 44. Ponderandum tamen ex relatione Episcopi, qua ex causa processerit hujusmodi observantia; ex imperio scilicet Parochorum, quibus subditi sunt Beneficiati.

Ad Missam conventualem quod attinet; quotidie sane applicanda est in Cathedralibus, & Collegiatis insignibus pro Benefactoribus in genere, per *Text. in Cap. Cum Creatura, de celebrat. Miss.*, quacumque non obstante consuetudine, *Benedictus XIV. in Encyclica, cum semper oblatas*. Ab hujusmodi vero applicatione immunes sunt Ecclesiæ non collegiatæ, licet Canonicæ in Eis recitentur Horæ, & celebretur Missa cum cantu, ut declaravit *Sacra Congregatio in Montis Falisci* 12. *Februarii* 1718., in qua ad Dubium = *An Canonici nuncupati Ecclesiæ S. Mariæ Terræ Marthæ teneantur ad celebrationem Missæ conventualis* = respondit: *Negative*. Secundum explorata hæc principia, Beneficiati, de quibus hic agitur, ad conventualem non tenerentur Missam, dum quoad eos = *non si verificano le note, che secondo il Dritto constituiscono vera Collegiata* = ut hisce verbis testatur Episcopus. Notandum tamen, quod onus hoc, eodem teste Episcopo, impositum eis fuit per Regem fidelissimum in fundatione Beneficiorum, quæ tanquam lex servari debet, per *Text. in cap.* 1., & 3. *de pact. in sexto*, *Piton. discept. eccles.* 25. *num.* 9.

Liceat nec ne Parochis Cathedralis, aliarumque Collegiatarum

tarum Diæceſis Caſtri Albi celebrare per Beneficiatos, vel alios Sacerdotes Miſſam prò Populo, ſeu potius teneantur per ſe ipſos, in ſecundo quæritur Dubio. Id ipſi affirmant innixi Statuto Eccleſiæ Sancti Vincentii d'Abrantes, in quo *ſub* §. 1. ſingulis præſcribitur ejus Beneficiatis = *celebrare la Meſſa conventuale pro Populo nell' Altare maggiore; qual'obbligo è anneſſo ancora agli Economi, che ſervono nel luogo delli Beneficiati aſſenti, ſiccome fin'ora ſi è pratticato.* At duo quærenda; utrum eximi per Statutum valeant Parochi ab applicanda per ſe ipſos Miſſa pro Populo; & num *particularis* unius Eccleſiæ lex reliquas afficiat. Negat quoad primum *Tridentina Synodus in cit. ſeſſ. 23. cap. 1. de Reform.*, ac poſt eam *Ferrar. verb. Parochus, num. 19. annot. 2.*, & *Sac. hæc Congregatio in Feſulana Miſſæ Parochialis 26. Januarii 1771.*, in qua ad ſecundum Dubium = *An* (Parochi) *ſaltem applicationi Miſſæ pro Populo ſupplere poſſint per alium Sacerdotem* = reſcripſit: *Negative*. Et negat quoad ſecundum *Text. in cap. fin. de conſtitut. in ſexto, & in Leg. fin. ff. & Cod. de juriſdict. omn. Judic.* Deſpiciendam vero cenſet Epiſcopus obſervantiam, tanquam abuſum & corruptelam, ac veluti inductam ex avaritia Parochorum, qui Miſſam, *che hanno da offrire per il ſuo Popolo, la dicono ſecondo l'intenzione del particolar Benefattore, vale a dire in utile proprio.*

Tertium Dubium Rectores reſpicit filialium Eccleſiarum; num & ipſi ſcilicet applicare teneantur Miſſam pro Populo. Rectores iſti ſimiles ſunt Curionibus, de quibus in præcedenti *Egitanien.*, nam licet amovibiles, diſtinctam tamen habent congruam, certumque Populum; tanquam veri Parochi inſtituuntur; ſuoque nomine Animarum curam exercent. Qua de re cenſet Epiſcopus = *Parochos Eccleſiarum filialium teneri diebus feſtis Miſſam applicare. Etenim iſti curam Animarum exercent, Populo ſibi commiſſo Sacramenta miniſtrant, & cetera obeunt munera; immo & ipſi Eccleſiæ Matricis Curato, ſi forte adſit, in omnibus functionibus præſunt, nullique alii, præterquam Epiſcopo, rationem reddunt adminiſtrationis ſuæ.* Per ſynodale quidem decretum anni 1747. declarati fuerunt immunes a Miſſa pro Populo; ſed obſervat Epiſcopus = *che queſto Sinodo non fu confermato dalla S. Sede, ne negli Atti del medeſimo ſi eſaminò, ſe dd. Chieſe minori erano, ò non erano Parrocchie ſeparate dalla Chieſe maggiori. Suppone, che ſono Cappellanie, e li Rettori delle medeſime meri Cappellani, e coadjutori dei Rettori delle*

Chieſe principali, ſenza dichiarare o produrre alcun fondamento, o prova in materia tanto neceſſaria; poichè cotal dichiarazione ſi oppone alla Conſtituzione del Veſcovato, come ſi legge nel medeſimo Sinodo. La forza, che in queſta materia ha la Conſtituzione, ſupera di molto l'autorità del Sinodo, non ſolamente perchè, come già notai, non è ſtato confermato, ma perchè ancora la medeſima Conſtituzione ebbe principio nel Sinodo dell'anno 1597., e fu pubblicata nel Sinodo dell'anno 1614. e queſti Sinodi celebrati in tempo così remoto, giudicarono, che le dette Chieſe filiali erano Parrocchie ſeparate dalle Chieſe maggiori, e i loro Rettori veri Parrochi. Qua de re concludit, ejus Miſſæ onus ſolis adhuc incumbere Rectoribus Matricum tum ratione præeminentiæ ſupra minores Parochos, cum ob jus, quo potiuntur, eos præſentandi.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

I. *An Beneficiati Eccleſiæ Cathedralis, & Collegiatæ S. Mariæ do Caſtello Caſtri Albi teneantur applicare Miſſam pro Populo, & alteram pro Benefactoribus in genere in caſu &c.*

II. *An Parochi dd. Eccleſiarum, aliarumque Collegiatarum Diœceſis Caſtri Albi teneantur per ſe ipſos applicare diebus feſtis Miſſam pro Populo, ſeu potius poſſint per Beneficiatos, vel alios Sacerdotes prædicto oneri ſatisfacere in caſu &c.*

III. *An Eccleſiarum filialium Rectores teneantur Miſſam pro Populo applicare, ſeu potius ſpectet ad Parochos Eccleſiarum principalium, ſeu Matricum in caſu &c.*

Die

Die Sabbathi 18. *Julii* 1789. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

ÆGITANIEN. VISITATIONIS SAC. LIMINUM. *Seſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reform.*

An, & a quibus Vicariis, ſeu Curionibus ſit applicanda Miſſa pro Populo in caſu &c.

Affirmativè ab omnibus.

CASTRI ALBI VISITATIONIS SAC. LIMINUM. *Seſſ.* 22. *Decret. de obſerv. & evitan. in celebrat. Miſſ.*, *& Seſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reform.*

I. *An Beneficiati Eccleſiæ Cathedralis, & Collegiatæ S. Mariæ do Caſtello Caſtri Albi teneantur applicare Miſſam pro Populo, & alteram pro Benefactoribus in genere in caſu &c.*

II. *An Parochi dd. Eccleſiarum, aliarumque Collegiatarum Diœceſis Caſtri Albi teneantur per ſe ipſos applicare diebus feſtis Miſſam pro Populo, ſeu potius poſſint per Beneficiatos, vel alios Sacerdotes præd. oneri ſatisfacere in caſu &c.*

III. *An Eccleſiarum filialium Rectores teneantur Miſſam pro Populo applicare, ſeu potius ſpectet ad Parochos Eccleſiarum principalium, ſeu matricum in caſu &c.*

Ad I. Negativè ad primam partem; affirmativè ad ſecundam.

Ad II. Affirmativè ad primam partem; negativè ad ſecundam.

Ad III. Affirmativè ad primam partem; negativè ad ſecundam.

Seff. 25. cap. 9. de Reform.

MONTIS ALTI CANONICATUS : Duo in hac Causa die 25. elapsi Aprilis proposita fuerunt Dubia, I. *An constet de validitate electionis, & præsentationis Sacerdotis Agnelli, ita ut sit danda institutio*. II. *An, & cujus supplicatio sit relaxanda*; et ad primum EE. Vestræ rescripserunt : *Negative in omnibus*; ad secundum : *Negative, & deveniat Consilium ad novam electionem infra mensem Maii*. Præ ceteris Aloysius Ferrari, qui contumax fuerat, licentiam impetravit de redeundo, aliudque ex delegatione Auditoris SSmi *quoad omnes, & omnia* concordatum fuit Dubium de gratia *Si nulli*, a Sanctissimo signata favore Herculani die 23. Decembris 1788. Satis de resolutis Dubiis dictum in *Folio* 25. *Aprilis*. Eo igitur resumpto, ponderare etiam dignentur Emi Patres, quæ ad suam sustinendam electionem addit Agnellus, &ad suadendam devolutionem Canonicatus dicturus erit Ferrarius. Pauca hic de gratia *Si nulli*.

Gratia siquidem hæc concedi solet alteri ex collitigantibus, quatenus nemo Beneficium obtinuerit, *Ferrar. in Biblioth. verb. Gratia num.* 43., *& seqq.*, *& Rot. in Valentiana Beneficii* 20. *Martii* 1752. §. 2 *coram clar. mem. Card. Bussio*; eamque, utiliter obtinuisse censet Herculanus ob purificatum litis eventum, omnesque a Canonicatu exclusos concurrentes, *Ferrar. loc. cit. num.* 39., *& seqq.* Hujusce autem gratiæ fundamentum constituit in affectione Canonicatus, quam asserit inductam ex triplici Pontificia collatione, *Extravag. Ad Romani Pontificis, de Præben*, & *Dignit.*, *Antonell. de temp. legal. lib.* 3. *de mens. cap.* 1. *sub num.* 39., quæ facultatem Patronis adimit præsentandi, *Rot. cor. Lancett. decis.* 29. *num.* 8.

Duo tamen ponderanda. Unum; an inducta dici valeat Canonicatus affectio ex Pontificiis collationibus, quæ ex voluntate ipsius Pontificis sunt in quæstione. Et alterum; an gratia *si nulli* diei 23. Decembris 1788. auferre potuerit Communitati Porculæ jus præsentandi, quod ex præcedenti ejus recursu ad Sac. hanc Congregationem pro prorogatione termini, diei scilicet 5. Aprilis ejusdem anni, consumptum non fuerat; seu potius ex hoc reticito recursu censeri debeat subreptitia. Fortasse enim Summus Pontifex eam non concessisset, si petitæ prorogationis notitiam habuisset; *Polit. de jurepatr. dissert.* 19 *num.* 29, *& seqq. tom.* 5., *& Rot. in Policastren. Beneficii* 27. *Novembris* 1758. §. 8. *coram Ratta*.

Dea

Deliberandum igitur.

I. *An, & quomodo ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis quoad primum, & ſecundum Dubium in caſu &c.*

II. *An ſupplicatio ſi nulli ſit relaxanda in caſu &c.*

Ad I. In deciſis; & Conſilium deveniat ad novam electionem intra menſem Auguſti, & amplius.

Ad II. Negativè, & amplius.

MACERATEN. JURISPATRONATUS. Quatuor Boromæus Accurſi §. 10. ejus Teſtamenti inſtituit anno 1697. laicales capellanias in Eccleſia Immaculatæ Conceptionis Montis Milonis per hæc verba: *Comando, che ſubito ſeguita la mia morte ſi faccino quattro Legati pii perpetui col titolo di cappellaniæ mere laicali, da darſi ſenza autorità, o partecipazione di Monſignor Illmo Veſcovo di Macerata, o ſuo Vicario Generale; dichiarando oggi per ſempre, non eſſer queſte cappellaniæ ſervizio, ma memoria, ed anniverſario, e la mia mente eſſere, che le dd. cappellanie mai, ne per qualſivoglia cauſa, preteſto, o queſito colore poſſano, e debbano ridurſi collative nè dall' Ordinario, ne dalla Sede Apoſtolica, ancorchè vi conſentiſſero quelli, che ne avranno il jus di nominare*; juſſitque ſequenti §. 11., quod = *I Cappellani di eſſe cappellanie eletti, e da eleggerſi ſucceſſivamente, ſiano Sacerdoti di Famiglie cittadine di Monte Milone, o almeno oriunde di detta Terra, di buona vita, e di eſemplari coſtumi*. Hinc in diſtincto, diſſitoque §. 24. erectionem mandavit Rectoratus, quam in Epiſcopali Curia Maceratæ per procuratorem deſponderat; ea tamen omiſſa declaratione, qua laicalem deſignavit capellaniarum qualitatem, nulliſque repetitivis adjectis verbis, ibi = *Subito ſeguita la mia morte ſi eſeguiſca quanto ho promeſſo in vigore di mandato di Procura eſibito nella Cancellaria Epiſcopale fin dal meſe di Maggio 1688., e ſi erigga nella mia Chieſa (SS. Conceptionis) la Rettoria, col peſo al Rettore, o ſia Cappellano di celebrare &c.*

Seſſ. 25. cap. 9. de Reform.

Jus nominandi Capellanos Milonenſibus quibuſdam reliquit Familiis; Rectoris vero nominationem Familiæ Pancotti = *con che in perpetuo ſi oſſervi nelle nomine la diſpoſizione del num. 11. del preſente Teſtamento* = quo in numero, ut

ut vidimus, Capellanorum dumtaxat qualitates præscripsit; voluitque ut in Rectorem nominari deberet = *un Sacerdote di esemplari costumi, come al detto numero, mai semplice Chierico, ne Forastiere, ne Cappellano della mia Chiesa, e molto meno di S. Biagio, se questo prima non avesse rinunziato la cappellania*. Delato Rectoratus patronatu a Familia Pancotti ad extraneas Familias *Cacciallupi* Sancti Severini, & *Raccamadori* Civitatis Firmi, nominatus ab his fuit superioribus annis in Rectorem Sacerdos Antonius Assortati, qui alteram ex capellaniis S. Blasii, in canonicatus erectis, possidebat; & utrumque Beneficium contra expressam Testatoris voluntatem aliquandiu retinuit. Ex iteratis tamen Sacræ Congregationis rescriptis dierum 19. Maii 1787., & 21. Junii 1788., Rectoratum tandem dimittere debuit.

Primo monitus rescripto, aliter Familiæ suæ, si secundum accederet, per interpositam Dominici Assortati ejus Fratris personam consuluit. Emit namque Dominicus mense Septembri 1787. pretio scutorum 560. activum Rectoratus patronatum; eique cesserunt Patroni illius fundum, ut cum bonorum universitate translatus videretur. Quæsitum immo jus deduxit ad actum, nominavitque Sacerdotem Josephum Pandolfi, qui Rectoratus etiam possessionem nactus fuit. Sanctissimo hinc supplicarunt Cajetanus Caccialupi, & Canonicus Joseph Raccamadori pro reservato Beneplacito Apostolico, & absolutione a censuris, quatenus in eas incidissent; precibusque ad Sac. hanc Congregationem remissis, eis omnino Maceratensis favet Episcopus. Eam assignat venditi patronatus causam, quod *Oratores, ceterique eorum conjuncti eodem Rectoratu, seu capellania frui nunquam potuerint. Primus enim Caccialupi Patritius est S. Severini, ibique degit; alter Patritius Firmanus, qui Firmum incolit*. Hac de causa, inquit, *venditio utilis est Oratoribus, eorumque heredibus, dum non lædit reliquos Capellanos, & Executorem testamentarium, qui eidem venditioni assenserunt; nec ullum affert præjudicium Rectoratui, de quo agitur, cujus patronatus, cum residere debeat in uno Dominico Assortati, in Cive scilicet Montis Milonum, facile immo poterit provideri de optimo Rectore, deque eo, qui qualitatibus omnibus a Fundatore requisitis polleat*. Atque hinc censet, *quod prædicta venditio, tum bona fide, tum sine alicujus, vel Capellaniæ, vel Rectoratus detrimento stipulata est, & valeat approbari*. Duo igitur juxta Oratorum preces proponuntur Dubia; de Apostolico scilicet Beneplacito

cito ſuper vendito patronatu, & abſolutione a cenſuris.

Aliter ſane ex modis transferendi patronatum eſt venditio, *Gloſſ. in can. Piæ mentis* 26. *cauſ.* 16. *quæſt.* 7., *& in cap. Cum ſæculum* 13. *de jurepatr.*, dummodo tamen fiat *acceſſorie*, ſeu ut ajunt, cum univerſitate bonorum, vel re particulari, cui inſeparabiliter adnexus ſit patronatus; neque ejus ratione pretium augeatur; *Div. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 106. *art.* 4., *Cap. Ex literis* 7., *& cap. Cum ſæculum* 13. *de jurepatr.*, *Reinfeſt. lib.* 3. *Decret. tit.* 38. *num.* 31. Directa enim patronatus venditio interdicitur *in Cap.* 16. *de jurepatr.*, additque *Sac. Concil. Tridentinum ſeſſ* 25. *cap.* 9. *de Reform.* excommunicationis pœnam, ſi quis eam expleverit. Venditus nec ne fuerit patronatus, de quo agitur, cum univerſitate bonorum, vel re particulari, cui adnexus ſit; & num ejus ratione auctum fuerit pretium, ex his Emi Patres dijudicare poterunt. Libere ad Patronos non pertinent, neque ſub eorum dominio ſunt bona cum patronatu vendita, prædium nempe *la Valle*, & activi quidam cenſus; ſed ea ipſa ſunt, quæ Rectoratus fundum conſtituunt. Pretium vero ſcutorum 560. conventum eſt ratione patronatus in hæc verba: *Privandoſi detti Signori Caccialupi, e Raccamadori del diritto e facoltà di nominare il Cappellano, o ſia Rettore di detta Chieſa della SS. Concezione per comodo di detto Signor Domenico Aſſortati, che reſpettivamente acquiſta detto diritto e facoltà per ſe, e ſuoi eredi ſucceſſori, lo ſteſſo Signor Domenico promette, e ſi obbliga pagare e liberamente ſborſare ai ſudetti Signori Caccialupi, e Raccamadori la ſomma, e quantità di ſcudi* 560.

Dubitari poſſet de laicali Rectoratus qualitate; num ſimilis ſit quatuor illis capellaniis, quas Teſtator nuncupavit *memoria, ed anniverſario*, penituſque ab eccleſiaſtica juriſdictione exemit; & num hac poſita qualitate vendi potuerit, tanquam profanus, illius patronatus. Ponderandum contra, quod aliter Teſtator de capellaniis, aliter de Rectoratu diſpoſuit. In hoc ſiquidem non expreſſit, quod de illis dixit; & ſic locum fortaſſe habet argumentum *a diſcretiva*, de quo præ ceteris *Conſtant. vot.* 17. *num.* 12. Maxime, quia obligationem Teſtator aſſumpſit erigendi Rectoratum per mandatum procuræ = *eſibito nella Cancellaria Epiſcopale* = quaſi eum uti eccleſiaſticum Beneficium ſubiicere voluerit juriſdictioni Epiſcopi. Declaravit quidem, quod ſervari deberet in nominatione Rectoris *la diſpoſizione del num.* 11., ſed in hoc numero

de

de personalibus dumtaxat disponitur illius qualitatibus; ideoque repetita forsan censeri nequit laicalis qualitas, quæ respectu ad capellanias in præcedenti legitur *num.* 10. Exploratum de cetero non est, quod libere vendi queat laicalis Beneficii patronatus. Contrarium enim sentit *Piton. de controv. Patron. allegat.* 67. *num.* 37., *& seqq.*, contrarium definivit Sacra Congregatio *in Viterbien. Alienationis* 15. *Januarii* 1661. *ad III. Dub. lib. Decret.* 22. *pag.* 392., *in Neapolitana Beneplaciti* 4. *Martii*, *&* 6. *Maii* 1690. *lib.* 40. *pag.* 161., & 197., *in Vercellen. Beneplaciti* 27. *Aprilis* 1709. *lib.* 59. *pag.* 119., *& in Tudertina* 3. *Julii* 1762.

Pertinet hæc ad primum Dubium. Quo vero ad secundum; expressum quidem est *in sess.* 25. *cap.* 9. *de Reform.* excommunicationis anathema contra vendentes jus patronatus. Num in eam vero Oratores inciderint, & absolvi debeant, EE. Vestræ decernent. Eis fortasse bona prodest fides, de qua testatur Episcopus, ac reservatio Beneplaciti Apostolici, juxta doctrinam *Fagnan. in lib.* 1. *Decretal. cap. Cum pridem* 4. *de Pact.* An eadem vero censeri valeat bona fides in emptore, qui jus acquirere studuit ad Rectoratum, quo germanus ejus Frater privatus fuit, a recto etiam pendet EE. Patrum judicio. Ideoque deliberandum.

I. *An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione in casu &c.*

Ad I. Negativè.

Ad II. Affirmativè, Imposita salutari pœnitentia arbitrio Episcopi, & Assortatus consulat conscientiæ suæ.

Sess. 22. *cap.* 11. *de Reform.*

FERETRANA. Prædiola quædam & domus Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi S. Agathæ, quæ pluribus in emphyteusim ad tertiam generationem concessa sunt, sive præ difficili eorum positione, sive sterilitate vix annuum omnia dant canonem scuti unius, & ob. 60., spemque consequendi in fine generationum scuta 200. loco laudemii. Sacræ idcirco Congregationi supplicarunt Canonici pro facultate liberandi hujusmodi bona a vinculo emphy-

emphyteusis; ut aliud ex pretio utilius facerent investimentum. Instantiæ favit Feretranus Episcopus in duplici informatione, quarum accuratior est novissima. Ob incerta bonorum confinia, eorumque confusionem, certum ignorari ait illorum valorem; neque ex publicis censibus, seu catastris erui posse: Ex antiquis tamen capitularibus libris certam desumi prædiorum quantitatem in tornaturis 281., quæ ad rationem scutorum 12. pro qualibet, insigne constituerent capitale scutorum 3376., præter scuta 60., in quibus æstimatur domus. Capitale hoc, prosequitur; *respondet nunc pro annuali canone, & pensione, una cum domo sc. 1. 60., & novæ occasione ineundæ, singula tamen tertia completa generatione, lapsu scilicet centum fere annorum, scuta biscentum*; ideoque *si affrancandi erit facultas, ad rationem puta scutorum 10. pro quolibet centenario, Capitulum exigeret pro solis terræ tornaturis scuta 337. 64. 6., quæ erogata in censibus, vel frugiferis bonis, annuatim Dominis fructificarent scuta 13. 50. 6.* (non comprehenso fructu nummorum aureorum septem, quos offert emphyteuta domus pro illius liberatione) *His vero multiplicatis in centum annos, evaderet introitus pro Capitulo in scutis 1350. 50. 6.*

Nullam pro hisce liberationibus, seu affrancationibus esse refert taxam; eamque juxta qualitates contractuum exigi: *nam quandoque interest illam computare ad rationem octo, ut exempli causa, si quis cederet aliquod petium terræ ad efficiendum corpus cum aliis terris Domini directi, vel ad aliquam servitutis liberationem, & similium. Corpus enim, vel prædiorum libertas plus afferunt utilitatis, quam quotæ exactio majori in summa; quandoque ad rationem decem pro centenario, ut quamplurimum est in more; nisi aliter statutum fuerit in concessis facultatibus.* In id vero auditos non fuisse emphiteutas ob illorum numerum, & distantiam ab Oppido. Atque hinc ita concludit: *Cum igitur affrancatio utilis sit ad certum pro incerto constituendum capitale Capituli; utilior sit in annuo reditu; utilissima habito respectu ad successiva tempora absque periculo deperditionis bonorum, & conferat ad quascumque dirimendas lites, ea essem sententia, ut facultates petitas Oratoribus elargiantur EE Vestræ, sicuti & mihi, & meæ hujusce Cathedralis Canonicis benigne concessere; & addere auderem, opus est, ut impertiatur. Poterunt legem, si lubet, adiicere, ut in quocumque perficiendo contractu, sicuti & ego a meo Capitulo, ita & ipsi a me meisque Successoribus consensum,*

& approbationem obtinere debeant. Tunc & utilitas ponderatur, & quota ſolvenda ſtatuitur.

Directi dominii abdicatio vera eſt alienatio; ideoque evidens requiritur Eccleſiæ utilitas, ut permittatur, *Clement. 1. de reb. Eccleſ. non alienan.*, *Fagnan. in lib. 3. Decretal. cap. Nulli eod. tit. num. 8.*; & 27. Utrum in noſtro themate utilis ſit, ex iis Emi Patres dijudicabunt, quæ exponit Epiſcopus. Similia profecto ſive per ſummaria precum, ſive ex audientia SSmi conceſſa fuerunt indulta Epiſcopalibus Menſis *in Fulginaten* 5. *Julii* 1738., *& in Feretrana* 2. *Aprilis*, *&* 30. *Julii* 1757., & 6. *Martii* 1779. Quatenus autem EE. Veſtræ indulgere etiam velint Oratoribus, deliberandum erit de affrancationis pretio. Quartam offert capitalis partem emphyteuta domus. Scuta ad ſummum decem in ſingula centum pro reliquis prædiis exigi poſſe cenſet Epiſcopus. Utile dominium, ac per conſequens etiam directum, in dimidia parte valoris Fundi conſtituunt *Roſent. de Feud. cap* 11. *concl.* 12. *num.* 3. *Gloſs. C.*, *Peregr. de Jur. Fiſc. lib.* 5. *tit.* 1. *de publicat. bonor. num.* 71.

Dubium eſt:

An, & quomodo ſit locus affrancationi bonorum in caſu &c.

Affirmativè juxta votum Epiſcopi.

Seſs. 22. Decret. de obſervan., & evitan. in celeb. Miſſ.

DERTHONEN. Duo præ ceteris Parochiali Eccleſiæ Villæ Rezoalii a duplici lapide ſubſunt Pagi Animarum circiter 300., *Brignole* nempe, & *Piano*. Horum Incolæ facultatem ab EE. Veſtris ſub diverſis conditionibus obtinuerunt ædificandi publicum Oratorium, ut commodius dies feſtos concelebrarent. Ad Dubium enim: *An ſit locus ædificationi Eccleſiæ, etiam cum facultate celebrandi Miſſas*; reſponderunt die 30. Maii 1778. *Affirmative, ſalvis juribus parochialibus*; *& ad mentem*: *& mens eſt, quod Epiſcopus quam citiſſime curet conſtructionem & erectionem unius Eccleſiæ, ſeu Oratorii publici in ſitu per eum deſignando, qui commodior ſit omnibus Incolis Villarum* Brignole, & Plani, *eligatque Sacerdotem idoneum, qui in erigenda Eccleſia, ſeu Oratorio Sacrum celebret in omnibus diebus feſtis de præcepto hora commoda Populo, &*

pro-

prævio triplici ſonitu campanæ cum diſtantia unius quadrantis ab uno ſonitu ad alium, nec non Pueros doceat rudimenta Doctrinæ Chriſtianæ; & pro conſtructione d. Eccleſiæ ſeu Oratorii, prout etiam pro Sacris Supellectilibus, eorumque reſpectiva manutentione, ac pro congrua eleemoſyna arbitrio ejuſdem Epiſcopi Sacerdoti ſubminiſtranda, taxam imponat Incolis dd. Villarum juxta eorum vires, eorumque reſpective patrimonium; & quatenus non ſufficiant, ſuppleat ex fructibus ad Eccleſiam matricem pertinentibus ad formam Concilii Tridentini ſeſs. 21. cap. 4. de Reform.

Ad formam hujuſce reſcripti erectum fuit ſub titulo *S. Mariæ ad Nives* Oratorium; ornatiſſima ad illius uſum comparata eſt Planeta, ut ſub juramento teſtatur Antonius Bacigalupo Brignolenſis, qui eam emit Mediolani; pluresque in ipſo diebus feſtis aliquandiu celebratæ ſunt Miſſæ. In ſacra tamen Viſitatione anni 1780. Miſſarum pluralitatem, & Planetam ſub pœna ſuſpenſionis interdixit Derthonenſis Epiſcopus, cauſamque Oratoribus dedit implorandi EE. Veſtrarum auctoritatem, ne utraque re privarentur. Finem quoad Miſſas memorat Epiſcopus, ex quo permiſſum fuit Oratorium, *ut ibi nempe celebretur Miſſa diebus feſtis, & cathechiſmus haberetur pro Puerorum inſtructione*; ſed ejus, inquit, *immemores Incolæ, paullatim majorem numerum Miſſarum inducere, aliaſque functiones peragere pro viribus curarunt, ut hac ratione ab Eccleſia matrice, a ſermonibus, & inſtructionibus parochialibus ſenſim ſine ſenſu recederent, & Parochialem ipſam ſi non ſuperare, æquare ſaltem poſſent*; utque in numero Miſſarum conſiſi, *domi detinerentur ludentes, choreas agentes, edentes, bibentes, cachinnantes, & oblectantes.*

His agitur de cauſis decretum edidiſſe fatetur, in ſupplici Oratorum libello relatum, quod nempe = *in diebus feſtis una tantum celebrari poterit Miſſa ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ ab illo Sacerdote, qui celebrata unica Miſſa prædicta ſucceſſive auderet celebrare Sacrificium, dempta Feſtivitate unici Titularis, ſcilicet S. Mariæ ad Nives, in qua plures, & ſolemnitate Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, in qua a Capellano omnes Miſſæ poterunt celebrari. Permittimus tamen Sacerdotibus huic Villæ, & adjacentibus addictis, ut quando ratione pluviæ, nivis, gelu, aquarum ſuperaffluentiæ, difficilis transfretationis Fluminis aucti, nec non valetudinis, indiſpoſitionis, & ſenilis ætatis ad Eccleſiam Parochialem pro Sacrificio cele-*

brando accedere non valent, possint in hoc ipso Oratorio etiam diebus festis Missam celebrare; quod etiam extenditur ad Sacerdotes, qui casu, vel ratione itineris, aut transitus ibi invenirentur; dummodo tamen nullum præcedat monitum, nullæ preces, aliæque hujusce generis invitationes, sub pœna interdicti ipsius Oratorii, & suspensionis a Sacerdotibus ipso facto incurrendæ. Hæc omnia fieri volumus extra tempus Missæ parochialis.

Quo vero ad Planetam; aliter Episcopus, ac Oratores de illius origine. *Titius*, ait, *Loci Rezoalii, Mediolani degens, Planetæ emptor, ipsam ad proprium Patrem transmisit, ut medio statuto pretio Ecclesiæ Parochiali, si eam Priores exoptarent, traderet*; *sin minus Oratorio Villæ Brignolæ*. Ortam hinc refert inter Parochialem, & Oratorium quæstionem, *eo quod utrique eamdem Planetam absolute prætenderent* (vana fuisset, facilisque decisionis Oratorii prætensio, si Planetæ emptor legem dedisset, ut prælative traderetur Parochiali) & *ita exarserunt animi, ut rixæ fuerint excitatæ, & ad ipsas vitandas Judex sæcularis Planetæ depositum penes Officium decreverit*; ideoque Planetam in tota sua Diœcæsi interdixisse. Atque in hæc verba concludit, *Ex huc usque dictis facile dignoscent DD. VV. Emæ, & Reverendissimæ, qua de causa, & quibus ductus rationibus decreta supramemorata in Visitatione Pastorali condere debui, etiam invito animo, ne Oves mihi commissæ falsa devotionis specie ductæ, & propriis animi affectibus plus æquo indulgentes, in re tam gravi fatale naufragium facerent. Summa itaque DD. VV. Em. & Rmarum probitate, & zelo innixus, confidendum mihi est, hanc Sac. Coneregationem permissuram non esse, decreta Visitationis Pastoralis lata super locum loci, inspectis omnibus circumstantiis propter super allatas rationes rescissioni subjacere debere ad preces unius, vel alterius perditæ & factiosæ personæ* (ab universis porrectæ sunt Incolis Brignolæ, & Plani) *cui nil aliud in propria arbitraria devotione cordi est, præter jactantiam, arrogantiam, æmulationem, & a proprio Superiore independentiam.*

Ex prolixa informatione Episcopi rationes habent Emi Patres prohibitæ celebrationis plurium Missarum in Oratorio, & interdictæ Planetæ. Eas modo ponderare dignentur, quæ Oratoribus favere possent. Locorum Brignolæ, & Plani distantia a Parochiali, & itineris difficultates, hiemali præsertim tempore, justæ fuerunt causæ permittendi Oratorium. Satis autem per unam

Mis-

Missam consultum non esse affirmant Oratores Animarum numero ; quum alii celebrationis tempore assistere debeant infirmis , alii infantibus , quorum vagitus , si ad Oratorium deferrentur , Sacrificium turbarent . Sunt fortasse Episcopi testimonio , qui domi detinentur *ludentes* , *choreas agentes* , *edentes* , *bibentes* , *chachinnantes* & *oblectantes* ; sed considerari debet , num aliquorum fragilitas , aliorum pietatem excludat . Eadem vero esset Parochialis conditio, sive omnes simul Incolæ ad unam Missam, sive divisim ad plures in Oratorium convenirent. Salva enim sunt ex rescripto 30. Maii 1778. parochialia jura. Accedit , quod præ distantia loci, itinerisque difficultate separata etiam invito Parocho erigi potuisset Parochia , ex præscripto *Sac. Concilii Tridentini sess.* 21. *cap.* 4. *de Reform.* . quodque publicum ejus loco institutum est Oratorium , in quo plures de Jure permittuntur Missæ , *Fagnan. in lib.* 3. *Decretal. cap. Authoritate n.* 15. *de cens.*

Quoad Planetam vero ; recte ad vitanda scandala interdicta censeri posset . Quis tamen fuerit contentionis auctor , quæ ejus causa,emptor ipse exponit, Dum illam germani ipsius Fratres e Mediolanen si Civitate ad Villam Brignole ejusque Oratorium deferebant , Parochum in itinere offenderunt . Planetam is quasi curiosus inspicere voluit , eamque pro sua Parochiali retinuit . Quo motus facto , illius depositum sæcularis Judex mandavit . Justa nec ne sit causa ista , ut sua Brignolenses priventur Planeta ; & num hæc in æmulationem potius Parochialis , quam Divini cultus augmentum in Oratorio censeri debeat acquisita , EE. Vestræ decerneut . Ornatiora siquidem utensilia Divinæ magis conveniunt Majestati , mentemque ad cælestia excitant; nec quavis idcirco de causa interdici debent , *Albert. de Sac. Utens. cap.* 4. *num.* 35. , *& seqq.*

Quæritur itaque :

I. *An sustineatur decretum duodecimum ab Episcopo editum in Sac. Visitatione quoad celebrationem Missarum in Oratorio , de quo agitur , in casu &c.*

II. *An sustineatur interdictum Planetæ in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus ,

ARIMI-

Sess. 21. cap. 4., & 5. de Refor.

ARIMINEN. ERECTIONIS PAROCHIÆ. A Parochiali Ecclesia S. Andreæ *del Poggio* per flumen dividitur Rubiconem, seu *Uso* Villa S. Mariæ Camerani Animarum circiter 300. Sæpe hinc eius Incolæ præ aquarum copia a parochialibus arcentur functionibus; sæpe hiemali præsertim tempore absque Sacramentis decedunt. Alio enim a Villa ad Parochialem, a Parochiali ad Villam non patet accessus, quam quinto per dissitum pontem emenso lapide. Ecclesia ibi est Beatæ Virgini dicata, in qua Rmus Zollius, apud Sereniſſimum Bavariæ Ducem Apostolicus Nuntius, simplex possidet Beneficium annul reditus scutorum circiter octoginta, cum levi unius Missæ onere diebus festis, eique præ ceteris est jus decimandi, solis Parocho relictis incertis. Sanctissimo igitur Cameranensis Populus supplicavit pro illius erectione in Parochialem, precibusque ad Sac. hanc Congregationem ablegatis, hæc in prima informatione retulit Ariminensis Episcopus.

Desiderio erectionis, inquit, *eo usque detinentur Incolæ Camerani, & proximi Agrarii, ut qui inter eos meliore fortuna utuntur, sese scripto obligaverint ad ea omnia pro prima vice suis sumptibus providenda utensilia, quæ Sacramentorum administrationi, & exercitio curæ Animarum sunt necessaria. Parochus S. Andreæ Podii, hibernorum nuper defunctus, vix de sua sententia requisitus, absque ulla hæsitatione consensum præbuit novæ erectioni, cessis favore novi Parochi, in Ecclesia Camerani constituendi, omnibus incertis emolumentis, utcumque pervenientibus ex Incolis trans flumen Rubiconem, vulgo Uso consistentibus, & erigendæ Parochiæ addicendis; cum conditione tamen quod in reliquis nullum Ecclesia S. Andreæ pati damnum debeat, sive super supellectili, rebusque amovibilibus, sive super bonis stabilibus, ac quibuscumque suis antiquis juribus utilibus; quodque in Ecclesia Camerani construi nequeat Fons baptismalis, sed baptizandi novæ Parochiæ ad Ecclesiam S. Andreæ tanquam ad Matricem deferantur, quoties id in particularibus casibus per flumen liceat; quoties vero non liceat, ad Ecclesias viciniores pro libito Parentum deferantur, prout in more hactenus fuit. Exemplum defuncti Parochi sequutus, novus mox electus ratum habet consensum ab Antecessore præstitum, illiusque cautioni libentissime subscripsit.*

Hujusmodi vero erectioni obsistere monuit Rectorem Beneficii; suamque de ejus contradictione in hæc verba aperuit sententiam: *Mihi persuasum habeo, Rectorem Beneficii*

ficii alieno ab erectione Parochiæ esse animo , non quidem ex eo , quod sentiat , & minime necessariam eam esse , & inutilem futuram , sed potius quia timet , prout ex ejus responsione , ni fallor , cognoscitur , ne Beneficio adhuc vivens spolietur . Verum id , nec in votis habet , aut in suis precibus attigit Populus Orator , nec forte fieri posse opinatus est . Ipse siquidem novæ petit erectionem Parochiæ nunc decernendam , & tunc solum effectum suum habituram, cum primum contingat vacare beneficium . Qua de re concluſit , *nullum ex hujusmodi erectione præjudicium Beneficiato importari , & quam maxime confido futurum , ut Eminentiæ Vestræ conditionem Populi Oratoris miseratione prosequentes , favorabiliter ad ejus vota dignentur rescribere .*

Hæc autem Beneficii Rector opponebat . Formalem præ ceteris inficiabatur Villam Camerani, omnesque Transfluvianos huc illuc per agrum dispersos affirmabat. Inficiabatur etiam , Ecclesiam S. Mariæ parochialem olim , ut ferebatur , fuisse , pluraque adversus parochialitatis indicia notabat, ex antiquis præsertim Visitationibus ab anno 1552. , in quibus Rectoria simplex nuncupatur Beneficium . Ac supra reditum tandem ejusdem Beneficii evehebat onera . Distincte hujusmodi exceptiones in secunda informatione per adnexum Rectoris Folium memoravit Episcopus ; aliaque ex præscripto adimplevit . Sex mensium terminum die 9, Julii 1787. præscripsit Parocho, & Beneficiato ad deducenda eorum jura in Sac. Congregatione , quam *Beneficiatus ratam habendo præfinitionem, jura sua in Sacra Congregatione se deducturum spopondit . Parochus vero , quæ sui suæque Ecclesiæ favore causa esse debere putat , adjuncto Folio A. in medium profert .* Quatuor Parochus in hoc Folio proponit conditiones. Respicit *prima* Infantium baptisma , de quo sibi juxta priorem Episcopi informationem caverat . *Secunda* est , quod invitari debeat ad officia omnia , anniversaria , & functiones erigendæ Parochiæ , sub obligatione præstandi eleemosynam , etiamsi iis interesse nequeat , aut nolit . *Tertia* , quod nullum in erigenda Parochia celebrari valeat Festum eodem die, quo in Ecclesia S. Andreæ celebratur. Et *quarta* demum , quod libere ad matricem Parochiam pertineat frumenti portio, quam ei cessurus erit novus Parochus. Quæ portio ignoratur .

Cameranenses insuper requisivit de assignanda novo Parocho congrua . *Ipsi vero se pauperes faciendo , & congruam de proprio assignandi impares , reposuerunt , se petiisse Beneficii erectionem in parochiale, post Rectoris obitum effectum*

ctum habituram ; *& Beneficium Camerani iis provisum esse reditibus* , *juxta adjunctum folium B.* (annuis scilicet scutis 80. detractis oneribus) *qui pro Parochi congrua satis esse poterunt* . Singulasque postremo notavit Rectoris exceptiones ; ceterisque missis levioris momenti , ex ipsa Camaranensium Familiarum disjunctione novam desumpsit erectionis Parochiæ rationem : Animas ad numerum auxit 320. Impedimentum confirmavit interfluentis fluminis , ex quo libere accedere nequeunt Cameranenses ad Parochialem ; nullamque Rectoris Capellano esse Animarum curam . Spiritualem hinc commiserans Incolarum indigentiam , *magis* , ait , *magisque innotuit hujusmodi indigentia postquam Visitationem Camerani de mense Septembri proxime præterito* (anni 1787.] *personoliter peragens* , *Incolarum illorum sedem* , *& a Parochiali Ecclesia distantiam meis oculis conspexi* . *Eo in loco res est* , *ut remedium aliquod exquirere videatur* . Quatenus vero EE. Vestræ novam permittere nollent Parochiam, alium Episcopus proponit modum , ut Cameranensi Populo provideatur , si ejus nempe pars addicatur sæculari Parochiæ Ciolæ Cornialis , altera regulari Canonicorum SS. Salvatoris Ravennæ , quæ *citra fluvium adstant a parte Camerani* , *inde minus quam Ecclesia Podii hybernorum distantes* . Post diuturnam igitur Rectoris Beneficii contumaciam infrascripta modo proponuntur Dubia .

Justa siquidem concurrente difficilis iteneris , aut distantiæ causa , novas *Sac. Concil. Tridentinum* erigi permittit Parochias *in sess.* 21. *cap.* 4. *de Reform.* , tribuitque sequenti *cap.* 5. facultatem uniendi in sustentationem Parochorum Beneficia , *sine tamen præjudicio obtinentium* . Qua de re in similibus nostri casus circumstantiis novam ex simplici Beneficio erigendam censuit Parochiam Sac. Congregatio *in Ariminen. Dismembrationis* 26. *Martii* 1763. Duplici enim proposito Dubio ; *I. An sit locus dismembrationi Ecclesiæ Parochialis S. Felicis de Arboreto* , & quatenus affirmativè , *II. An & quomodo sit facienda dismembratio* , respondit , *Ad I.* , *& II. Affirmative juxta votum Eminentissimi Episcopi* , *servatis conditionibus in utroque consensu Parochi expressis* , *facto verbo cum Sanctissimo* .

Eas ipsas Cameranensis Populus affert petitæ erectionis causas, ex quibus eam Tridentina Synodus permisit , ejus scilicet Villæ distantia a Parochiali Ecclesia *del Poggio* , valdeque hiemali tempore difficile iter . Præ sua autem paupertate fieri debere contendit hujusmodi erectionem

ex

ex Beneficio S. Mariæ, quum eam petat, *sine præjudicio obtinentis*, tunc scilicet *effectum suum habituram, cum primum contingat vacare Beneficium*. Huc certe Rectoris exceptiones respiciunt, ne Beneficio privetur; & ex hoc fortasse, quod illud sibi ex declaratione Populi salvum novit, a suis deducendis juribus abstinet. Quatenus igitur EE. Vestræ in erectionem novæ Parochiæ conveniant, deliberandum erit de conditionibus, sub quibus Parochus *del Poggio* Cameranensium dismembrationem permittit. Conditiones porro istæ similes illis sunt, quas Sac. Congregatio servari mandavit in citata *Ariminen. Dismembrationis*.

Advertere tamen dignentur ad urgentem Camera nensis Populi indigentiam, cujus amplissimum est Episcopi testimonium, & ad remotum novi Parochi exercitium cum vacaturum erit Beneficium; suaque prudentia decernant num utilius sit, statim Cameranenses addicere proximioribus Parochiis, quas innuit Episcopus, de consensu earum Rectorum. Nil aliud certe Parochi illi ex novis Parochianis, quam incerta consequerentur Stolæ, quum jus decimandi pertineat ad Rectorem Beneficii. Vestræ igitur deliberationi proponitur.

I. *An, & quomodo sit locus erectioni novæ Parochiæ in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo sit providendum in casu &c.*

ALEXANDRINA. Joannes Jacobus Columbus, jam Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ ad Nives Alexandriæ Archipresbyter, heredem instituit anno 1762. Josephum Andream Piccioni ad ætatem annorum 25. in usufructu, mandavitque, ut bina deinde ex universa hereditate, Canonicatuum nomine, laicalia erigeret Beneficia in Ecclesia SS. Caroli, & Annæ Oppidi Castellatii, sub titulo S. Caroli unum, S. Jacobi alterum. Tot cuilibet Beneficiato præscripsit Missas, quot ad Pedemontanam

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

libram unam, seu obolos 20. pro quálibet reditus ferrent; eidemque Josepho Andreæ, ejusque Filiis, & Descendentibus activum, & passivum reservavit patronatum.

Decessit Joseph Andreas anno 1784., nondum erectis Beneficiis: neglectam tamen erectionem in extremis Tabulis demandavit, sexque terræ jugera, & alia ex fructibus ad taxam obolorum 20. addidit Sacra. In exequenda utriusque Testatoris voluntate animadvertit Joannes Andreas Piccioni, bonorum omnium reditus annuam attingere summam scutorum 70., seu 67.13., ut ex juratis deinde Testibus Alexandrinus retulit Vicarius Capitularis. Sanctissimo hinc supplicavit pro derogatione voluntatum, ac reductione duorum Beneficiorum ad unum cum onere Missæ quotidianæ; precibusque ad Sacr. Congregationem remissis, ponderabat in prima informatione Vicarius Capitularis = *neutrum ex dictis Beneficiis, ubi ambo erigantur, cum tenui hac dote* (scutorum 33.56. $\frac{1}{2}$ pro quolibet (*futurum sufficiens nec ad congruam utriusque Beneficiati sustentationem, nec ad constituendum utrisque ordinationis titulum, ex concordatis Pontificiis in hac Ditione vigentibus taxatum in scutis* 40., *omnibus deductis etiam Missarum oneribus*.

Addebat etiam = *non semel tenuia hujusmodi Beneficia, experientia ipsa teste, hic apud nos negligi, adeo ut sæpe contingat non inveniri a Patronis, qui ad illa velit nominari; atque ideo per annos bene multos vacantia maneant.* Contra vero = *ubi unum tantummodo ex hisce duobus a Pio Fundatore præscriptis erigatur Beneficium, præterquamquod unus idemque Beneficiatus potest omnibus oneribus Missarum, quæ tercentum triginta sex quotannis non excederent, satisfacere, juvari etiam posset ab eo in tituli constitutione, addito aliquo Patrimonii ecclesiastici supplemento, quum usu in hac Curia Episcopali inductum sit, ut si quid est supra eleemosynæ Missarum taxa Beneficiorum reditu, illud in titulum ordinationis imputetur.* Præfixo autem, ut imperatum est, interesse habentibus termino ad deducenda jura sua in Sac. Congregatione, omnes in secunda informatione convenire refert cum Oratore, ac resolutionem urget Caulæ= *ne diuttus mandata Beneficii, seu Beneficiorum erectio differatur.*

Justa in commutandis, aut derogandis ultimis voluntatibus, & rationabilis requiritur causa, *Sacr. Concil. Tridentin. sess 22. cap. 6. de Reform.*. Semper, ea deficiente, sanctas sectasque servavit Sacra Congregatio pias Fidelium

lium dispositiones, ut præ ceteris in *Romana* 24. *Martii* 1787., sæpe, ea concurrente, pro commutatione, aut derogatione rescripsit, ut in *Interamnen. Commutationis Voluntatis* 8. *Maii* 1756., *in Fulginaten. Applicationis* 22. *Decembris* 1781., *& in Parmen. Beneficii* 28. *Julii* 1787.. Quæ in nostro themate sint causæ non erigendi duplex Beneficium, juxta expressam utriusque Testatoris voluntatem, jam Eminentissimi Patres, ex informationibus Vicarii Capitularis audistis. Ad Vos igitur pertinet, de illarum justitia, & æquitate decernere.

Plura tamen notanda. Dubitari ex una parte non posse videretur de existentia bonorum omnium primi Fundatoris; nam teste Vicario Capitulari, confectum fuit post illius obitum solemne inventarium; & sex existunt terræ jugera a Josepho Andrea relicta, quæ satis in unum ad implendam utriusque voluntatem esse possent. Nil ex altera demandatis suffragiis per erectionem unius Beneficii detraheretur, nam ducto calculo, major immo esset Missarum numerus, ac Testatores præscripserunt. Nullum item Alexandrinis Ecclesiasticis præjudicium, quum pusilla negligant Beneficia. Certa immo ob constitutionem pinguioris Beneficii in titulum ordinationis utilitas. Ac nulla demum Vocatis ad patronatum, ob præstitum consensum injuria.

Deliberandum igitur.

An, quot, & quomodo sint erigenda Beneficia in casu &c.

TERRACINEN.; SEU PRIVERNEN. CAPELLANIÆ. Per testamentum anni 1565. erigi jussit Sacerdos Fridericus Butii in Ecclesia S. Petri Somnæni ad Altare S. Mariæ Consolationis perpetuam capellaniam *cum onere, & servitute, quod in d. cappella qualibet hebdomada per Capellanum dictæ cappellæ pro Anima ipsius Testatoris, Patris, Matris &c. celebrentur duæ Missæ,* vi-

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

videlicet una Missa in die lunæ pro Animabus prædictis, & una alia Missa in die Sabbathi ad honorem, & gloriam Matris Virginis Mariæ. Item cum alio onere, & servitute, quod quolibet anno Capellanus aut de die, quo celebratur Festum S. Mariæ della Consolazione, *aut de die secunda aprilis cum toto Clero Terræ Somnæni canere faciat unam Missam solemnem ad honorem d. Matris Virginis Mariæ, & finito Officio, in mane debeat ipse Capellanus eidem Clero facere unum pastum, seu convivium.* Priores ipse nominavit Capellanos; deindeque activum & passivum detulit juspatronatus descendentibus suarum neptum & heredum, Antonellæ, Laurentiæ, Persiæ, & Imperiæ.

Quis post Capellanos a Testatore designatos successorem nominaverit, ignoratur. Lis anno 1700. de hoc jure fuit inter Sacerdotes Josephum Franciscum Mancini, & Sebastianum Bernardini patronos; sed ita sequenti anno per instrumentum composita est, ut alternatim in posterum a Familia Mancini primum, & ab altera deinde Bernardini nominaretur Capellanus. Pro ea igitur vice nominatus & institutus fuit Joseph ipse Mancini; eique germanus successit Frater Adeodati Bernardini. Tertia nuper sequuta vacatione, ad capellaniam institui postulavit Sacerdos Angelus Schiera Carpineti Archipresbyter, tanquam descendens a Familia Mancini. Ei restitit Adeodatus Bernardini, nominavitque Canonicum Aloysium ejus nepotem. At die 31. Martii elapsi anni 1788, illius favore pronunciavit Terracinensis Vicarius Generalis, eumque die 15. sequentis maii, delertam autumans interpositam appellationem, in possessionem misit capellaniæ. De injustitia igitur Judicati, ejusque exequutionis nullitate apud EE. Vestras queritur Adeodatus: de injustitia, ex quo is juxta ultimum statum in possessione esset nominandi; nec Archipresbyter Schiera residere posset Somnæni: de nullitate, ob exequutum Judicatum pendente biennio ad prosequendam appellationem.

Nil aliud quoad nullitatem Episcopus, quam quod appellationem Bernardinus deseruisset, cum ad capellaniam institutus fuit Schiera. Quoad unum vero, & alterum injustitiæ caput; *horum*, inquit, *neutrum subsistit. Quamvis enim regula sit, quod ultimus status attendi debeat, quando quæritur de jure, & quasi possessione nominandi, in casu locum non habet hæc regula, stante concordia, & compositione prædicta, ex qua jus omne Sacerdoti Schie-*

ra

ra in ultima hac capellaniæ vacatione tribuitur, & quasi possessio omnis Adeodato Bernardini denegatur. Nullum autem in fundatione verbum appositum videtur, ex quo Capellanus per se ipsum teneatur Cappellæ deservire, & personalem residentiam facere. Quare omni prorsus fundamento destitutæ ejus importunæ preces apparent; & si quid aliud habuerit, ad EE. Vestros deferet, cum jam respectivis ejus, & Sacerdotis Schiera Procuratoribus intimaverim, ut in Sacra ista Congregatione jura sua proferant infra mensem. Nonnullas Adeodatus ad confirmanda exposita, suamque protuendam nominationem manuscriptas exhibuit animadversiones; a suis vero deducendis juribus abstinet Schiera, Ideoque infrascriptum ex officio proponitur Dubium.

Plurimi ultimus status, & quasi possessio nominandi in materia jurispatronatus æstimari solet, ad tradita per *Lambertin. de Jurepatr cap.2. part.1. quæst.3. art.3.*, *Piton.de controv. patron. alleg.91. num.10.* Ponderandum tamen, num hac juvari valeat regula Adeodatus Bernardini, qui suum in precedenti vacatione capellaniæ ad formam transactionis consumpsit turnum. Ubi de alterno enim agitur nominandi jure; qui eo in novissima usus est vacatione, hunc allegare nequit quasi possessionis actum; ut a successiva nominatione conturnarium excludat, *Gonzal. ad regul. Cancell. Glos.45. §.3. num.48.*, *Garz. de Benefic. part.5. cap.1. num.234. & seq.*, *Piton. de controv. patron. alleg.72. sub num.8.* Obesse quidem posset Archipresbytero Schiera perpetua ejus absentia a loco capellaniæ; sed hoc quærendum, utrum ad residentiam teneatur. Affirmat Bernardinius ex iis præsertim verbis = *per Capellanum d. Capellæ celebrentur duæ Missæ* = quæ ipsius Capellani personam appellare videntur. Expressum contra deficit præceptum celebrandi per ipsum; quo casu per alium celebrari posse censent *Fagnan. in cap. Ut Abbates n.65., & seq. de ætat. & qualit. ordinan.*, *Antonell. de jur.*, *& oner. Cleric. lib. 1. cap. 29. num. 11.*, *Pignatell. consult. can.2. num.15. tom.7.*, & hæc alia fundationis verba, *canere faciat unam Missam solemnem*, ad facultatem trahi possent celebrandi per alium,

A bono unius, vel alterius litigantis jure pendet Archipresbyteri possessio. Vacillare poterit, si EE. Patrum judicium erit pro Adeodato; nam capta fuit post duos tantum menses ab interposita appellatione, quam intra biennium prosequi licebat, per *Text. in cap.5. de appellat.*

At

At si expeditum videbitur jus Archipresbyteri, ei quoque ad vitandum circulum vitiosum servanda forsan erit attentata possessio, *Gratian. discept.* 960. *num.* 14., *Rot. in Recent. decis.* 64. *num.* 42. *part.* 17. Deliberent ergo:

An sustineatur institutio Archipresbyteri Schiera, seu potius sit danda Canonico Aloysio Bernardini in casu &c.

Die

Die Sabbathi 8. Auguſti 1789. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda,

QUatuor hìc ex præcedenti Folio diei 18. Julii primo loco proponuntur Cauſæ, ut rectum EE. Veſtrarum judicium cum reliquis ſubeant.

DERTHONEN.

I. *An ſuſtineatur decretum duodecimum ab Epiſcopo editum in Sacra Viſitatione quoad celebrationem Miſſarum in Oratorio, de quo agitur, in caſu &c.* *Seſſ. 22. Decret. de obſervan. & evitan. in celebr. Miſſ.*

II. *An ſuſtineatur interdictum Planetæ in caſu &c.*

Ad I. Negativè.

Ad II. Dilata, & ſcribatur Epiſcopo juxta mentem.

ARIMINEN. ERECTIONIS PAROCHIÆ:

I. *An, & quomodo ſit locus erectioni novæ Parochiæ in caſu &c.* *Seſſ. 21. cap. 4. & 5. de Refor.*

Et quatenus negativè.

II. *An, & quomodo ſit providendum in caſu &c.*

Ad I. Dilata, & audiantur Miniſtri Datariæ.

Ad II. Dilata, & ſcribatur Epiſcopo juxta inſtructionem.

ALE-

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ALEXANDRINA.

An, quot, & quomodo sint erigenda Beneficia in casu &c.

Affirmativè juxta votum Ordinarii, facto verbo cum Sanctissimo.

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

TERRACINEN., SEU PRIVERNEN. CAPELLANIÆ.

An sustineatur institutio Archipresbyteri Schiera, seù potius sit danda Canonico Aloysio Bernardini in casu &c.

Affirmativè ad primam partem; negative ad secundam.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

LEMOVICEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE, Denegandam censuerunt Emi Patres in Congregatione 9. Augusti elapsi anni 1788. per rescriptum *negative* dispensationem ab irregularitate, in quam Clericus Franciscus du Soulier, ob patratum mense majo præcedentis anni in singulari certamine homicidium, inciderat. Iterum modo gratiam flagitat Orator, eique per novas testimoniales literas impense favet Lemovicensis Episcopus, remque accuratius narrat in hæc verba: *Franciscus du Soulier casu, & involuntarie pedem præmens commilitonis, nullam causam dedit ad duellum ordinatam, immo statim commilitoni veniam postulavit; provocatus etiam ad singulare certamen, motivo religionis renuit: sed elapis iteratis publice lacessitus, ac si fas est dicere, coactus, consilio, & mandato sui Servientis campum adiit. Attamen in certamine nullus ullum vulnus intulit, aut recepit, uterque mutuo consensu certamini finem posuit. Dictus Franciscus, jam sic finito certamine, nec prævidit, nec prævidere potuit, commilitonem rursus contra se insurrecturum, tranquille, & gratias agens Deo, vestimenta colligebat, cum improvise aggressus a furibundo commilitone, mera defensione cum moderamine gladium adhuc evaginatum dumtaxat ostentans, ac minime in hostem illum impellens, in hunc gladium prorupit, ac corruit malecautus, nec non furore obcæcatus aggressor.*

Hinc

Hinc colligere est, d. Franciscum nullam dedisse causam ad homicidium ordinatam. istudque homicidium accidentale esse involuntarium etiam in causa. Favet item Francisco, quod nemo resciverit, ipsum hujusce homicidii auctorem esse, quod evenerit in loco plus centum leucis distante a patria, ubi commoratur; adeoque nullum scandalum sit timendum, nec ad id abigendum requiratur lapsus trium annorum. His autem præmissis, ita concludit: *Quapropter nihil nobis obstare videtur, quominus SS. D. Noster Papa benigne, & cum indulgentia dicti Francisci du Soulier preces excipiat. Id nobis erit pergratissimum propter eximiam indolem, pietatem, diligentiam, & honestatem d. Francisci, quas virtutes dudum exhibet in Seminario ordinandorum; unde coniiciendum est, illum ecclesiasticæ militæ adscriptum, gloriæ Dei promovendæ, ac saluti Fidelium futurum esse perutilem.*

A Vestra igitur, Emi Patres, prudentia, & religione pendet decernere.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Prævio recessu à decisis, consulendum SSmo pro dispensatione.

FOROSEMPRONIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Heredem Constantia Zerbinati scripsit anno 1643. Com. Astorrem de Monte Veteri ejus virum, eique absque filiis decedenti plures alios ex ordine substituit. His omnibus tandem deficientibus, jussit = *Che di tutta la sua eredità senza minima diminuzione se ne faccia un Monastero di Monache in Monte Vecchio, valendosi dell' entrate per la costruzione della fabbrica &c. ed il capitale resti intiero senza diminuzione alcuna, perchè con il comodo dell'entrate debbono alimentarsi le Monache, che vi entreranno, le quali dovranno pigliare la Regola, che sarà determinata dal Consiglio di Monte Vecchio, al quale lascia la protezione di d. Monastero, e che a loro elezione siano introdotte le prime Monache in d. Monastero, purchè siano cittadine, e terrazzane di d. luogo di Monte Vecchio, senza che portino con loro dote alcuna.* *Sess. 22. cap. 6. & 8. de Reform.*

Bina Astorres ex Pontificio Chirographo hereditaria distraxit prædia; neglectoque præscripto multiplico, sine filiis decessit anno 1707. Reliqui fortasse ante ipsum de-

defecerant subfituti ; tradiditque propterea beneficiatus illius heres Universitati Montis Veteris in fundum pii operis scuta 2831., ex venditis mobilibus coacta, & pro aliis scutis 1409. portionem domus, & prædium, quæ liberam constituebant hereditatem. Quum pares autem non essent hujusce capitalis fructus erectioni Monasterii, ad preces idcirco Universitatis commutavit anno 1715. san. mem. Clemens XI. pium illud opus in spirituales dotes, commisitque Forosempronienfi Episcopo = *ut veris existentibus narratis, & reddita prius coram Te per heredes, citatis dd. exponentibus* (publicis nempe Universitatis Repræsentantibus) *bonorum hereditariorum hujusmodi ratione, & constito Tibi, quod eorum reditus Monasterii erectioni in d. Terra non sufficiant, eosdem in subsidia dotalia Puellarum præd. Terræ ad effectum se in Monasteriis claustralibus ejusdem Terræ, quatenus adsint, vel in aliis convicinis monachandi auctoritate nostra Apostolica pro Tuo arbitrio & conscientia gratis erogari mandes, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium* Concilii Tridentini interpretum.

A Pontificiis hisce editis Literis hereditatem Zerbinati administravit Universitas ad annum 1731., jugiterque ad hæc tempora Puellas nominavit ad subsidia dotalia, licet ab eo forsan anno, quo novissimum bonorum administratorem deputavit, administrationem assumpserit Episcopus. Spem ad hujusmodi subsidia pro suis filiabus habuit anno 1776. Franciscus Baldelli, adlectus Montis Veteris civis, ex rescripto Episcopi Barsanti in hæc verba = *Perventis Oratoris filiabus ad legitimam ætatem habitum monasticum induendi, providebitur de subsidio dotali, de quo in precibus, cumulando tamen post declarationem electionis status, reservatis tamen præscriptis in Brevi Clementis XI.* Consiliaris rescripto accessit resolutio ; cumulumque deinde juxta votum Episcopi ab EE. Vestris obtinuit anno 1782. pro natu majore filia Nicolaa, inter Moniales Montis Avium recepta. Anno rursus 1786. ad dotale subsidium designavit hodiernus Episcopus Mariam Angelam Ricci filiam Caroli originaril civis ; sed implementum gratiæ retardavit Baldellius, dum parem sequenti anno 1787. ab EE. Vestris postulavit cumulum scutorum 400. pro altera ejus filia Ursula.

Ægre hujusmodi petitionem tulerunt Consiliarii Montis Veteris, eique ad originarias tuendas Puellas obsistere decreverunt. Iis vero, ut in mandatis habuerat, auditis,

ita

ita tandem Baldellio annuendum censuit Episcopus, *si delectæ antea Puellæ præferantur, & tantæ pecuniæ summa adsignetur, quanta ex reditibus unius anni proficiscitur; subsidium enim, non integram dotem Clemens XI. tradi jussit*; & hæc de jure nominandi puellas addidit: *neque ex Brevi Clementis XI., neque ex supremis tabulis Constantiæ Comitissæ colligitur, inesse Universitati jus aliquod in vices temporum designandi puellas ad subsidia consequenda.* Secunda informationis pars Consiliarios commovit, impulitque ad Vestram implorandam auctoritatem pro reintegratione Universitatis ad jus nominandi, & administrationem. Utrumque sibi Episcopus ex Clementino Brevi, ac dispositione Juris in altera informatione vindicavit; iterumque *optandum*, dixit, *ut adolescentulæ in Monte Veteri ortæ a patre consiliario, quæque ibidem utuntur domicilio, præferantur semper filiabus fictorum tot civium, qui ne domos quidem eo in Oppido potiuntur. Optandum insuper, ut eo subsidio ad summum contentæ sint puellæ, quod congeritur ex unius anni reditibus attingentibus ad 173. circiter scuta.* Hæc omnia super novis Baldelli, & Riccii precibus in tertia, & quarta informatione confirmavit; ac tria modo inter Universitatem, Baldellium, & Promotorem Fiscalem Forosempronienſis Curiæ (a suis enim deducendis juribus abstinet Riccius) disputantur Dubia,

Cum Baldellio Universitas, & Promotor Fiscalis de civica puellarum qualitate, & prælatione, subsidiique dotalis quantitate contendunt. Ex contemplatis in Clementino Brevi *puellis Terræ*, originariam in eis requirunt civitatem; penitusque idcirco a dotalibus subsidiis excluſas censent adlectas, quæ paternam sequuntur originem, ex *Ulpiano in Leg. Assumptio 6. §. Filius, ff. ad munic. & de incol.* Maxime quia adlectionis privilegium in odium verteretur puellarum, quæ potiorem habent originis qualitatem, contra sententiam *Card. de Luc. de præeminent. disc.* 36. *num.* 6. Illudque etiam addunt, quod nullum Baldellia Gens in Territorio Montis Veteris possidet fundum, neque aliter ex lege Præsidis Urbini prodesse valet adlectio. Inde autem concludunt, dotale subsidium, de quo agitur, deberi originariæ puellæ Ricciæ; in quantitate tamen statuenda ab Episcopo, cujus arbitrio Clemens XI. commisit hujusmodi subsidiorum distributionem.

Distinguit contra Baldellius inter odiosa, & favorabilia. In iis non veniunt civium nomine adlecti, *de Verch. ad mater. Bon. Regim. tom. 2. pag. 86. in adnot.*, & *decret.* 206., & 207., in his pares sunt originariis, *Capon. disceptat. 52. cap. 2. num. 12.*, *Lotter. de re benefic. lib. 1.*

quæst. 25. *num.* 78., *Pignatell. consult.* 1. *num.* 3. *tom.* 7., *Rot. in Maceraten. Canonicatus, aliarum decisionum confirmatoria*, 20. *Februarii* 1788. §. 4. *coram R. P. D. Soderino*, & *Sacra hæc Congregatio in Romana* 16. *Septembris* 1649. *lib.* 18. *Decret. pag.* 674.; nam = *cives origo, manumissio, adlectio, vel adoptio facit* = ut scriptum est *in Leg. Cives* 7. *Cod. de incol.* Adlectionis ergo jure frui debere ait Ursulam ejus filiam dotalis subsidii deneficio; eodemque jure, quo illud natu major filia Nicolaa ab EE. Vestris obtinuit. Valdeque in id æstimandam censet observantiam, de qua in prima informatione testatus fuit Episcopus verbis illis = *Certum interim est, hasce largitiones non incolis, sed peregrinis profuisse. Impertitæ siquidem sunt plerumque filiabus illorum, qui orti, ac diversantes alibi, civium albo tantum erant adscripti, quos plurimos sane comperi.* Optima profecto Legum, & dispositionum est interpres, *Cap. Cum dilectus* 8. *de consuetud.*, *Gibert. in jus can. prolegomen. part.* 1. *tit.* 18. *cap.* 2. *pag.* 118. *tom.* 1.

Plura hinc ex facto, & jure notat, ne Clementini Brevis dispositio ad originarias tantum puellas coercita censeatur; Nec sibi suæque filiæ obesse contendit Præsidis legem, quum lata fuerit anno 1772. pro futuris civium adlectionibus, suamque idcirco non afficiat longe anteriorem anni 1746., per *Text. in Leg. Leges* 7. *Cod. de Legib.*, & *in L. Jubemus* 29. § *Quæ in posterum Cod. de testam.*, eoque minus obesse, quod dotalia subsidia obtinuerit altera ejus filia Nicolaa; quum neque in testamento Zerbinatæ, neque in Clementino Brevi prohibeatur, ne plures sorores dotale subsidium consequantur. Nominationem desumit Ursulæ ex rescripto Episcopi Barsanti anni 1776., Ideoque potiorem dicit altera Ricciæ anni 1786., ex regula *Textus in Cap.* 54. *de reg. jur. in* 6., de qua *de Nigr. de nomin. lib.* 2. *quæst.* 26. *num.* 7., *& seq.* Ac dotem postremo flagitat scuturum 400., quot saltem ad religiosum puellæ statum requiruntur; tum quia integram Testatrix demandavit puellarum dotationem = *senza che portino dote alcuna* = tum quia Episcopi testimonio, *modo ducentis, modo quadringentis* dotalia hæc subsidia constiterunt.

De secundo agens Dubio; Episcopo attribuit Promotor Fiscalis jus nominandi, & eligendi puellas, eo quod Clemens XI. universam ei dedit pii operis curam verbis illis = *Fraternitati Tuæ committimus* = *reddita prius coram Te per heredes ratione* = *reditus in subsidia dotalia pro Tui arbitrio, & conscientia erogari mandes.* Ei namque tributa censetur potestas eligendi puellas, cui datum est arbitrium distribuendi subsidia, *Barbos. in jus eccleſiast. lib.* 3. *c.* 37. *num* 45.

num 45. Contrariam vero negligit Universitatis observantiam, velati inductam ex oscitantia decessorum Antistitum, qui renunciare non poterant in præjudicium Successorum juri quæsito ex Pontificio Brevi; *Glos. in Cap. fin. de præscript.*, *Rot. cor. Olivat. decis.* 619. *num.* 23.

Desumit contra Universitas pii operis patronatum ex testamento. Dum ei namque commisit Testatrix priorum puellarum electionem, commisisse etiam videtur ex identitate rationis electionem posteriorum. Idque comprobat ex consignatione bonorum post obitum Com. Astorris; ex Clementino ipso Brevi, in quo non conceditur Episcopo, ut dotalia assignet subsidia, sed ut in ea reditus *erogari mandes*; & ex quinquagenaria demum observantia. Si recentia enim excipias Episcopi Barsanti, & hodierni Antistitis facta, una ab edito Brevi puellas elegit, & nominavit Universitas.

Ad tertium quod attinet Dubium; *Sacrum* quidem Episcopo favet *Concilium Tridentinum sess.* 22. *cap.* 8. *de Reform.*, dum Ei piarum dispositionum executionem permittit; sed limitandam ait Universitas hujusmodi facultatem in nostro themate, in quo eam Testatrix in executricem pii operis designavit=*e al quale* (ejus nempe Consilio) *lascia la protezione di detto Monastero*, = juxta sententiam *Card. de Luc. de jurisdict. disc.* 44. *num.* 2. *&* 3. Quanti autem facienda sit possessio deputandi administratorem, in qua plurimis abhinc annis est Episcopus, EE. Vestrarum judicio relinquitur.

Deliberandum igitur:

I. *An, & quibus puellis, & in qua summa debeatur dotale subsidium in casu &c.*

II. *An, & cui competat jus nominandi, & eligendi puellas in casu &c.*

III. *An, & cui competat jus deputandi administratorem, ac exquirendi respective redditionem rationis de reditibus Constantiæ Zerbinati in casu &c.*

Ad I. Deberi Mariæ Angelæ Ricci, & In futurum Puellis originariis Montis Veteris, & Territorii, prælative ad Filias adlectorum, & amplius, integra summa necessaria ad induendum habitum religiosum in Monasteriis vicinioribus. Ad II. competere Episcopo, salva auctoritate Sacræ Congregationis, audita Comunitate super verificatione requisitorum. Ad III. Affirmative in omnibus favore Episcopi.

RO

Sess.24.cap.12. de Reform.

ROMANA DISTRIBUTIONUM. Expositа primum fuit hujus Causæ species in Folio 12. Julii elapsi anni 1788., deindeque post dilatam illius decisionem per rescriptum = *iterum proponatur* = ad Dubium tandem = *An sit locus repetitioni distributionum solutarum tempore deficientium indultorum* = responsum est die 4. Aprilis currentis anni = *negative* =. De hac modo Beneficiati S. Mariæ Transtyberim, & Tuschii heres certant resolutione; sed nova hactenus latent ipsorum jura. Eo igitur resumpto Folio, respondere dignetur Eminentissimi Patres:

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess.24.cap.17. de Reform.

ALEXANDRINA CANONICATUS. Canonicatum possidens in Parochiali Ecclesia Oppidi Cerioli sub titulo SS. Luciæ, Agathæ, & Apolloniæ, assumptus fuit anno 1787. Sacerdos Petrus Maria Scotti in amovibilem Rectorem Paræciæ contermini Oppidi *Capsinæ Grossæ*. Ex fundatione autem Canonicatus incumbit ei onus celebrandi = *Missas quatuor singula hebdomada &c. ad Altare earum Sanctarum existens in d. Parochiali Ecclesia &c. per se, & personaliter, & non per alium &c. excepto casu infirmitatis, & alterius legitimi, & canonici impedimenti* = nec non interessendi parochialibus functionibus, aliisque designatis Festivitatibus, sub pœna tradendi pro qualibet omissione = *libram unam cereæ albæ Societati SS. Sacramenti in d. Parochiali erectæ*.

Indultum igitur ab hac Sacra Congregatione postulavit retinendi Canonicatum cum Rectoratu, & adimplendi illius onera per alium. Vicarius Capitularis, qui Alexandrinam administrabat Ecclesiam, vix esse dixit, *quod onus parochiale Oratori impositum, & ab ipso libere susceptum æstimari possit legitimum illud, & canonicum impedimentum, quod ob oculos habuit pius Beneficii Fundator, & cujus intuitu annuit, ut Beneficii possessor a personali in loco residentia eximeretur. Præter quam quod idem pius Fundator exemptionem quidem concessit ob hujusmodi impedimentum possessori a celebratione*

Mis-

Missarum per se ipsum, non vero ab interessentia Divinis Officiis, festis, & solemnioribus diebus. Eoque minus, quia Parochus, Clerus, & Populus Cerioli dissentiebant.

His tamen non obstantibus, inter justas referebat indulgendi causas servitium Parochialis Ecclesiæ *Capsinæ Grossæ*, adimplementum onerum Canonicatus per alium, Patronorum consensum; & in hæc concludebat verba: *Quidquid sentiat Præpositus eum suo Clero, & Populo, qui videntur de se potius soliciti, quam de servanda pii Fundatoris voluntate, illud aliquam meretur animadversionem, quod nempe Orator Paræciam obtinuit, quæ manualis est, & a qua potest ad Ordinarii nutum amoveri; & adhuc ignorat, an hujusmodi oneri ferendo par esse queat, adeo ut contingere possit, quod renunciato Beneficio, de quo agitur, cogatur aliquod post tempus, & Paræciam derelinquere, & simul utrumque amittat. Eaque propter ego quidem non contradicerem, quin ex Apostolico Indulto eidem concedatur, ad aliquod saltem tempus, facultas retinendi sæpedictum Beneficium, satisfactis interim per alium Sacerdotem ejusdem oneribus.*

Satis hæc Oratori ad obtinendam gratiam non fuerunt. Proposita enim inter summaria precum instantia, rejecta fuit die 15. Septembris 1787. per rescriptum *Lectum*. Pontificium hinc adiit Solium, additaque paupertatis, & frequentis ejus Familiæ causa, temporarium postulavit indultum, quousque de altero provideretur Beneficio. Precibus vero ad Sacram Congregationem remissis, in omnibus hodiernus Alexandrinus Episcopus informationem confirmavit Vicarii Capitularis; idque unum de nova addidit causa, quod si *dignorem eumdem* (Oratorem) *facere potest, cujus petitioni, & desiderio indulgeatur, minus quidem verum judicari poterit quoad numerum Familiarium ab ipso alendorum; quum non habeat alios, nisi matrem, fratrem, ac fratris uxorem, & aliquot parvulos ex eis nepotes. Veritati tamen nititur paupertatis assertio, quia defunctus ejus Pater patrimonium reliquit non gravatum modo, sed etiam integre absorptum ære alieno, ac de illo propterea pendet indecisa lis inter creditores, adeout interim sint eidem Oratori supramemorati ipsius propinqui.*

Petitioni Oratoris enixa restitit Testatoris voluntas. Adimpleri enim jussit onera canonicatus *per se, & personaliter, & non per alium*. Ubi siquidem *ex Beneficiorum quo-*

quorumcumque erectione, seu fundatione qualitates aliquæ requiruntur, eis non derogetur, ut in hæc verba monet *Sacrum Concilium Tridentinum sess.* 25. *cap.* 5. *de Reform.*, nisi justa concurrat, & necessaria causa, ut *in sess.* 22. *cap.* 6. Dissensus accedit Parochi, Cleri, & Populi Cerioli; potissimæque sunt dissentiendi rationes, quia spem habent Clerici ad canonicatum, si ab Oratore dimittatur; Populus vero per indultum retinendi privaretur *subsidio*, & *commodo*, *quo gaudere posset*, *si Beneficiatus præsens in confessionibus excipiendis*, & *catechizzandis rudibus se exerceret*; juxta relationem Vicarii Capitularis. In similibus porro terminis hujusmodi indultum denegavit Sacra Congregatio in *Colonien. Beneficii* 6. *Februarii* 1734. *ad secundum Dubium*. Ac nulla tandem est necessitas, cur Orator potius, quam alius Sacerdos Parochiam administret *Capsinæ Grossæ*.

Eas contra Eminentissimi Patres expendere dignentur causas, quas Vicarius Capitularis primum, deindeque Episcopus attulit, si petitum fortasse indultum mereantur. Præ ceteris vero gravem advertant Oratoris paupertatem, de qua testimonium perhibet Episcopus, moderatamque petitionem retinendi Parochiam, & Canonicatum quousque ad suam levandam inopiam de altero provideatur compatibili Beneficio. Miserandæ ejus circumstantiæ Vestram excitare possent æquitatem; nam satis de Jure non est paupertas, ut duplicis residentialis Beneficii retentio concedatur; juxta *Tridentinam Synodum sess.* 24. *cap.* 17. *de Reform.*.

Quæritur ergo:

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad duo residentialia in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 22. *Decret. de observ., & evitan. in cele-*

FIRMANA: Tres Joseph Quatrini Oppidi Amandulæ testamento fundavit anno 1767, laicales Capellanias, injuncto Possessoribus primæ, & secundæ onere celebran-

brandi quotidianum Sacrum = *sempre in Altare privilegiato dentro qualunque Chiesa di questa Terra*. Unam ex hisce Capellaniis possidet Sacerdos Dominicus Eusemi, alteram Sacerdos Dominicus Scagnoli. Ambo ab EE. Vestris postulant, ut celebrare liceat Sacra in suburbanis Amandulæ Ecclesiis, Altari privilegiato decoratis. De consensu Patroni, & hujusmodi Ecclesiarum existentia Firmanus testatur Archiepiscopus; ac petitioni favens = *Ecclesiæ*, inquit, *rurales. quæ sitæ sunt in Oppidi districtu, comprehendi posse inter Ecclesias Oppidi videntur; eoque magis, quia Testator eas non excluſit, sed generaliter ad quascumque Ecclesias Oppidi ipsius arbitrium, de quo agitur, concessit*, *br. Miss. & sess. 25 cap. 5. de Reform.*

Ex hoc sane, quod Missarum celebrationem demandavit Testator in qualibet Ecclesia = *di questa Terra* = dubitari posset de immediata designatione Oppidi, quum dictio *di* adjecta loco, eum circumscribere videatur, ut in proximis terminis dixit *Rot. cor. Molin. decis.* 982. *num.* 6., *& coram San. mem. Clem. XIII. decis.* 328. *numer.* 8 Ponderandum contra, partem Oppidi esse suburbia, ejusque nomine *in sensu Juris* contineri, ita ut = *qui in continentibus Urbis nati sunt, Romæ nati intelliguntur* = *Leg.* 147. *ff. de verb. significat.* = Pacificum præterea non est, quod particula *di* immediatum locum designet. Contrarium enim docet *Bart. in Leg.* 1. *§. Quum Urbis, num.* 11. *ff. de Offic. Præf. Urb.*, eademque statuit *Rot. coram Molin. decis.* 1276. *num.* 11. *& seq.* Addi etiam posset, quod principaliter respexit Testator ad Altare privilegiatum, nullaque deinde designata Ecclesia, Capellanorum arbitrio celebrationem reliquit = *dentro qualunque Chiesa di questa Terra*. Ponderare ergo dignentur Eminentissimi Patres, num illorum favorem quoad locum contemplaverit. In hoc enim casu latius accipienda esset Oppidi designatio, *Text. In Leg. Cum quidam ff. de Liber. & Post.*

Inopportunus non est casus, ab hac Sacra Congregatione resolutus *die* 18. *Maii* 1765. *in Eugubina*. Nominatus fuerat Clericus Benedictus Brunetti, natus in Territorio Eugubii, ad alteram ex Capellaniis institutis sub lege = *che i Cappellani abbino a essere nativi di Gubbio*. Quæsitum igitur fuit primo: *An clericus Benedictus Brunetti potuerit legitime nominari, & institui ad Capellaniam, de qua agitur*. Et quatenus negative, secundo: *An sit consulendum Sanctissimo pro gratia sanationis*. Sa-

cra autem Congregatio ex juribus fortasse deductis in Folio diei 27. præcedentis Aprilis super comprehensione suburbiorum nomine Civitatis, primum præterlit Dubium, rescripsitque dumtaxat ad secundum = *Consulendum Sanctissimo pro sanatione ad cautelam*.

Dubium est.

An, & in quibus Ecclesiis celebrari valeant Missæ in casu &c.

Die

Die Sabbathi 29. Auguſti 1789. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

ALEXANDRINA CANONICATUS. *Seſſ. 24. cap. 17. de Reform.*

An, & quomodo ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione ad duo reſidentialia in caſu &c.

Negativè.

FIRMANA. *Seſſ. 22 Decret. de obſervan., & evitan. in celebrat. Miſſ., & Seſſ. 25. cap. 5. de Reform.*

An, & in quibus Eccleſiis celebrari valeant Miſſæ in caſu &c.

Affirmativè juxta votum Archiepiſcopi.

ALBANEN. Integram hujus Cauſæ ſpeciem habent Emi Patres ex Folio diei 4. elapſi Aprilis; reſolutionem ex altero diei 16. ſequentis Maii. Ad Dubium enim = *An, quo modo, & quibus diebus Canonici, & Archipresbyter Collegiatæ Eccleſiæ Ariciæ recitare teneantur Divinum Officium in Choro* = Aricinis dumtaxat Informantibus Canonicis, reſponſum fuit: *Affirmative in omnibus juxta votum Emi Epiſcopi*. Reſcriptum hoc neque Canonicis, neque Zelatoribus arridet; iis tanquam grave, his velut leve. Vel enim decernendum cenſent Zelatores quotidianum ſervitium Chori *ad formam Concilii Tridentini*, vel a diebus ſaltem feſtis ad Quadrageſimam, Adventum, & Octavas privilegiatas ampliandum. Quibus utrique nitantur rationibus, præſtat referre. *Seſſ. 21., & 22. utrobiq. cap. 3. & ſeſſ. 24. cap 12. de Reform*

Iterum Canonici, ad reſtringendum chorale ſervitium, Con-

stitutiones urgent Cardinalis a Cornea, seu de Perusia, & decretum Cardinalis Jo. Baptistæ Pallotta; iterumque in secundo insistunt Motu proprio, quo novam Alexander VII. erexit Collegiatam. Hæc porro est eorum argumentationis summa. Dum enim, inquiunt, Summus ille Pontifex Collegiatam instituit, *firmis remanentibus Statutis, & Ordinationibus, tam a dicto de Perusia, quam a Pallotta Cardinalibus*, jam simplicem diebus festis voluisse censetur assistentiam vespertinis Horis juxta Constitutiones de Perusia, integrique Officii recitationem in festis dumtaxat solemnioribus ad formam decreti Pallotta. Hisce autem Constitutionibus, & decretis, quæ ab Alexandrino Motu proprio Papales appellant Leges, consentaneam addunt duplicis sæculi observantiam; eorumque præsidio negligendam censent dispositionem *Sacri Concilii Tridentini, in Sessione* præsertim 24. *cap.* 12. *de Reform.*, quam de sola interpretantur residentia. Insignem denique quoad chorale servitium spernunt Collegiatæ qualitatem; ac duplex allegant exemplum Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ ad Martyres Urbis, & S. Jacobi Tolentini, in quibus idem præstatur, ac in Aricienſi Ecclesia, chorale servitium.

Hæc alia ex parte notant Zelatores. Adulterinas ex ore Emi Episcopi dicunt Constitutiones Cardinalis de Perusia; nam *in primis carent subscriptione, nec ullam habent confirmationem, nisi quod sunt in libro, sane vetustatem præseferente, concinnata. Duo præterea perpendenda sunt; unum quod in afferta Constitutionum data perfectus continetur anacronymus. Cardinalis enim a Carnea ab anno* 1580. *desiit esse Episcopus Albanensis, & successit eodem anno Cardinalis Jo. Franciscus Gambara, qui usque ad annum* 1583. *hanc occupavit Sedem. Alterum, concipi non potest, Constitutiones anno* 1581. *latas, per Capitulares anno* 1578. *approbatas*. Nullum vero erui posse jus ex decreto Pallotta, tanquam *provisionali*, ut ea pandunt verba = *mandavit, PRO NUNC convenire in Choro ad recitandum horis debitis totum Officium Divinum in diebus festis tantum primæ classis*. Momentanea enim providentia perpetuam non constituit Legem.

Nec mirum, inquiunt Zelatores, quod firmas voluerit Alexander VII. Constitutiones, & decretum; nam præter *modum, & formam celebrandi Divina Officia*, modum etiam præscribebant *congregandi Capitulum, & plura alia circa ipsius Collegiatæ Ecclesiæ gubernium, & servitium*, quorum respectu servari potuerunt. Ex ipso autem Alexan-

xandrino Motu proprio volitum arbitrantur quotidianum servitium Chori. Hanc sane Alexander VII. initio expressit voluntatem, ut *nova Ecclesia in Oppido Ariciæ perfecta, ornata, & absoluta, in ea Archipresbyter, & Capitulum tam conventuales, quam alias Missas IN DIES celebrent, & Divina Officia persolvant*. Nisi ergo, concludunt Zelatores, in uno eodemque Motu proprio instantanea admittatur correctio, in iis servatæ censeri debent Constitutiones de Perusia, & Pallotta, quæ recitationem non tangunt Officii *in dies*. Seduloque etiam notandum rogant, quod passim Alexander mentionem fecit de *quotidianis* distributionibus, quæ quotidianum supponunt servitium.

Conciliarem hinc vindicant dispositionem circa quotidianum hoc onus. Nunc primum enim, ajunt, Aricienses Canonici impugnant, quod litera *Sessionis* 24. *cap.* 12. *de Reform.* aperte pandit. Nedum sane de residentia, sed de chorali etiam loquitur servitio, dum in prohibenda ultra tres menses absentia, earum Ecclesiarum excipit Constitutiones, *quæ longius SERVITII tempus requirunt*; ac de distributionibus rursus agens quotidianis, hæc habet = *Distributiones vero, qui statis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant*. Et sane, *quid prodest præsentia in loco, ex quo Divinis non adsunt, propter quæ sunt beneficia constituta*? ut hisce verbis monet *Gloss. in cap. unic. de Cleric. non residen. in sexto*. Idque ex antiquo etiam Jure quoad Cathedrales, & Collegiatas insignes, qualis est Aricina, universi confirmant *Doctores*, qui hac de re scripserunt, ac præsertim *Fagnan. in lib. 3. Decretal. cap. licet, de præben. num.* 23., *& seqq.*, *Thomas. vet.. & nov. Eccles. disciplin. de benefic. part. 2. lib. 2. cap.* 86. *num.* 1., *Reinfest. in Jus Canon. lib. 3. tom. 4. de Cleric. non residen. §. 4. num.* 111., *Barbos. de Offic. & potest, Episc. part. 3. alleg.* 53. *num.* 131. *&* 133.. *Garz. de benefic. cap. 2. num.* 324. *& seq. Gonzal. in Decretal. lib. 3. tit. 4. cap. 6. num. 5. de Cleric. non residen.*, *Benedict. XIV. Instit. Eccles.* 107. §. 1. *num.* 7., & antiquioribus omissis resolutionibus, statuit Sacra hæc Congregatio *in Terracinen. & Setina Servitii Chori, & Missæ Conventualis* 14. *Septembris*, & 23. *Novembris* 1782.

Quatenus autem præcedens potius confirmare placeat rescriptum, enixe EE. Vestras exorant Zelatores, ut ei saltem

tem Adventum, Quadragesimam, & Octavas addant privilegiatas, juxta stylum Sacræ Congregationis, de quo *in Cathacen.* 5. *Septembris* 1699. *lib.* 49. *Decret. pag.* 311. *& seq.*, *in Castri Maris Servitii Chori* 30. *Julii* 1735., *& in Tarraconen.* 18. *Febr.* 1764. *confirmata die* 23. *Martii* 1765. Potissimum quia plogues Aricini Canonici habent præbendas, ut in novis eorum Scriptis non impugnant, novisque juribus probant Zelatores. Reliqua desumere dignentur Emi Patres *ex Folio diei* 4. *Aprilis*, suaque prudentia deliberare.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Iterum proponatur.

Sess. 25. *cap.* 11. *de Reform.*

TYBURTINA EMPHYTEUSIS. Heredes scripsit Flaminius de Romanis in usufructu Paulum, & Generosum Cicola ejus nepotes, integramque post eos deferri voluit hereditatem ad quatuor proximiores primum, deindeque Montis Cœlii originarias Puellas, aut Viduas cum onere cohabitandi in ejus domo, ac recitandi quotidie tertiam SS. Rosarii partem. Unus ex usufructuariis supersit Paulus, ac præ redituum forsan tenuitate, in pessum sub eo hereditaria iverunt bona. Hinc Claudia Martini tanquam puella Testatori proximior, EE. Vestras rogavit, ut ea in emphyteusim concedi liceret, sibique post obitum Pauli addiceretur canon sub obligatione admittendi ad illius participationem tres consanguineas Viduas. Sed ob demonstratam a Tyburtino Episcopo allarum proximiorum Puellarum, & Viduarum existentiam, rejecta fuit instantia die 9. Augusti elapsi anni 1788. per rescriptum *Lectum*.

Claudiæ monitus facto, ineundæ emphyteusis facultatem postulavit Paulus, eamque ex utilitate, & necessitate cumulatissime probavit Episcopus. *Utilitas*, inquit, *emicat in præstituta annui canonis pensione, quæ dum bonorum fructus per se adæquat uberrime, tempestatum varietati, & colonorum negligentiæ minime subjacet.* Necessitas ex deterrimo oritur bonorum statu; nam *inter bona rustica*

enu-

enumeratur vinea, quæ squalida luget, fructuque pene vacua, ac in dies desertior evadet, attentis possessoris circumstantiis, qui congruæ sationi pro viribus nequit incumbere. Extat inter urbana prædia domus undequaque conscissa, & ruinæ proxima, quibus reparandis cum impares prorsus sint Oratoris vires, expedit omnino, ut quam citius emphyteusis absolvatur. Despiciendam vero censuit contradictionem mulierum, quibus deferendum erit pli operis compendium; *quia irrationabilis dissensus evaderet, utpote, quæ inclinantes potius temporaneæ locationi, non video cur opportunior, utiliorque non sit dicenda emphyteusis, quæ ad bonorum melioratione:n vi sua tendit.*

His igitur de causis edictorum affixionem demandarunt EE. Vestræ die 20. sequentis Septembris *pro emphyteusi ad tertiam generationem masculinam tantum favore majoris, & melioris oblatoris cum onere restaurandæ domus, & vineam meliorandi propriis expensis*; tresque mense Decembri datæ fuerunt oblationes, una scutorum 32. 50. a Rocco Massucci, altera scutorum 35. a Jucundo Poggioli, & tertia scutorum 45. a Josepho Santarelli. Novissima hæc oblatio nedum ceteras in quantitate canonis, sed quoad conditiones etiam superavit; nam præter melioralionem domus, & vineæ, redemptionem pignorati prædioli, & Puellarum habitationem, onus Santarellius assumpsit construendi in hereditaria domo olivariam molam, totque obligandi loca Montium pro solutione canonis. Qua de re per rescriptum 20. Decembris deliberata ei fuit emphyteusis, *salvo jure vigesimæ, & sextæ.*

Maxima inter oblatores contentio fuit super vigesima. Ultra eam Poggiolus obtulit scuta tria, Santarellius 3. 50., Gaudentius Stazj 10. 50. absque obligatione construendi molam olivariam. Quasi res vero integra esset, tres alli de Statiorum gente canonem obtulerunt scutorum 54., nulla penitus assumpta obligatione; ac binæ per supplicem libellum adversatæ sunt Statiæ Puellæ, quominus ipsis inauditis, emphyteusis Santarellio concederetur. In secundis autem trasmittendis oblationibus, hæc de illarum contradictione habuit Episcopus. *Mulieres illæ*, ait, *si forsan sint ipsæ, in supplici libello contentæ, quem EE. VV. restituo, irrationabiliter dissentiunt in statuenda hac emphyteusi. Verum nedum utilem, prout talis judicatur etiam ab aliis duabus Mulieribus, quæ ad usufructuanda bona prædicta vocantur, sed immo necessariam puto emphyteusim. Certum namque est, quod non*

omnes

omnes quatuor Mulieres erunt inter ſe ita concordes in eorumdem bonorum adminiſtratione, ut quod cupit una vel altera, velint etiam aliæ duæ. Agitur enim de mulieribus nullo ſanguinis vinculo conjunctis, inter quas facile diſſenſiones orientur, etiam ex cauſa miſeriarum. Nil igitur veroſimilius, quam ut bona inter ipſas Mulieres dividantur, & diſſipentur, vel a tertio cum earumdem damno adminiſtrentur; quod certe non eveniet, ſi in emphyteuſim ad tertiam generationem concedantur, quia tunc quælibet ex illis ſuam canonis ratam percipiet; & ita ſemper legatum pium conſervabitur, quod alias tractu temporis certo certius evaneſcet.

Omnibus perpenſis, reſcripſerunt tandem Emi Patres die 7. Februarii currentis anni = *Pro facultate arbitrio, & conſcientiæ Epiſcopi favore Joſephi Santarelli pro ſcutis 50. & ob. 75. per Bullas, & aliis pactis in ſua prima oblatione expreſſis, dummodo melioramenta finita emphyteuſi favore Legatarii libere cedant, ſalvo jure ſextæ.* Agmine tamen facto, univerſi in Santarellium irruunt Statii, formiterque ſub infraſcripto Dubio de ſtipulatione contendunt inſtrumenti, quam ille ad formam urget reſcripti.

Ubi neceſſitas concurrit & utilitas, bonorum Eccleſiæ, aut pii Legati emphyteuſis permittitur *in Clement. 1. de reb. Eccleſ. non alienan.*, & *cap. ad aures, de reb. Eccleſ. alien. vel non*. Utramque impugnant Statii. Sub unius Teſtis fide in bono hereditariam domum ſuppununt ſtatu, everſamque aſſerunt vineam ex oſcitantia Pauli, ita ut ab eo potius, quam per emphyteuticum contractum in priſtinam reſtitui debeat conditionem. Hæc in ſumma ad excludendam emphyteuſis neceſſitatem opponunt, licet ſuis etiam oblationibus eam probaverint. Ex pluribus vero inficiantur utilitatem. Incommodam dicunt olivariam molam in hereditaria domo, eo quod recitationem SS. Roſarii Mulieribus turbaret, earumque habitationem reſtringeret; inutilem ob plures alias vicinas molas. Qua de re meliorem cenſet oblationem Gaudentii Strazi in ſcutis 55. 40. abſque obligatione eam conſtruendi, quam altera Santarelli in ſcutis 50. 75. ſub eo inutili pacto. Ad ſuadendam præterea hujuſce canonis tenuitatem, valorem augent bonorum ad ſcuta 1879. 32. $\frac{1}{2}$, tribus in id productis Peritis, qui domum in ſcutis æſtimant 900., prædia ruſtica in ſcutis 979. 32. $\frac{1}{2}$.

Plurimum contra Santarellius in judicio confidit. Epiſcopi, qui neceſſarium, & utilem affirmat emphyteuſim. De neceſſitate inſuper conſtare videtur ex Teſtibus a Paulo

Ci-

Cicola productis ; nam de pessimo deponunt bonorum omnium statu . Utilitatem Santarellius ex iis omnibus desumit , quæ favore pii operis despondit , ac potissimum ex canone , ultra præsentem bonorum fructum, legalemque taxam oblato . Præsens illorum reditus , secundum primam Episcopi informationem , scuta superat quadraginta ; valor juxta novissimam scutorum est 700. Secundum Peritos vero ipsius Santarellii , scuta attingunt 710. 37. rustica dumtaxat prædia . Si huic summæ ex Statiorum Peritia addatur æstimatio domus in scutis 900. integrum erit capitale scutorum 1610. 37. , quæ ad rationem scutorum duorum in singula centum , quanti in emphyteuticis contractibus æstimari solent piorum Locorum , & Operum bona , annuum darent canonem scutorum 32, 20.

Quæ autem pio operi utilior oblatio , Santarelli ne , an Gaudentii Strazi , EE. Vestræ decernent . Æque testimonio Episcopi idonei sunt . Eodem fere tempore vigesimam obtulerunt . Minorem alter offert canonem ; sed molam præ ceteris construere pollicetur olivariam , totque obligare Loca Montium pro solutione canonis . Duplici hac dempta obligatione , majorem alter spondet summam . De magna tamen molæ olivariæ utilitate deponunt Testes ob aliarum distantiam , itinerisque difficultatem . Adverti tamen posset , quod suam Statii vindicare decreverint oblationem post jus quæsitum Santarellio ; post lapsum scilicet bimestre sextariis præfinitum . Postremum enim EE. Vestrarum rescriptum fuit diei 7. Februarii, Statiorum vero *nihil transeat* appositum est die 20. Aprilis .

Deliberandum itaque :

An sit locus stipulationi instrumenti emphyteusis in casu &c.

Affirmativè favore Santarellii , salvo jure sextæ .

ASCULANA . Qui suburbanam , filialemque regebat Ecclesiam S. Mariæ *de Monte* de jure patronatus Communitatis Montis Galli , Sacrum in ea diebus festis, terque in singulas hebdomadas profestis celebrare tenebatur; eique vicissim Communitas ex Statuto anni 1572. habitationis domum præstabat in Oppido , unumque quolibet bimestri florenum pro mauutentione lampadis ad Alta- *Sess. 23. cap. 1. de Reform.*

re SS. Sacramenti. Ea, ut fertur, eversa Ecclesia, translatum fuit juspatronatus ad alteram S. Bernanardini, seu B. Mariæ *de Platea* in loco nuncupato *il Balzo*, cujus Rector Canonicus Aloysius Ridolfi annuum habet reditum scutorum circiter 60., pretiumque olei, & cereæ a Communitate in scutis 12. Duo adversus eum reluctantem ab EE. Vestris postulavit Communitas, ut Missam nempe diebus festis, aliisque tribus in hebdomadas profestis applicare, & præteritas omissiones supplere cogeretur,

Nullum Asculani Episcopi testimonio, sive de fundatione beneficii S. Bernardini, sive de Missarum reductione monumentum. Refert tamen, quod ex *fide exarata de anno 1708. per Joannem Brunori Priorem de illo tempore Communitatis Montis Galli, Franciscum Ventura de eodem loco, & ex Pastoralibus Visitationibus dein factis reductionem Missarum ad solos dies festos desumi posse videtur; cum tam in illa, quam in his enuncietur onus celebrationis Missarum diebus tantum festivis.* Quoad applicationem vero hæc habet: *Si intueatur rubrica quarta Statuti anni 1572., applicationis onus evinci posse videtur. Nam in illa demandatur Rectori celebratio trium Missarum in qualibet hebdomada, & singulis diebus festivis, quæ simplex celebrationis Missarum indicatio sat est pro desumenda Sacrificii applicatione, nisi apertissime ostendatur, Missarum celebrationem unice requiri, & Rectoris arbitrio remitti, ut fructum Sacrificii, cui libuerit, attribuat. Quod magis in casu locum habere videtur, quia ante præsumptam reductionem fiebat a Rectoribus beneficii applicatio, ut ex juratis depositionibus duorum Sacerdotum, qui capellani munus exercuerunt. Quod si mens convertatur ad enunciativam Visitationis peractæ de anno 1729., & ad inventarium in hac Curia exhibitum sequenti anno 1730. a Carolo Felicelli Rectore, applicationis onus excluſum iri videtur, ob rationem quod tam in hoc, quam in illa expresse enunciatur, inesse onus beneficio celebrationis omnibus diebus festis absque applicatione.*

Primum ex tribus infrascriptis Dubiis applicationem respicit Missæ diebus festis. Ad hanc excludendum, ignotam urget Rector fundationem beneficii; nam simplex celebrationis onus applicationem in antiquis excludit, teste *Ferrar. in Biblioth. verb. Missæ art. 3, num. 14.* Distincta sane est obligatio celebrandi, de qua loquitur Statutum, ab altera applicandi; & una potuit sine altera ad meram Populi commoditatem induci, *Rot. cor.*

Oli-

Olivat. decis. 487. *num.* 8., *& seq.*, *& Sac. hæc Congregatio in Mediolanen. Applicationis Missarum* 11. *Maii* 1748. Eoque minus ad applicationem teneri contendit, quia expresse in Visitatione anni 1729., & inventario sequentis anni exclusa fuit; & quia statutaria non percipit emolumenta. Vix enim, ut asserit, annua a Communitate consequitur scuta novem; habitatione caret.

Veriorem dicit Communitas, magisque receptam sententiam, quod applicationem etiam voluisse censeatur, qui Missarum celebrationem præstito emolumento demandavit. Ita *Fagnan. in cap.* 11. *num.* 44. *de Præben. Pignatell. consult.* 139. *num.* 12., *&* 16. *tom.* 1., pluribusque allegatis Sacræ Congregationis resolutionibus, *Benedict. XIV. de Sacr. Miss. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 2.. Rectoris autem stipendium, veluti ab ipsa, & Populo proficiscens, in annuis probat scutis circiter 72., quorum 60. ex fructibus beneficii, 12. ex sua præstatione. Remque confirmat ex observantia; nam quatuor de applicatione testantur decessorum Rectorum Capellani; eamque ad annum 1770. notatam vidisse affirmat in codice Missarum Ecclesiæ Vicarius Foraneus, licet ex attestatione hodierni Capellani, Sacristæ, & publici Notarii, nedum in codice, sed in antiqua etiam tabella vitiata appareat adnotatio. Neque obesse ait enunciativas Visitationis anni 1729., & posterioris inventarii de obligatione celebrandi absque applicatione. Altera enim emissa fuit inaudita Communitate, & confirmata non apparet in sequentibus Visitationibus annorum 1753., & 1757., auctorem habet altera Rectorem beneficii, qui inventarium confecit.

A resolutione primi Dubii resolutio pendet secundi. Si immunis enim judicabitur Rector a futura applicatione, nec ejus vitio verti poterit præterita illius omissio. Si aliter Emi Patres de illa decernent, de bona quærendum erit, vel mala fide, qua ab anno 1770. omissa fuit applicatio. Ex bona fide similem EE. Vestræ remiserunt omissionem *in Melevitana Confirmationis Statuti* 20. *Decembris elapsi anni* 1788., ex mala Capellanum ad eam supplendam damnarunt *in Bononien. Reductionis Servitii Chori* 24. *Novembris* 1787. *ad II. Dubium*. Qua autem fide applicationem omiserit Ridolphius, ex iis conjici potest, quæ notata sunt ad primum Dubium.

Pauca de tertio Dubio Rector, de statutaria scilicet trium Missarum celebratione diebus profestis. Iterum enim hic de imminuta queritur Communitatis præstatione, ite-

rumque ademptam urget habitationem, quasi idcirco defecerit correspectiva ejus obligatio. Præsumpta etiam addi posset hujusce celebrationis reductio, tum ex antiquis Testium depositionibus anni 1708., cum ex Pastoralibus Visitationibus annorum 1729. 1753., & 1757., in quibus mentio fit de una Missa diebus festis.

Ad observantiam contra restituere nititur municipalem legem Communitas, ne pii habitatores loci *del Balzo*, in aliquibus etiam profestis diebus spirituali careant Missarum fructu. Maxime quia grave Capellano non esset statutarium onus, dum quotidie fere in Ecclesia S. Bernardini sponte sua celebrat.

Dubia sunt.

I. *An Rector Ecclesiæ S. Bernardini Oppidi Montis Galli teneatur quolibet die festo in d. Ecclesia celebrare, & applicare Missam pro Populo in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An, & quomodo sit providendum pro Missis non applicatis in casu &c.*

III. *An idem Rector teneatur in eadem Ecclesia S. Bernardini ter in hebdomada cujuslibet mensis diebus feriatis Sacrum facere pro Populi commoditate in casu &c.*

Ad I. Affirmativè in omnibus, & amplius.

Ad II. Consulendum Sanctissimo juxta mentem.

Ad III. Negativè.

Sess. 22. cap. 11. de Reform.

FULGINATEN. Tria olim Xenodochium Pietatis Fulginei in emphyteusim ad tertiam masculinam, & fœmininam generationem concessit prædiola; *alterum* an. 1622. pro annuo canone obolorum 26 & quadrantium 2., ac laudemio scutorum octo; *alterum* anno 1626. pro canone obolorum 31. 2., & laudemio scutorum 12. 80., ac *tertium* anno 1703. pro canone obolor. 16., & laudemio scutorum 4. 62. 2. In qualibet autem concessione additum est pactum, quod *tertia generatione finita, dicta res concessa cum omni ejus melioramento revertatur ad d. Hospitale pleno jure*; aliudque caducitatis, si utile dominium venderent, vel canonem emphyteutæ triennio non solverent. Prædiola hæc, in unum tandem corpus coacta, deliberata fuerunt anno 1779. sub hasta. Qui ea subhastari fecit, levare tenetur emptorem a canone; obtulitque Xenodochio pro illorum affrancatione scuta quindecim in singula centum, juxta consuetudinem loci. Oblatio-

tionem accepit Prior Xenodochii, rogavitque EE. Vestras pro licentia ineundi contractum, similesque in futurum concedendi affrancationes, si ab aliis emphyteutis peti contigerit.

Iterum ei atque iterum Fulginatensi favit Episcopus. Rem in prima informatione esse dixit *non de vero dominio, sed de mera, ut ajunt, appodiatione*; ac duplicem in nostro themate solvendam taxam, alteram scutorum 15. in singula centum pro affrancatione, alteram scutorum 10. pro laudemio ob lineam finitam. Prima ejus judicio, *nullo unquam moderatur arbitrio*, eo quod *peculiari decreto istius Sacræ Congregationis sancitum est, taxam hanc minui non posse*. Quoad secundam vero *locus datur æquitati, atque arbitrio*; idque suo confirmavit exemplo in hæc verba: *Ego sane, cujus mensa infinitis prope pollet appodiationibus, quo rigidior sum, dum de francando agitur, eo dum de investiendo indulgentior. Nec teruncium remitto, dum francationi locus datur; dum vero investituræ, & remitto, & juxta pauperiorem Hominum qualitatem largius remitto; & quandoque ultra medietatem indulgeo. Quod igitur in me probo, non audeo in aliis improbare.*

Ulterioribus deinde obtemperans mandatis, hæc in secunda habet informatione. Ex tenui canonum quantitate, appodiata potius, quam emphyteutica censet bona; memoratque tranlactionem initam *inter clar. mem. Cardinalem de Araceli, jam Fulginatium Antistitem, & hanc Communitatem ab anno usque* 1563., *in qua declaratur, bona mensilia illa reputari, esseque tantum debere, quæ canonis solutioni ultra julios quinque sunt obnoxia. Ad tramites itaque memoratæ concordiæ non solum hæc mea episcopalis mensa, sed & hæc Capitula Cathedralis, & Collegiatæ SS. Salvatoris, quæ facultates a Sacro ipso Consessu pro bonorum appodiatorum affrancatione reportaverunt, sumpserunt regulam ad distinguendum bona appodiata ab illis de directo dominio.* Periti judicio valorem statuit prædiorum in scutis 110., pretiumque affrancationis in scutis 16. 50. ad taxam scutorum 15. pro quolibet centenario.

De necessitate quærendum, atque utilitate alienationis directi dominii, de quo agitur, ex *Clem. l. de reb. Eccles. non alienan.*, *Fagnan. in lib.* 3. *decretal. cap. nulli, eod. tit. num.* 8. & 27. Nulla ex parte Xenodochii assignatur alienandi causa. Quo ad eum vero, qui prædia subhasta-

ri

ri fecit; Vestrum erit decernere, num illa redimere cogatur a canone, ut libera tradat emptori. Hæc in jure sit distinctio: aut ignoravit venditor bonorum onus, ejusque nomine non tenetur, *Leg.* 1. §. 1., *Leg. Quæro* 39., *& Leg. in venditione* 41. *ff. de act. empt.*, aut scivit, & id tantum præstare debet, quanto emptor minoris empturus fuisset, ut *in cit. LL. quæro*, *& in venditione*, *& in Leg. quoties* 61. *ff. de ædil. edict.*, quas exornat *Donell. comment. de jur. civil. lib.* 13. *cap.* 1. *tom.* 3. *pag.* 97. *sub §. XVII.*

In expendenda autem utilitate, advertere dignentur Emi Patres, jam Episcopi testimonio prædiorum emphyteusim expirasse *ob lineam finitam*; suaque prudentia deliberent, num ex simplici venditione canonis in lucro esset Xenodochium, quod prædia ipsa vendere posset. Integer de cetero trium prædiorum canon obolorum est 74., qui ad rationem scutorum 2. in singula 100. dant capitale scutorum 37. 50., & summam laudemia constituunt scutorum 25. 42. 2. Totum contra affrancationis compendium in scutis statuit Episcopus 16. 50. Hujusce tenuis pretii rationem desumit ex natura appodiationis, & assueta taxa scutorum 15. in singula centum pro bonis appodiatis. Ponderandum tamen, an pactum reversivum *tertia generatione finita*, & caducitatis pœna in casu allenationis, & non solutionis canonis, conveniant potius emphyteusi, de qua loquuntur concessionum instrumenta, quam appodiationi. Affirmant *Palm. nep. decis.* 89. *num.* 13., *& Rot. in Æsina Emphyteusis* 13. *Martii* 1722. *num.* 12. *coram Herrera*. Quatenus igitur indulgere velint EE. Vestræ petitioni Oratoris quoad affrancationem dd. prædiorum in genere, advertere dignentur in specie, æstimari posse directum illorum dominium in dimidia parte valoris fundi, juxta sententiam *Rosent. de feud. cap.* 11. *concl.* 12. *num.* 3. *gloss. C.* Valor est scutorum 110. juxta Peritum ab Episcopo deputatum; scutorum 120. juxta novissimum Catastrum. Utrum autem concedenda sit indefinita etiam facultas affrancandi alia emphyteutica prædia, quorum qualitates ignorantur, a Vestro pendet judicio.

Quæritur ergo:

An, quomodo, & pro quibus prædiis sit concedenda facultas affrancandi in casu &c.

Negativè in omnibus,

PE-

PERUSINA. Codicillis instituit anno 1779. Sacerdos Joannes Massi in Ecclesia S. Philippi Nerii Perusiæ = *una Cappella, che sia semplice officiatura meramente laicale, e non soggetta alle regole della Cancellaria* =, cum hebdomadali quatuor Missarum onere, per alios etiam implendo. Eam tamen erigi fecit Heres in titulum, ac primus omnium obtinuit Sacerdos Jacobus Purinotti, a Testatore designatus. Hoc nuper defuncto, Capellaniam per Literas Apostolicas impetravit Clericus Fabius Danzetta de genere patronorum, quæsitque ab EE. Vestris, utrum illius cauta Divinum recitare teneretur Officium, Vestræ Perusinus Episcopus relinquit auctoritati decernere, = *num ex codicillo eruatur intentio Cappellaniæ ecclesiasticæ fundandæ, aut saltem per enunciatum decretum* (erectionis) *cum heredis consensu immutari potuerit mens Testatoris, vel tandem ultimus status attendi mercatur, neutiquam spatio quadraginta annorum præscriptus, ut Orator idem in precibus gratioso frui valeat illo rescripto.* Onus recitandi Divinum Officium residentialibus inest, aliisque ecclesiasticis Beneficiis, per *Text. in cap. dolentes* 9. *de celebrat. Miss.*, & *cap. quia* 15. *de rescript. in sexto*. Videndum ergo, num Capellania, de qua agitur, laicalis sit, vel ecclesiastica. In codicillaribus tabulis declaratur = *meramente laicale*. = Ex decreto ejus erectionis in titulum est ecclesiastica. ad tradita per *Rigant. ad regul. Cancell. tom.* 2. *pag.* 21. *num.* 3., *Piton. de controv. patron. allegat.* 49. *num.* 27., *Amost. de caus. piis lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 7. Et ad hanc confirmandam qualitatem ecclesiasticam accedunt primi Capellani institutio, & Apostolicæ collationis Literæ, per quas Orator capellaniam obtinuit. Huc vero restringi posset quæstio; an laicalis Capellaniæ status a Fudatore constitutus immutari ab Episcopo potuerit de consensu Heredis in ecclesiasticum. Erectionis enim consectaria sunt primi Capellani institutio, & Apostolica secundi provisio. Negant *Garz. de benefic. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 105., *Piton. de controv. patron. alleg.* 34. *num.* 23., & *Sac. Congregatio in Ætina Capellaniæ* 22. *Aprilis* 1719. *ad* 1. *Dub.*, nisi quadragenaria accesserit præscriptio, *Barbos. in jus eccles. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 12., *Piton. de contr. patron. elleg.* 35. *num.* 5. Immutatio siquidem status beneficii commutationem sapit voluntatis, Summo Pontifici reservatam. Notandum vero, quod Orator ipse ab Ecclesiastica Potestate capellaniam impetravit. *Sess* 24. *cap.* 12. *de Reform.*

De-

Deliberare igitur dignentur Emi Patres:

An Capellania Massi sit ecclesiastica, ita ut recitare teneatur Capellanus Divinum Officium in casu &c.

Negative in omnibus.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

BUGELLEN. TRANSLATIONIS ONERUM, Petrus Antonius, aliique Fratres Perucca erexerunt anno 1744. prioratus titulo beneficium simplex ad gentilitium Altare B. M. Virginis Conceptionis in Ecclesia S. Joannis Baptistæ Villæ Ceresiti ex Oppido Donato; & hæc Beneficiato imposuerunt onera. I. Quotidianum a primo sole, si extraneus esset, commodiori hora, si ex genere vocatorum, per se, vel alium celebrare teneretur Sacrum; duodecim uni, quinquaginta in singulos annos alteri ad liberam applicationem permissis Missis. II. Novendialia Deiparæ Immaculatæ. III. Missam cum cantu in ejus festo. IV. Similem Missam cum vesperis in singulis aliis festis B. M. Virginis de præcepto. V. Missam pariter cum cantu pro defunctis familiæ Perucca secunda commemorationis defunctorum die. Ac VI. tandem omnia suo sumptu comparare deberet utensilia. Plura huic beneficio assignarunt bona; sed quæ anno 1767. ex reservata facultate subrogarunt, annuas, realibus deductis oneribus, Pedemontanas reddunt liras 400., seu scuta Romana circiter 75.

Ecclesia S. Joannis Baptistæ in parochialem erecta, graves ei, & Parocho favore Beneficiati per sententiam impositæ fuerunt servitutes in hæc verba: *Ad hoc ut deinceps, & quocumque tempore dissensionum, & controversiarum argumenta auferantur, quæ præcipue exoriri possent inter Parochum, & titularem Priorem &c. declararunt Fratres Perucca, sub auspiciis tamen auctoritatis, & approbationis nostræ, quod Parochus pro tempore nunquam impedire, ac prohibere queat Titulari retentionem penes se unius clavis de eadem Ecclesia S. Jo. Baptistæ, & alterius de Sacristia &c. quod Titularis possit pariter absque ulla contradictione Parochi sonum campanarum ordinare pro ejus Missa celebranda, ceterisque functionibus peragendis &c., eidem semper licebit functiones easdem semper peragere independenter, & absque facultate petenda a Parocho; immo quod tempore earumdem functionum idem Parochus nan poterit Beneficiatum disturbare alias peragendo functiones, & non poterit prohibere præfato Beneficiato conservationem*

Augu-

Augustissimi Sacramenti, etiam in Tabernaculo ejus Altaris, ac in Ostensorio cunctis illis diebus, in quibus benedictionem SS. Sacramenti impertiri debebit; ubi vero per quemlibet eventum Titularis commodum non haberet, Parochus nunquam possit impedire eidem Titulari, seu cuicumque nomine ejusdem expedierit, translationem SS. Sacramenti de Altari Paræciæ ad illud B. M. Virginis Immaculatæ.

Hodiernus beneficii possessor est Sacerdos Petrus Joseph Perucca de genere patronorum. Ab Oppido abest Donaro, nec onera per se ipsum adimplere potest. Unus Cerestiti est Parochus, nec aliunde sine gravi sumptu accersiri valent Sacerdotes, qui Missas ibi, & functiones celebrent. In prærupto enim Villa existit loco. His igitur de causis *SSmo* supplicavit Thomas Perucca Beneficiati pater, pro perpetua Missarum translatione ad aliam commodiorem Ecclesiam, & absolutione a reliquis oneribus. Re ad Sac. hanc Congregationem delegata, Bugellensis refert Archiepiscopus, quod si aliquid ex reditu scutorum 75. cedere debet in commodum Beneficiati, *non può far fronte ad adempiere nel luogo per mezzo di Sacerdote surrogato gli oneri ingionti; essendo verissimo, che quell' alpestre, e sciagurato Cantone ne ha, ne avrà mai Sacerdote locale, atteso la povertà degli Abitanti. La stessa Villa di Donato, di cui Cerestito è appendice, trovasi astretta a prender Cappellano forastiere, e quella di Netro altro luogo confinante, ne scarseggia, ed è sì notabile la distanza, e malagevole la strada, che la cessione intiera de redditi appena basterebbe a contentarlo.*

Hinc ex duplici ratione annui posse censet petitioni Oratoris, ex quo scilicet Ecclesia S. Joannis Baptistæ erecta est in Parochiam, propriumque Beneficiati loco habet Parochum; & quia ob designatam migrationem Familiæ Perucca de Cerestito, impulsiva deficit causa onerum, *che per loro comodo, e per altri fini avevano immaginati i loro Antenati.* Hunc vero proponit modum: *I pesi descritti nel memoriale sotto i numeri 2. 3. 4. tanto manca, a mio giudizio, che siavi ragione di contrastarne la condonazione, che resta desiderabile, che si abolischino una volta, e ricuperi il Parroco quella libertà, che mai nella propria Chiesa avrebbe dovuto vedersi così ristretta. La Messa di requiem posta al num. 5. può più convenientemente celebrarsi dal Parroco medesimo, mediante la limosina concordanda, e questo ripiego similmente si potrebbe estendere ai numeri sopradescritti, qualora non si stimi intieramente assolvere il Beneficiato. La difficoltà*

adunque si riduce al primo articolo della Messa quotidiana colla modificazione tra il Beneficiato di famiglia, e l'estero; e quantunque la clausola ivi apposta ai secondi di dover celebruare al levar del Sole sembri contemplazione indicare del comodo del Popolo, pure riflettendo, che fu apposta in tempo, che v' era Oratorio senza Prete, e che in oggi vi è Parroco, può lasciar luogo a qualchè grazia Pontificia. Ciò di cui posso assicurare, si è, che tanto il Parroco, quanto il Popolo nulla tanto desiderano, quanto che S. Santità dia retta al memoriale, e ben volentieri cedono ad ogni comodo, purche veggano la loro Chiesa libera una volta dalla servitù, a cui soggiace.

Et ita demum concludit: *Le anzidette servitù, e soggezioni fecero a me tanta impressione, avvalorata ancora dalla esperienza delle dissensioni, e zizanie, che produssero tra il Parroco, ed il Beneficiato, come ancora tra il Povolo, e la famiglia del Patrono, che concorrendovi il voto si del Parroco, come del Popolo, non esito punto a trovar spediente di accordare quanto si domanda nella supplica, a patto di rinunciare i sudetti privilegj, che reputo cosi gravosi, che poco mancò non fiasi intavolata lite formale per ridurli a termine di ragione.*

Ibi profecto celebranda sunt Divina Officia, ubi Fundatores mandarunt, *Pasqualig. de Sacrific. nov. Leg. quæstion.* 1139. Potissimum si in designata Ecclesia tumulata sint eorum cadavera, vel contemplata fuerit commoditas Populi, *Ricc. in prax. part.* 4. *resol.* 69., *Pax Jordan. tom.* 1. *var. resol. leg.* 4. *tract.* 1. *de Sacr. Miss. numer.* 540., & *Sac. Congregatio in Comen.* 15. *Septembris* 1764., *in Lucana* 28. *Julii* 1781., & *in Firmana* 3. *Augusti* 1782.. De tumulatione Fundatorum in Ecclesia S. Joannis Baptistæ non constat. Contemplata tamen apparet in fundatione quoad quotidianam Missam commoditas Populi, qui tanto magis ea indigere videtur, quia præter Parochum = *quell' alpestre, e sciagurato Cantone nè ha, nè avrà mai Sacerdote locale.*

Jam altera ex parte, Eminentissimi Patres, ex ore Archiepiscopi audistis, translationis causas, modumque. Præ ceteris vero consensum advertant Parochi, & Populi, quibus adimplementum onerum in Ecclesia Cerestiti interesset, periculumque contentionum, & litium ex juribus Beneficiati in eadem Ecclesia. In similibus fere terminis translatum fuit Missarum onus *in Urbinaten. Translationis Missarum* 15. *Decembris* 1787.. Quatenus vero indulgere velint EE. Vestræ petitioni Oratoris, quoad translationem in genere, deliberandum erit de

modo

modo ; ad quam scilicet Ecclesiam fieri debeat translatio, & num translata Missa quotidiana , alia juxta illius preces supprimi debeant onera , seu potius , ad servandam, meliori quo potest modo , Fundatorum voluntatem, per Parochum impleri .

Respondere igitur dignentur .

An , & quomodo sit locus translationi onerum in casu &c.

Non proposita cum sequenti .

RIPANA ADMINISTRATIONIS . Dum Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S.Nicolai Montis Prandonis eligendi erant Sacerdotem Felicem Novelli in ministrum Capituli , tres adversus hujusmodi electionem protestari fuerunt Capitulares , eo quod non conveniret vile ministerium Sacerdoti , neque ullam Novellius exhiberet cautionem ; nilque in id attentandum dixerunt = *nisi auditamente Sacræ Congregationis Concilii* . Hac tamen non obstante protestatione , expleta fuit electio ; unoque contextu Sacram adierunt Congregationem Michael Angelus Tanursi Præpositus Collegiatæ , ut electionem sustineret , ac tres dissentientes Capitulares Cerroni , Micheleſi , & Aloysi , ut ea circumscripta , laicum eligerent ministrum . Singulis per epistolas auditis Canonicis , hæc Ripanus retulit Episcopus . *Sess. 22. cap. 9. de Reform.*

Nilper me est dicendum , nisi quod Sacerdos Novelli , in illius Capituli ministrum electus , vir est integerrimus ; & ob id , qui eum minus rectum cupiebant ostendere , nullum peculiarem in ipso inspicientes defectum , futilibus innixi exceptionibus cavillationibusque , non integræ fidei esse dixerunt : quod ad demonstrandum peculiaris requiritur nec obscura probatio . Electionem Sacerdotis Novelli minus firmam posset reddere deficientia fidejussoris , quem ab ipso requirunt ; verum mea est sententia , quod petitio hujusmodi inutilis omnino sit ; tum quia ab ipsis Capituli exordiis usque adhuc nullus minister hanc præstitit fidejussionem ; tum quia Novellius ære proprio non caret ; tum postremo quia minister fructus nequaquam apud se retinet , sed omnes ad Canonicum camerarium deferre tenetur , & ob hanc rationem ipsos dissipare non potest . Hæc omnia ex infenso animo trium ex illis Capitularibus originem ducunt , qui in Capituli dedecus ad hoc munus eligendum curabant quemdam Palmaroli , vilem atque plebejum hominem , utpote qui diu birruarii officium exercuit , præsertim Firmi .

Nulla præ omnibus videri posset Novelii electio ob spretam protestationem de audiendo Sacræ Congregationis

oraculo. Quodammodo enim læsa censetur ipsius Congregationis majestas; ut in proximis terminis dixit *Card. de Luc. de jurisdict. disc.* 31. *num.*10. Animadversionem contra merentur neglectæ protestationis causæ; ne unius scilicet, vel alterius contradictione facilis induceretur modus impediendi capituleres resolutiones; ac ne diutius cum gravi detrimento privaretur Capitulum ministro. Emissa de cetero fuit protestatio post inchoata comitia, & ita fuit rejecta, ut consuleretur *in posterum de electione Illmo, & Rmo Episcopo*. Ponderandum itaque, num prodesse valeat electoribus regula, *qui continuat, non attentat*, de qua *Scacc. de appellat. quæst.*3. *num.*70., *Polit. de nov. oper. nunciat. quæst.* 27. *num.*19. *tom.*5.

Interdictum quidem est laicum ministerium Sacerdoti tum a jure canonico *in cap. Sacerdotibus, ne cleric. vel monac. secular. negoc. se immisc.*, cum *ex Const. Bened. XIV.*, Apostolicæ servitutis, 25. *Februarii* 1741., & altera *Clementis XIII.*; Cum primum, 17. *Septembris* 1759., quibus Capitulares dissentientes synodalia quædam addunt decreta. Regula tamen hæc limitatur *in Clericis cultoribus suorum agrorum, seu conductoribus*, (multoque magis administratoribus) *agrorum Ecclesiasticorum*, ut inquit *Panimoll. decis.* 71. *num.*27., *& ex Constit. Clementis VIII.*, Inter multiplices, 4. *Decembris* 1600. probant *Redoan. de spol. eccles. quæst* 2. *num.*14., & 42., *Lopez ad Diaz. In pract. crim. canon. in addit. verb. negotiatores lit. A.* Num ministerium, de quo agitur, in rustica consistat opera, ut asserunt dissentientes, seu in simplici potius rusticarum rerum administratione, ut sustinet Præpositus, non constat. Verumtamen judicio Episcopi compatibile est cum sacerdotali Novellii dignitate.

Secunda dissentientium exceptio de non præstita per Novellium fidejussione, dispositioni nititur juris; nam quilibet administrator, isque potissimum, qui negotia gerit Ecclesiæ, satisdare debet, *Piton. discept. eccles.* 145. *n.*28., *& Sac. Congregatio in Viterbien. Dotium* 11. *Apr.* 1761. *ad VIII. & IX. Dub.*, *& in Asculana* 12. *Julii* 1788. *ad VIII. Dubium*. Ponderanda tamen, quæ in nostro themate observat Episcopus, ut ab hac regula recedatur. Inducta sane est fidejussio, ne quid dolo aut culpa administratoris, detrimenti capiat dominus, vel Ecclesia. Novellius vero = *ære proprio non caret; & fructus nequaquam apud se retinet, sed omnes ad Canonicum camerarium deferre tenetur; & ob hanc rationem ipsos dissipare non potest.*

Respondere igitur digneutur Emi Patres.

An sustineatur electio Sacerdotis Novelli in ministrum Capituli Montis Prandonis in casu &c. Die

Die Sabbathi 19. *Septembris* 1789. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

BUGELLEN. TRANSLATIONIS ONERUM. *Seſſ.* 22. *cap.* 6. *de Refor.*

An, & quomodo ſit locus translationi onerum in caſu &c.

Affirmativè quoad Miſſam quotidianam tantum ad Eccleſiam ab Epiſcopo deſignandam, adimpletis aliis oneribus in Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ, juxta votum ejuſdem Epiſcopi.

RIPANA ADMINISTRATIONIS. *Seſſ.* 22. *cap.* 9. *de Reform.*

An ſuſtineatur electio Sacerdotis Novelli in miniſtrum Capituli Montis Prandonis in caſu &c.

Affirmativè.

FIRMANA SEPARATIONIS THORI. Actum de hac Cauſa fuit in Folio diei 16. elapſi Maii, deindeque ad Dubium: *An ſit locus ſeparationi Thori*; reſponderunt EE. Veſtræ in ſequenti Congregatione diei 13. Junii: *Negative*. De viribus hujuſce reſcripti contendunt modo Conjuges Joſeph Foglietti, & Franciſca Moſcheni, alter ut in conjugali maneat conſortio, altera ut a thoro ſeparari liceat. Benigne igitur perpendere dignentur Emi Patres, quæ in novis deducturi erunt Scriptis, ac de jure reſpondere: *Seſſ.* 24. *cap.* 8. *de Reform. Matrim.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

Seff. 23. cap. 9. de Reform.

VITERBIEN. REDUCTIONIS, ET SUSPENSIONIS ONERUM. Pluries de fatiſcentibus reparandis ædibus hereditatis *Malacroſta* actum eſt, ac in Folio præſertim 14. elapſi Martii. Propoſito tamen Dubio: *An, & quomodo ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis ſub die* 8. *Maii* 1784., *&* 16. *Decembris* 1786. *quoad primam Dubii partem*; reſcripſerunt Emi Patres: *Dilata, & ſcribatur Emo Epiſcopo pro ſolicita affixione edictorum ſuper venditione domorum, de quibus agitur; & tranſmittantur intra duos menſes oblationes ad Sac Congregationem*. Edictis igitur affixis, duæ omnino prodierunt oblationes, de quibus votum ſuum non aperit Emus Epiſcopus. In pretium diverſorii curſalium equorum ſcuta offerunt 2000. Onuphrius, & Anna Ventura, inveriſimilem ex cæmentorum, & penſionum calculo demonſtrantes illius æſtimationem in ſcutis 3000., *quanta ſi dice eſſer ſtata del ſtabile ſudetto*. In le autem pro rata ſcutorum 800. aſſument cenſum, quo diverſorium gravatur; ac pro reliquis ſcutis 1200. alterum ſuper illo favore PP. Doctrinariorum Imponent cenſum ad rationem ſcutorum quatuor cum dimidio in ſingula centum, cum obligatione reparandi pro ejus ſecuritate ædificium.

Scuta offert 1000. Nicolaus Mazzaroni pro domo poſita *nella prima ſtrada* e conſpectu Eccleſiæ S. Mariæ, paremque pro integra ſumma ſub eadem obligatione imponet cenſum ad rationem ſcutorum quinque. Nulli quoad binas alias domunculas *all'archetto*, *& alla calata della ſtella* ſunt oblatores. Juxta ſtatum activum ab Emo Epiſcopo tranſmiſſum menſe Septembris elapſi anni 1788., diverſorii æſtimatio erat ſcutorum 1442. 37.; reditus ſcutorum 80.; æſtimatio vero domus e conſpectu Eccleſiæ S. Mariæ ſcuta attingebat 923. 60. $\frac{1}{2}$, reditus ſcuta 59. 40.

Iterum ergo ab EE. Veſtris quæritur.

An, & quomodo ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis ſub die 8. *Maii* 1784., *&* 16. *Decembris* 1786. *quoad primam Dubii partem in caſu &c.*

Dilata, & ſcribatur Emo Epiſcopo juxta mentem: nec non ad Emum Præfectum pro deputatione Architetti ad effectum referendi ſuper contentis in peritia Architecti Guaſco, & mens eſt, quod mandet affigi nova Edicta cum præfixione unius mentis ad exhibendas oblationes, quo elapſo tranſmittat eaſdem ad Sacram Congregationem, & referat ſuper idoneitate oblatorum Ventura, Mazzaroni, & aliorum ſupervenientium.

ARI-

ARIMINEN. REPARATIONIS ECCLESIÆ CATHEDRALIS. Ita Cathedralis Ecclesia Arimini ex terremotu anni 1786. consciſſa est, ut fulcimentis consistat. *Sanctissimo* igitur ad eam reparandam, aliaque sarcienda Capituli ædificia supplicarunt Canonici pro facultate creandi censum scutorum 5270., & applicatione redituum Societatis Crucesignatorum, & Hospitalium S. Archangeli, & Montisfloris Civitatis in solutionem fructuum, sortisque dimissionem. Qui supplicis libelli auctor, quæ autographi variatio, Defensores exponent Capituli. Censum *Sanctissimus* neque probavit, neque improbavit. Applicationem ex Locis piis, quæ in eodem versabantur infortunio, concedere noluit. Iterum cum Ariminensi Episcopo Pontificium adierunt solium, & ad alios saltem octodecim annos prorogationem petierunt gratiæ, quam pro aliis operibus obtinuerant, applicationis nempe redundantium redituum Hospitalis Catholicæ, & hereditatis Pucittæ. Sed hac etiam spe dejecti, inter se ex Suprema delegatione contendere ceperunt coram Emis Patribus de obligatione reparandi Ecclesiam, atque erogatione redituum mensæ capitularis, qui inter Canonicos dividi consueverunt. Sua Episcopus in prolixa informatione tuetur jura; eamque seorsim a Scriptis cum distinctis notis circumfert Capitulum. Tria igitur disputantur Dubia. *Sess. 22. cap. 9.; & Sess. 23. cap. 1. de Refor.*

Episcopo ne, an Capitulo incumbat Ecclesiæ reparatio, quæritur sub primo. Onus de Jure est Episcopi, qui Ecclesiæ suæ ut sponsus consulere debet, *Can. 10. cauſ. 10. quæſt. 1.*, quem exornant *Franceſ. de Eccleſ. Cathedr. cap. 13. num. 31.*, *Bellett. diſquiſ. Cleric. tit. de Cleric. debit. §. 13. num. 12.*, *Barboſ. de jur. eccleſ. cap. 4. num. 9.*, *Albert. de Sacr Utenſ. cap. 12. num. 57.*. Ex pluribus tamen spectare potest ad Capitulum, ac præsertim si distinctos pro fabrica Ecclesiæ habeat reditus; si ad eam reparandam teneatur ex Statuto; & si reparare consueverit. Ita *Bened. XIV. Inſt. 100. num. 19., & ſeqq.*, *Schmalzgr. in jus canon. lib. 3. tit. 48. §. 2.*, *Kirm. in lib. 5. Decretal. quæſt. 30. num. 2633.*, *Engel in lib. 3. Decretal. tit. 48. num. 8.*, *Amoſtaz de cauſ. piis lib. 5. de Eccleſ. ædific. cap. 6. num. 17.*, *Frances de Eccleſ. Cathedr. cap. 13. num. 2., & ſeqq.*

Hanc Episcopus urget limitationem, ac singula concurrere ait ejus requisita. Reipsa distinctos esse contendit fabricæ reditus, eorumque originem a remotis desumit sæculis. Plura anno 1070. capitulari mensæ donavit bona decessor Episcopus Opitius, priusquam laberetur in schisma.

ma. Inductæ fuerunt anno 1329. primæ Canonicorum annatæ *pro fabrica*, *& ornamentis Ecclesiæ Cathedralis*. Alia Capitulo accesserunt bona anno 1366. ex donatione Episcopi Giraldi; aliaque plura XV., & XVI. sæculo ex munificentia Summorum Pontificum *Calisti III.*, *Pii*, *Pauli*, *& Julii II.* Haud tenue ei legatum reliquit anno 1544. Hieronymus de Utilibus *pro fabrica Ecclesiæ*. Laudemiorum medietas destinata fuit anno 1585. *pro Paramentorum*, *& aliarum rerum ecclesiasticarum*, *& fabrica*. Et in manutentionem fabricæ medias a Constitutione *Benedicti XIII.* exigit annatas. Quæ omnia annuum ultra præbendas constituunt reditum scutorum circiter 1000.

Ad confirmandam hujusce reditus destinationem in fabricam Ecclesiæ, nonnullas Episcopus profert ipsius Capituli confessiones. Anno siquidem 1337. locarunt Canonici bona, *propter reparationem Ecclesiæ Majoris*. Ex hoc impugnarunt anno 1662. coram Sac. Congregatione augmentum emolumenti Mansionariis, quod redundantes eorum mensæ reditus = *sono ipotecati per decreto di codesta Sagra Congregazione in reparazione della Chiesa*. Et anno tandem 1680. vindicarunt coram Tribunali Rev. Fabricæ legatum scut. 200. in ornatum Baptisterii Ecclesiæ. Idemque onus fassi videntur in supplici libello, quem ante hanc motam litem *Sanctissimo* dederunt.

Præter distinctos fabricæ reditus, adesse ait Episcopus Statuta, Constitutiones, resque judicatas, quæ ejus manutentionis onus in Capitulum reiiciunt. In antiquis Ariminensis Ecclesiæ Constitutionibus anni 1520. quotidianas ex additis redditibus auxerunt Canonici distributiones, *supportatis prius*, *& deductis oneribus*, *& factis aliis expensis congruis*, *opportunis*, *& necessariis pro conservatione*, *& manutentione Ecclesiæ nostræ*, *& aliorum nostrorum beneficiorum*. In posterioribus quoque Constitutionibus anni 1651. sancitum est, pecuniam solvi solitam in ingressu a Præposito erogari debere *per ornatum Sacristiæ*, *& Altarium*, *nec non pro reparatione Ecclesiæ*, *& organorum*. Visitationum accedunt decreta. Sub pœna scutorum 25. fabricæ Ecclesiæ applicanda, celerem ipsius Ecclesiæ reparationem Canonicis demandavit anno 1571. Feretranus Episcopus, Apostolicus Visitator. Hoc ipsum paullo post jussit Ariminensis Episcopus Parisanus, deindeque annis 1637., 1650., *&* 1659. successores ejus Episcopi, Cæsius, Sfortia, *&* Gallus; quin unquam Canonici reclamaverint. Occasione tandem visitationis Sac. Liminum rescripsit Sac. hæc Congregatio

an-

anno 1633. ad Epiſcopum Cæſium, ſuperextantes menſæ capitularis reditus erogandos eſſe *in neceſſitates Eccleſiæ, & Eccleſiarum eidem adnexarum, earumque fabricæ, nec non in manutentionem prædiorum &c.* Idque in noviſſima etiam Sac. Liminum viſitatione anni 1785. confirmavit. Hæc poſtremo quoad obſervantiam. Eccleſiæ Sacrarium perficere velle declaravit Capitulum anno 1282. Subminiſtrationem anno 1294. impetravit a Generali Cæleſtini V. Vicario in reparationem Eccleſiæ (datus apparet ſupplex libellus die 7. Aprilis, Cæleſtinus vero creatus fuit Pontifex die 5. Julii Illius anni.) Tintinnabulum conſtrui fecit anno 1494. Dum juſſu Clementis VIII. activum, & paſſivum exhibuit capitularis menſæ ſtatum, inter expenſas retulit ſcuta 80. *per la riparazione della Chieſa Cattedrale*. Cenſum impoſuit anno 1639. *per i peſi del detto Capitolo, e della Chieſa Cattedrale*. Iterum, & tertio annis 1639. 1640. 1641. In paſſivo ſtatu retulit expenſas *per riparazione di detta Chieſa Cattedrale*. Contractum iniit anno 1695. ſuper hujuſmodi reparatione cum Fabro murario. Et ſi credendum eſt Teſtibus, de auditu etiam a majoribus, unum ſemper Capitulum Eccleſiam reparavit. Numquam contra Epiſcopi onus hoc ſubierunt, ut hodierni Antiſtitis Æconomus, domuſque Præfectus, & qui Ariminenſi Sede vacante ſpolia collegit, ex perquiſitis libris deponunt. Pervetuſta quidem ſunt facta Epiſcoporum Caſtelli, & Sforza; ſed hodiernus notat Antiſtes, alterum ex illis nonnullas Cappellas, chorumque ſimpliciter ornaſſe, alterum Eccleſiam liberalitatis cauſa poſt dimiſſum Epiſcopatum reparaſſe.

Inſiſtunt alia ex parte Canonici regulæ, quæ Epiſcopo adverſatur, acriterque limitationem impugnant. Univerſa quæſiiſſe affirmant bona ex largitionibus Epiſcoporum, Summorumque Pontificum abſque obligatione conſervandi fabricam Eccleſiæ. Donavit Epiſcopus Opitius, ut eorum conſuleret *victui*. Alia Epiſcopus Geraldus anno 1366. ceſſit bona *in plenum jus, & dominium Capituli*. Providas eorum, aliorumque Antiſtitum largitiones confirmarunt *Innocentius*, *Alexander*, *Lucius*, *Clemens*, *Cæleſtinus III.*, ut bona conſervarentur integra *pro veſtris* (Canonicorum) *uſibus*, vel *pro ſuſtentatione*. Plures Capitulo acceſſerunt Eccleſiæ, Beneficia, Prioratus ex munificentia *Eugenii IV. Caliſti III.*, *Pauli*, & *Julii II.*, ſed ad augendas quotidianas diſtributiones, Divinumque cultum, ac ut *Canonici commodius ſuſtentari*, & *Capellanis pro eorum manutentione de neceſſariis provideri poſſent*;

ſent ; nullo injuncto onere fabricæ . Qua de re inductam affirmant Canonici per Conſtitutionem anni 1540. partitionem redundantium redituum , ſeu *diviſibilium* .

Abrogatam cenſent Conſtitutionem anni 1329. circa primam annatam ex poſterioribus Conſtitutionibus anni 1414., in quibus nulla hujuſce annatæ fit mentio . Legatum de Utilibus librarum 3100., ſeu ſcutorum 561., quod in proprios uſus impenderat Capitulum , erogari mandavit Sac. Pœnitentiaria *in neceſſitates dictæ Eccleſiæ, nec non emptionem aliquorum bonorum* , ita ut tenues eſſe queant hujuſce inveſtimenti fructus . Quod ex laudemiis in cauſam etiam fabricæ deſtinatum apparet anno 1585., de Paramentis dumtaxat intelligi debere contendunt Canonici ; quum quæ deficit ſyntaxis in verbis , *pro Paramentorum , & aliarum rerum eccleſiaſticarum , & fabrica* , ſit in aliis , *pro Paramentorum , & aliarum rerum eccleſiaſticarum fabrica* . Ad priſcas vero confeſſiones , ut opinor , reſponſuri , plura quoad noviſſimam notant , modumque exponunt , quo eis exhibitus , ac variatus deinde fuerit ſupplex libellus *Sanctiſſimo* porrectus . Excluſum ex his cenſent primum requiſitum diſtinctæ maſſæ in manutentionem fabricæ : Sed hoc addunt argumentum , quod putant invictiſſimum . Semiannatas exigere nequeunt Cathedrales , *in quibus reperitur onus , ſeu particulare patrimonium fabricæ ſufficenter inſtructum* , ut ex celebri Conſtitutione *Benedicti XIII.* , de qua *in Bullar. Mainard. tom. 11. pag.* 398. . Eas autem per Depoſitarium exigit ipſorum Capitulum , & in fabricam impendit Eccleſiæ . Ergo , inquiunt , nullum habet *particulare patrimonium* , ex quo illius onus ſubeat .

Neque ad id teneri contendunt ex capitularibus Conſtitutionibus . Nullum porro fabricæ verbum in antiquiſſimis illis anni 1414. Poſteriores anni 1520. (quas capitularem appellant reſolutionem) intelligendas inquiunt de ſimplici manutentione Divini cultus , & Miniſtrorum Eccleſiæ , ne cum anterioribus confligant anni 1514. , editis ſub Epiſcopo Bonadies , in quibus non legitur = *pro conſervatione , & manutentione Eccleſiæ noſtræ , & aliorum noſtrorum beneficiorum* ; ſed *pro conſervatione , & manutentione , immo potius pro augmento Divini cultus in eadem Eccleſia* . Notandum tamen , quod revocatæ per eas fuerunt anteriores iſtæ Conſtitutiones in hæc verba : *revocamus , caſſamus , & annullamus in totum , & in qualibet ſui parte ultimam , & noviſſimam Conſtitutio-*

tionem factam per bo. mem. Episcopum Bonadies anno Christi 1514.. Ac novissimæ tandem Constitutiones anni 1561., quibus consultum etiam fuit *reparationi Ecclesiæ,& organorum*,eam ad simplicem restringunt *ornatum Sacristiæ, & Altarium*, juxta antiquiores illas anni 1414. quas per generica appellant verba: *vigore Constitutionum antiquarum*. Decreta prætereunt Visitatorum. At rejudicatæ vires non habere arbitrantur Sacræ Congregationis rescripta annorum 1633., & 1785., quum ad postulationem prodierint Episcoporum, inaudito Capitulo.

Transeunt post hæc ad consuetudinem, regulamque præmittunt, quod ubi est *adversativa Juris dispositioni, exigit probationem in contradictorio judicio stabilitam*, de qua his verbis *Rota in Anconitana Reintegrationis, & Reductionis in pristinum* 16. *Aprilis* 1754. §. 8. *Vicecomite*. Talem vero non esse affirmant, quæ ex minimis desumitur reparationibus, vel ex distincto legati de Utilibus, & semi-annatarum deposito, vel ex mera suorum Decessorum liberalitate expletis, ob quam Episcopus Bonadies dixit = *non cessant pro restauratione Ecclesiæ, & reductione in meliorem formam, & magis ornatam manus nobis porrigere adjutrices*; nec satis probari ex Testibus, sive Episcopi servitio addictis, sive de rebus levissimis deponentibus, vel ex passivo Capituli statu anni 1594., quem inter informes Episcopalis Cancellariæ chartulas reiiciunt. Contrariam immo probant consuetudinem ex insignibus Ecclesiæ reparationibus, quas Ariminenses fecerunt Episcopi *Ubertini, Bonadies, Castelli, Sforza, Galli, Corsi*. Illudque sedulo ponderandum rogant, num in conflictu etiam probationum absolvi potius debeat a reparanda fabrica Episcopus, qui contrariam habet regulam, redituque ex Episcopatu percipit scutorum circiter 5500., quam Canonici, qui exceptionem tuentur, nec, si divisibilia excipias, admodum pingues habent præbendas.

De secundo agens Dubio; nullam communium reddituum partem, præter quotidianas distributiones, inter Canonicos dividendam censet Episcopus. Massæ capitularis originem ex donationibus, ejusque destinationem memorat in fabricam Ecclesiæ, ne in alios usus converti permittatur, contra *Text. in cap. Tua Nobis de Testamen.*, & sententiam *Pignatellii consult. canon.* 50. *num.* 1. *tom.* 6., & *Scarfant. ad Ceccoper. lucubr. canon. lib.* 4. *tit.* 5. *tom.* 2. *in animad. num.* 1.. Constitutiones iterum appellat annorum 1420., & 1514., Visitationum

decreta ann. 1571., & 1637., Sacræ Congregationis rescripta ann. 1633., & 1785., in quibus interdicta fuit prætensa partitio. Additque veterum Canonicorum, sive tacitas, sive expressas confessiones. In petenda ab hac Sac. Congregatione vacationum reductione, solas anno 1618. indicarunt præbendas, & quotidianas distributiones. Anno rursus 1662. adversus Mansionarios, ut vidimus, declararunt, quod = *questi avanzi sono ipotecati per decreto di codesta Sagra Congregazione in riparazione della Chiesa*. Et anno demum 1731. iterum coram Sac. Congregatione in designandis cujusque Canonicatus reditibus, divisibilia reticuerunt.

Partitionis contra justitiam tuentur Canonici ex donationibus bonorum in eorum sustentationem. Inductam monstrant superextantium redituum partitionem ex Constitutionibus anni 1414. Consistebant divisibilia in regaliis, quarum in locum subrogata fuit anno 1620. pecunia. Regaliis additæ fuerunt decimæ, dividique etiam ceperunt anno 1626. De his dumtaxat actum inquiunt anno 1633. coram Sacr. Congregatione, cujus decretum (eadem omnino formula hinc inde exhibitum) de fabrica loquens Ecclesiæ in genere, de Cathedrali non intelligunt; vel tanquam editum inaudito Capitulo, cum altero anni 1785. revideri postulant. Nonnullas super divisibilibus proferunt capitulares resolutiones annorum 1645. 1646., & 1660., decreto anni 1633. posteriores; constantemque tandem urgent plusquam centenariam observantiam, quæ partitionis factum confirmavit, *Rot. in Auximana Bonorum super manutentione* 27. *Junii* 1757. §. 7. *coram Stadion.*, *& in Barchinonen. Jurium Parochialium* 3. *Martii* 1777. *cor. Ratta*.

Ab affirmativa secundi Dubii resolutione pendet tertium de reali divisibilium applicatione, eorumque restitutione. Nulla in genere contentio est de applicatione. Restitutionis vero epocham ducit Episcopus ab anno 1777., a quo dividi ceperunt annua circiter scuta 1000. nam = *Canonici reintegrare tenentur Ecclesiam de eo, quod converterunt in alios usus*; ut sentit *Pignatell. consult. canon.* 50. *num.* 5. *tom.* 6. Idque ex mala confirmat fide, in qua versatos supponit Ariminenses Canonicos ob neglectas capitulares Constitutiones, Visitationum decreta, Sacræque Congregationis rescripta. Ubi mala enim concurrit fides, quidquid perceptum est, restitui debet, per *Text. in Leg. fructus ff. de rei vindic.*, *& in Leg. litigator. Cod. de fructib.*, *& expens.*.

No-

Negant Canonici insignem illam partitionem scutorum 1000., vixque eam, detractis expensis, ad pauca minuunt sextertia, bona fide consumpta. Quæ enim decretum Sac. Congregationis anni 1633. præcessit, & subsequuta est observantia, justam in eis inducere potuit licitæ partitionis opinionem, quæ a restitutione consumptorum fructuum excusat, *Card. de Luc. de alienat. disc. 12. num. 17.*, *Rota in Romana Census Vitalitii 28. Januarii 1757. §. 4, & 5. coram Elephantutio.*

Dubia sunt.

I. *An, a quo, & ex quibus bonis sit facienda reparatio Ecclesiæ Cathedralis in casu &c.*

II. *An, & quos reditus mensæ capitularis prohibeantur Canonici sibi applicare, & dividere in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

III. *An constet de applicatione, & divisione dd. redituum, ita ut sit locus restitutioni, & a quo tempore in casu &c.*

Ad I. Reparationem Ecclesiæ Cathedralis esse faciendam à Capitulo ex reditibus Mensæ Capitularis.

Ad II. Negativè ad formam decreti Sacræ Congregationis diei 29. Januarii 1633.

Ad III. Teneri ab anno 1786. exclusivè; & quoad præteritum ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro absolutione.

FERETRANA CONCURSUS. Indicto ad Parochialem Ecclesiam S. Michaelis Archangeli Maceratæ Feltriæ concursu, unus coram tribus synodalibus Examinatoribus sui periculum fecit Sacerdos Petrus Rossini Parochus S. Theodori ejusdem Oppidi, ac per suffragia sex [tria enim singuli Examinatores ex instituto tulerunt) reprobatus fuit. Ab hoc tanquam irrationabili judicio ad Sac. Congregationem provocavit, actisque per Feretranum Episcopum transmissis, rescripserunt EE. Vestræ die 7. elapsi Februarii = *Ostendatur, non retardata interim provisione Paræciæ*. Novo hinc expleto concursu, cunctis approbatus est suffragiis Sacerdos Joannes Baptista Dominici, Oppidi Petracutæ Archipresbyter, quem valde Episcopus, per epistolas ad ejus Agentem, commendat. Rossinius interim devolutivum prosequens, infrascriptam proponi curavit Dubium. *Sess. 24. cap. 18. de Reform.*

Eligi

Eligi ad Animarum curam debet, qui ceteris præstat ætate, moribus, doctrina, juxta Sacrum *Concilium Tridentinum sess.24. cap.18. de Reform.* De Rossino judicari non potest ex aliorum concurrentium comparatione, quum unus se subjecerit examini, sed ex propriis ipsius meritis. Nullum de ætate dubium. De moribus scribit Episcopus suo negotiorum gestori = *Non è al caso*(Rossinius) *per quel Paese perche è litigioso, ed ora sento anche da Maceratini che vi abbia colà amicizia* = Quærendum denique de doctrina, de qua male Examinatores sentierunt. Rectum prælumitur eorum judicium, *Rot. in Calaritana Canonicatus super Circumscriptione 17 Januarii 1757.§.4. coram Canilliac.* Num vero tale sit, ex resolutis casibus decernent Emi Patres.

Quæsitum fuit primo; quomodo se gerere deberet Parochus in hoc casu: *Lucretia nocturno tempore carnaliter cognita a Francisco, quem certo credit suum esse virum; ad superos eo evolato, matrimonium contraxit cum filio dicti Francisci. Iste post aliquot menses adit Parochum, cui extra confessionem exponit crimen cum Lucretia commissum.*

Atque ita Rossinius respondit: *In hoc casu, quia tractatur de re audita extra confessionem, debet Parochus admonere inter me, & te Conjuges, extare inter illos impedimentum dirimens, non explicando illis, quale impedimentum sit, & a quo audivit, ad hoc ut non evenirent scandala, & murmurationes; & interim admonere eos, ut se abstineant a carnali copula, & evitent peccata, quæ prius inter illos erant pure materialia, postea evenirent formalia, & proponere eis, & etiam præcipere, ut unus eorum eat in regionem longinquam sub aliquo prætextu, & interim exponere Sacræ Pœnitentieriæ casum sincere, & distincte, scilicet non addendo, nec minuendo, aut melius dicendi gratia, subreptitie, & obreptitie, scilicet exponendo falsum, vel tacendo veritatem, & petere absolutionem ab isto impedimento cognationis; & quando hæc absolutio perventa fuerit, vocare eos, & facere eis secreto repetere mutuum consensum.*

Vel si posset aliquo modo, ac artificio eos inducere, ut ab ipso Parocho confiterentur; & aperire eis seorsim, ac seperatim in actu confessionis, ad hoc ut unus nesciret ab alio tale impedimentum, & interim jubere eis aliquod iter ad aliqua Sanctuaria, melius esset; & sic secreto procurare a Pœnitentiaria absolutionem, quando timeretur, evenire posse scandala, & fissuras inter Parentes. Mul-

ti

ti volunt, Confessarium sciendo ex confessione talia impedimenta, posse relinquere eos in eorum ignorantia, ad hoc ut peccata, quę erant prius materialia, non eveniant mortalia; sed ego istis non assentio. Ultima, quæ hic dixi, dixi ex abundanti.

Secundus casus fuit: *Parochus male moratus feria quarta majoris hebdomadæ adit Confessarium valde remotum, cui sui peccata confiteatur. Accusat se de Missarum mercimonio; de copula frequenter habita cum famula; de fructibus Beneficii ludo, & commessationibus impensis; denique de obligationibus Parœciæ notabiliter neglectis; &* quatuor consentanea quæsita: I. *contra quas virtutes peccavit.* II. *An ullam poenam incurrerit.* III. *Num quidquam restituere teneatur.* IV. *An possit absolvi, præsertim cum Parochus scandalum urgeat, ni proxima die celebret, & Parochianis Sacra ministret.*

Hæc autem solutio: *Peccavit contra abstinentiam, contra sobrietatem, contra castitatem, contra justitiam. Supra mercimonium adest propositio damnata, uti videri potest* in Antoine in tractatu Eucharistiæ, *ubi illic tractatur etiam de Sacrificio Missæ. Tenetur restitutioni pro fructibus Beneficii male impensis in ludo, comessationibus, & celebrare pro tot Missis, quot eleemosynas acceperit. Minime est absolvendus, ni prius satisfaciat suis obligationibus, dum ad evitandum Parochianorum scandalum, potest fingere, se male habere, & interim iste Parochus potest uti alio Sacerdote, qui pro se ipsomet celebret, & Parochianis Sacra administret, & interim absolutionem petere ab habente facultatem. Sin autem alio modo facere non potest, reperiens se in tali statu sic lacrymabili, considerandus est uti non haberet copiam confessarii; & ideo conterat se ex toto corde, & ex toto animo, proponendo non amplius peccare de cetero, & data postea copia Confessarii confiteri, uti ait Sac. Conc. Tridentinum;* Quam prius confiteatur; *habentes Parochiani a proprio Parocho jus petendi Sacramenta, & minime cooperantur ad ejus peccatum. Ratio quia utuntur jure suo.*

Tertius denique casus: *Sempronius dat Cajo pecuniam, indigenti centum aureos eo pacto, ut sibi annuatim persolvat scuta decem, donec ipse vixerit; & post suam mortem Cajus sortem principalem lucrabitur. Ex hoc oritur in Cajo desiderium mortis Sempronii, non quidem ex displicentia personæ, sed tantum ob temporale emolumentum.* Et duo quærebantur: I. *Utrum hujusmodi contractus sit licitus; cujus generis; & quæ conditiones requirantur,*

ut

ut licite fiat, II. An Cajus debita moderatione, optando mortem Sempronii, lætaliter peccet.

In his solvendis quæsitis, *permittat mihi*, inquit Rossinius, *Rmus Examinator, ut ego loquar modo oratorio, non stricto modo*, deindeque sic fatus: *Igitur iste contractus, qui dicitur census vitalitius, debet habere istas conditiones, quod sit fundatus supra re immobili, & stabili; quod nummi sint in dominio Caii; quod sors non transeat in lucrum facii minoris. His non positis, dico istum contractum esse illicitum, & usuratticum, & omnino dissolvendum, & haberi uti mutuum, ex quo nil percipere licet, uti habetur ex Evangelio*: mutuum date, nihil inde sperantes. *Unde consequitur, Sempronium teneri ad totalem restitutionem, Cajo faciendam, si aliquid perceperit, & consequenter peccasse etiam mortaliter Cajum, desiderando mortem Sempronio ob temporale emolumentum.*

Perpendere igitur dignentur Emi Patres hujusmodi responsa, suaque prudentia deliberare:

An constet de irrationabili judicio Episcopi in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

TERRACINEN., SEU SETINA CAPELLANIÆ. In supremis tabulis annl 1601. erigi jussit Antonius de Bellis in Collegiata Ecclesia S. Mariæ Arcisgurgæ capellaniam de jurepatronatus agnatitio; nominavitque in primum Capellanum Sacerdotem Honuphrium germanum ejus fratrem cum facultate nominandi successorem de communi familia, vel hac deficiente, ex proximioribus in gradu. Post extinctos vero agnatos, activum & passivum reservavit iuspatronatus proximioribus. Ultimus agnatus fuit Honuphrius; delatumque fuit jaspatronatus ad proximiorem familiam Antonii Nardovincentii, cui Granata nupserat de Bellis. Duo ex his orti sunt filii, Desiderius, & Liberata. Ex Desiderio natus supponitur Antonius jun. de Proxeudo, assumpto cognomine de Bellis. Hic annn 1697. præsentavit ad capellaniam

niam Sacerdotem Silvestrum de Fabiis; ejusque præsentationis virtute concessa fuit institutio. Anno rursus 1714. præsentarunt ejus filii Josephum de Bellis, qui in judicio vicit Petrum Clotti præsentatum a remotioribus descendentibus Liberatæ. Et anno demum 1752. Rosatus, & Antonius de Bellis præsentarunt Petrum de Bellis, qui etiam cum præsentato a descendentibus Liberatæ contendit, ac per rem judicatam vicit.

In novissima capellaniæ vacatione gravior anno 1785. orta est contentio inter præsentatos a Bellis, & descendentibus Liberatæ, Franciscum nempe, & Aloysium de Bellis, Erasmum Recchia, & Joannem Baptistam de Nardis. Liti cesserunt Erasmus, & Franciscus; alter pure, alter favore Aloysii ejus fratris, reservato sibi jure petendi capellaniam in alia vacatione; actoque inter Aloysium, & Joannem Baptistam judicio, instituendum esse decrevit Vicarius Generalis Setinus = *Joannem Baptistam de Nardis utpote proximiorem, & nominatum, & præsentatum a proximioribus in gradu*. Commissa appellationis Causa R. P. D. Boschi, matrimonium contraxit Aloysius; expeditisque Apostolicis Literis *gratiosæ subrogationis* in ejus jura, in possessionem ivit capellaniæ Joannes Baptista. Iterum vero in jus venit Franciscus de Bellis, ut ad renunciata restitueretur jura; obtinuitque ab Auditore Sanctissimi remissionem Causæ ad Sacram hanc Congregationem, in qua duo disputantur Dubia; super validitate scilicet Literarum Apostolicarum, & super institutione.

Subreptitias censet Franciscus de Bellis Apostolicas Literas ob reticitam reservationem, sub qua renunciavit liti favore Aloysii; quum Summus Pontifex, qui subrogationis gratiam concessit sub clausula, *dummodo non sit alteri jus quæsitum*, vel eam denegasset, vel difficilius concessisset, si reservatum novisset ejus jus pro futura vacatione, quam censet evenisse per matrimonium renunciatarii. ad *Text. in cap. super literis, ibique gloss. verb. dedissemus, de rescript., Piton. de controv. patron. alleg.* 1. *num.* 6., *Rigant. ad regul.* 1. *Cancell.* §. 1. *num.* 332. *& seqq.*, *& Rot. in Camerinen. Beneficii super executione Literarum Apostolicarum* 23. *Junii* 1786. §. 3. *cor. Eminentissimo Flangini*. Purificata enim conditione, regredi valet renuncians ad jura reservata, *Leg. Idem fuit ff. de testam. tutel.*, *Rot. cor. Tanar. decis.* 137. *num.* 16., *& in Romana Successionis quoad portionem Principissæ Theresiæ super renunciatione* 11. *Decembris* 1758. §. 13. *cor.*

clar. mem. Buſſio. Suum vero desumit jus ex proximioritate, ad quam reſpexiſſe ait Fundatorem tum in activo, cum in paſſivo patronatu, idque ex antiquis præſertim confirmat Judicatis. Is enim ſecundum ſchema genealogicum, (quod reſpectu ad ejus deſcendentiam impugnatur ſub ſecundo Dubio) in ſeptimo eſt gradu, Nardus in octavo,

Exprimi contra non debuiſſe contendit de Nardis conditionem renunciationis, tum quia carebat renuncians nominatione, dum eam emiſit, nullumque idcirco habebat jus ad capellaniam, quod ſibi reſervare poſſet; tum quia illicita erat conditio, ſub qua renunciavit. Dimiſſio ſiquidem beneficii favore certæ perſonæ, & ſub reſervatione jurium, niſi in manibus ſiat Summi Pontificis, ſimoniaca eſt; *Reinfeſt. in Jus canon. lib. 1. tit. 9. de renunc. §. 5. num. 108, & ſeqq.*, *Pariſ. de reſign. benefic. lib. 5. quæſt. 6. num. 188. & seq.*, *& de confiden. benefic. quæſt. 27. num. 37.*, *Barboſ. de re eccleſ. lib 3. cap. 15, de renunciat. num. 52. & ſeq.*, *Ferrar. in biblioth. verb. reſignatio num. 38.*, *& Rot. cor. clar. me. Creſcentio deciſ. 292. per tot.*, ideoque ſubreptione caret illius expoſitio abſque mentione conditionis, *Roſ. in addit. ad tract. de execut. Lit. Apoſt. pag. 46. num. 21.*, *Rot. in Recen. deciſ. 138. n. 12. part. 16.*. Qua de re ſervandas cenſet Apoſtolicas Literas jam per poſſeſſionem capellaniæ exequutas.

Quatenus Literæ Apoſtolicæ non ſint ſervandæ, ſibi de Bellis, juxta ſecundum Dubium, deberi contendit Inſtitutionem uti proximiori. Suam probat deſcendentiam ab Antonio de Proxeudo. Ob inexiſtentes vero antiquos baptiſmatum codices, argumentis demonſtrat, reipſa Antonium filium fuiſſe Deſiderii Nardovincentii, qui in Oppidum migravit Proxeudi, ut Juliæ Zaralliæ uxoris lares ſequeretur, licet poſt eum cognomen aſſumpſerit de Bellis. Nominationem præ omnibus urget ab eo factam anno 1697. tanquam filio Deſiderii Arciſgurgæ, produductis ad hoc probandum Teſtibus, & fide baptiſmatis, quæ Cancellarii Epiſcopalis teſtimonio, perierunt. Poſteriores deinde memorat præſentationes ab ejus deſcendentibus factas ſub annos 1714. & 1752., & Rejudicatas, in quibus illius deſcendentes declarati fuerunt deſcendentes Granatæ de Bellis per Deſiderium. Ex teſtamento rurſus Honuphrii de Bellis probat, fuiſſe Proxeudi ejus pronepotes ex Petro Antonio, qui in cenſualibus ejuſdem Oppidi tabulis nuncupabatur Deſiderius Petrus Antonius de Bellis. Nilque tandem obeſſe concludit mutatio-

tionem cognominis Nardovincentii in aliud de Bellis; quum cognominis diversitas personarum identitatem non excludat; *Vinn. in Instit. lib.*2. *tit.*20. §. *Si quidem in nomine num.*3. *de Legat.* . *Averan. interpret. Jur. lib.*1. *c.*18. *num.*4., & *Rot. in Recent. decis.*93. *num.*18. *part.* 17.

Negotio non deficit de Nardis. Semper Arcisgurgæ extitisse probat Familiam Nardovincenzi, ejusque novissimum fuisse Vincentium, qui decessit anno 1702. Antonium præterea Nardovincenzi de Arcegvrga (num fuerit filius Desiderii, non constat) jam anno 1612. Filios procreasse; Antonium vero de Bellis Proxeudanum decessisse anno 1708., ideoque unum ab altero diversum esse. Attenta potissimum diversitate cognominis, quod quisque retinere solet, ut a Patre accepit, *Leg.*1. *ff. adMunicip.*, & *Rot. coram Falcon. tit. de testam. decis.*1. *n.*9. Neque probari posse ait descendentiam Proxeudanæ Familiæ de Bellis a Desiderio Nardovincentio Arcisgurgæ ex quasi possessione præsentandi, rebusque judicatis. Illa enim non attenditur, ubi de proprietate constat juris-patronatus, *Card. de Luc. de jurepatr. disc.*36. *num.* 12., *Rot. in Recent. decis.*82. *num.*5. *part.*5., istæ non afficiunt successores in patronatu gentilitio, de quo agitur; *Ciarlin. controv.*107. *num.* 61., & *seqq.*, *Card. de Luc. de jurepatr. disc.*35. *num.*8. Notandum tamen, latas fuisse sententias adversus descendentes Liberatæ Nardovincentiæ legitimos contradictores in Causa status. Hujusmodi enim sententiæ afficiunt etiam successores jure proprio venientes, *Text. in Leg. ingenuum ff. de stat. homin.*, *Leg.*1. & 2. *ff. de liber. agnoscen.*

Quæritur itaque:

I. *An Literæ Apostolicæ sint servandæ in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & cui sit danda institutio in casu &c.*

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ROMANA SUBSIDII DOTALIS. Ex testamento March. Nicolai de Raimundis 2. Aprilis 1724. jus habet March. Joannes Maria Belmonti nominandi sex cujuslibet Nationis Puellas ad dotalia subsidia scutorum 50., quæ Archiconfraternitas SS. Annuntiatæ Urbis quotannis distribuit; ex codicillis vero 23. Septembris ejusdèm anni parem habet nominationem ad subsidia quatuor scutorum 30., quæ in Ecclesia, Festoque S. Nicolai de Tolentino inter pauperes ex lege Testatoris distribui debent, honestas, viles, ac utroque Parente orbatas Puellas *per Regiones Urbis*. Sanctissimo nuper supplicavit pro facultate nominandi per sexennium ad unum ex posterioribus subsidiis Annam Compadretti ejus ex sorore neptem, Nobilem, Imolensem, ac Patre dumtaxat orbatam, licet pauperem, ut in aliquo educari posset Monasterio; & pro ea Emus etiam Imolensis Episcopus, per epistolam Agenti suo datam, in hæc verba Interceſſit: *Si adoperi ella colla sua conosciuta efficacia, acciò la supplica riporti un grazioso rescritto, che mi sarà gratissimo, perchè di gran sollievo ad una povera Dama mia Diocesana.*

Precibus ad Sacram hanc Congregationem remissis, Puellam Emus Urbis Vicarius ex indicils Codicillanti conjunctam arbitratur. *Unum tamen*, inquit, *ne res ita geratur* (ut petitur) *obesse video, doleoque; quod nempe id agendo, Romani Fundatoris beneficentia, in Puellas Romæ degentes collata, pro quarta jam parte ad sex usque continenter annos, e patrio divulsa solo, abrumpitur & abripitur in longe semotæ Civitatis fines; quando & Urbs Roma, queis nunquam caruit, ne nunc quidem vacat angustiis, ad quas non tam amovendas, quam levandas leniendasve tum vetera prodiere pietatis, quæ nunc inspicimus instituta, tum nova, quæ opportune ut subeant, sospitentur præcamur omnes. Nec prætereundum, quod Puella, si modo est Testatori conjuncta* [*qua ex conjunctione duci argumentum posset tacitæ prædilectionis*) *non tamen satis accurate exploratum compertumque est, quo distet ab eodem Testatore intervallo, magno ne, an parvo.* Nihil de cetero Patribus S. Nicolai interesse ait Procurator Generalis, sive Romanis, sive exteris Puellis tribuantur subsidia; quum solam assistentiam præstent in distributione.

Non raro sanguinis voces EE. Vestrarum clementiam excitarunt, ut ad pauperem in Monasterio alendam Puellam do-

dotale ſubſidium de quinquennio in quinquennium ex præſumpta Teſtatoris voluntate concederent, ut *in Romana Subſidiorum dotalium* 16. *Decembris* 1730., 11. *Septembris* 1757., & 26. *Novembris* 1763. Dotes in noſtro themate diſtribui voluit Codicillans inter ignobiles, Romanas, ac utroque Parente orbatas Puellas; ſed ex nobili, divitique Genere, de conſanguinea non cogitavit; nam alias ei conſuluiſſet, *Card. de Luc. de Teſtam. diſc. 72. num. 15. & ſeq.* Satis contra explorata non eſt conſanguinitas Compradettæ cum Codicillante, & ſi honeſtatem excipias, ac paupertatem, reliqua ei deficiunt requiſita a Codicillante præſcripta. In his ſane terminis iterum atque iterum dotalia ſubſidia denegata fuerunt *in Romana* 24. *Martii* 1787., & 29. *Novembris ſeq. an* 1788. Illudque etiam notandum, quod de aliis Orator diſponere valet ſubſidiis ſcutorum 50., quæ nec ignobilitatem, nec Romanam civitatem, nec utriuſque Parentis defectum requirunt.

A Veſtra igitur, Emi Patres, æquitate, ac religione pendet decernere:

An, & quomodo ſit locus nominationi Annæ Compradettæ ad unum ex dotalibus ſubſidiis Raimondi relictum in codicillis 23. *Septembris* 1724. *in caſu &c.*

BOSANEN. VISITATIONIS SAC. LIMINUM: Mos eſt in Sardinia, ut ad Parochorum præſentationem inſtituant Epiſcopi Pro-Parochos, ſeu Vicarios *abſolute, plene, & abſque ulla miniſterii parochialis reſtrictione.* Ut clandeſtinis tamen occurreret matrimoniis, per decretum ſynodale mandavit anno 1781. deceſſor Epiſcopus Boſæ, *Pro-parochos, niſi ſpecialem a Parocho pro caſu particulari facultatem in ſcriptis acceperint, aſſiſtere matrimonio minime poſſe; ſubtracta iiſdem ampliſſima, quæ vulgo concedi ſolet, matrimonii aſſiſtendi poteſtate.* Hoc neglecto decreto, iterari prohibuit hodiernus Epiſcopus matrimonium, coram invito Pro-parocho celebratum. Con-

Seſs. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.

Contraria deinde motus quorumdam opinione, nonnulla occasione visitationis Sac. Liminum ab EE. Vestris postulavit, quæ sub infrascriptis comprehensa sunt Dubiis.

Quibusdam Ipse *innixus responsionibus a Sacra Congregatione prolatis circa præsentiam Parochi in celebratione matrimonii, quarum plurimas recenset, & notat Bened. XIV. lib. 2. cap. 5., & lib. 13. cap. 23. de Synod. Diœcesi.* censet, *haud potuisse Episcopum Bosanen. decessorem suum neque in Synodo, neque extra ipsam, ne obtentu quidem removendi abusus a rebus Sacris, hanc edere contra jus commune Constitutionem.* Alii vero Parochi ex ejus ore profitentur, *nulla se habere jura, quæ proferant, sed synodali tantum Legi in obsequium sui Episcopi submisisse se. Alii in ea sunt mente, ut Pro-parochis integra debeatur ministrandorum Sacramentorum facultas; adeout imminui hæc ipsis nullimode queat sine Concilii Tridentini injuria, nisi ab officio removeantur.*

De subsistentia synodalis decreti, ejusque executionis modo sub primo quæritur Dubio. Potestatem non habent simplices Sacerdotes assistendi matrimoniis a *Sacro Concilio Tridentino*, sed a Parocho, vel Episcopo, quibus reservata est facultas concedendi licentiam, ut ea pandunt verba *sessionis* 24. *cap.* 1. *de reform. matrim.* = *præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia.* Principaliter in casu nostro hujusmodi licentiam concedit Episcopus Bosæ, dum Pro-parochos approbat ad munia parochialia, quæ inter potestas assistendi matrimoniis. Quærendum ergo, num veteri abrogata sententia, quod per præsentationem, & approbationem Episcopi concessa intelligeretur etiam facultas Pro-parochis assistendi matrimoniis, eam declarare potuerit Illius Decessor, ut non amplius censeretur concessa, certamque formam in concedendo præscribere. Pro affirmativa est *Heislin. part. 3. resol. moral. de matrim. sine præscript. a dispens. form. celebrat. cas.* 2. *num.* 34. Latum insuper fuit decretum, de quo agitur, in Diœcesana Synodo consentientibus Parrochis, & Pro-Parrochis, qui ei de more interfuerunt.

Quatenus autem sustinendum censeant Emi Patres synodale decretum, deliberandum erit de modo. Parochorum sane facultas concedendi licentiam assistendi matrimoniis indefinita est, nullisque legibus *a Sac. Conc. Tridentino* circumscripta. Cogi ergo, nec ne valeant ad eam singu-

lis

lis vicibus concedendam in ſcriptis, ad EE. Veſtras pertinet decernere. Ita exigere videtur gravis illa cauſa impediendi clandeſtina matrimonia; maxime quia nil Parochorum facultati detrahitur, ſive verbis, ſive ſcriptis licentiam concedant. Ex juſta autem multoque magis publica cauſa, a Legislatore non cogitata, moderare poſſunt Epiſcopi legem; *Piaſec. in prax. Epiſc. cap.* 2. *num.*7., *Barboſ. de Offic. & poteſt. Epiſc part.*3. *alleg.*93. *num.* 32. At ex diſpoſitione Juris neque tenetur Parochus licentiam concedere in ſcriptis, neque prohiberi poteſt, ne ea valide utatur, qui verbis accepit; *Barboſ. in Concil. Trident. ſeſs.* 24. *cap.* 1. *num.* 111. *& ſeq.*, *Pont. de impedim. matrim. cap.*26.§.26.*verſ.valet*. Utrum vero per tacitum, aut expreſſum quoque conſenſum accipere potuerint Parrochi conditionem, quæ ſi Conciliarem non adimit facultatem concedendi, & reſpective utendi licentia eam certe reſtringit, EE. VV. dijudicabunt.

Poſita in Epiſcopo facultate declarandi & moderandi licentiam, deliberandum juxta ſecundum Dubium, num adempta per ejus decretum fuerit Pro-parochis poteſtas aſſiſtendi matrimoniis contra præſcriptam formam, ita ut irritum ſit matrimonium coram ipſis contractum. *Heislin. in cit. caſ.*2. *num* 36. diſtinguit: aut conditio, ſub qua concedi debet licentia, adjecta eſt per viam modi, & matrimonium eſt dumtaxat illicitum: aut pro eſſentiali forma, ſine qua non, & eſt quoque invalidum. Pro forma autem præſcripta videtur in noſtro themate ex verbis illis decreti: *ſubtracta iiſdem ampliſſima, quæ vulgo concedi ſolet matrimonii aſſiſtendi poteſtate*. *Benedictus* contra *XIV. de Synod. Diœceſ. lib.*13. *cap.*23 §.1., *& ſeqq.* ex pluribus Sacræ Congregationis reſolutionibus validum cenſet matrimonium, coram Pro-parocho celebratum contra prohibitionem Epiſcopi, ſive modalem, ſive conditionalem.

A reſolutione priorum tertium pendet Dubium circa matrimonium coram Pro-parocho contractum contra formam decreti. Si adempta cenſeatur poteſtas aſſiſtendi matrimoniis abſque licentia in ſcriptis, matrimonium, de de quo agitur, iterandum forſan eſſet tanquam nullum. Si ea vero, non obſtante Epiſcopi interdicto, ſalva manet, iterari non debet, quod coram poteſtatem habente geſtum eſt.

Re-

Reſpondere igitur dignentur Eminentiſſimi Patres:

I. *An, & quomodo ſuſtineatur ſynodale decretum in caſu &c.*

II. *An per idem decretum adempta ſit Pro-parochis poteſtas aſſiſtendi matrimoniis, ita ut irrita ſint matrimonia coram ipſis celebrata in caſu &c.*

III. *An iterari debeat matrimonium coram Pro-parocho celebratum contra formam ejuſdem decreti in caſu &c.*

Die

Die Sabbathi 28. Novembris 1789. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUatuor præ omnibus EE. Patrum judicio subiiciuntur Causæ, quæ in præcedenti Congregatione diei 19. Septembris ob negotiorum copiam resolvi non potuerunt.

FERETRANA CONCURSUS:
An constet de irrationabili judicio Episcopi in casu &c.

Sess. 24. cap. 18. de Reform.

Negativè.

TERRACINEN. SEU SETINA CAPELLANIÆ:
I. *An Literæ Apostolicæ sint servandæ in casu &c.*
Et quatenus negativè.
II. *An, & cui sit danda institutio in casu &c.*

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

Ad I. Negativè.
Ad II. Institutionem dandam esse Francisco de Bellis.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ROMANA SUBSIDII DOTALIS.

An, & quomodo sit locus nominationi Annæ Compradettæ ad unum ex dotalibus subsidiis Raimondi relictum in codicillis 23. Septembris 1724. in casu &c.

Negative in omnibus.

Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.

BOSANEN. VISITATIONIS SAC. LIMINUM.

I. *An, & quomodo sustineatur synodale decretum in casu &c.*

II. *An per idem decretum adempta sit Pro-parochis potestas assistendi matrimoniis, ita ut irrita sint matrimonia coram ipsis celebrata in casu &c.*

III. *An iterari debeat Matrimonium coram Pro-parocho celebratum contra formam ejusdem decreti in casu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam; & matrimonia inita cum assistentia Pro-Parochi contra formam decreti synodalis esse valida, sed illicita.

Ad III. Negativè.

Sess. 25. cap. 11. de Reform.

TYBURTINA EMPHYTEUSIS. Ad Dubium; *An sit locus stipulationi Instrumenti emphyteusis*; responderunt Eminentissimi Patres in Congregatione diei 29. elapsi Augusti, *Affirmative favore Santarellii, salvo jure sextæ*. De hoc modo Statii queruntur rescripto, eisque instantibus proponitur Dubium,

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata ad sequentem, & proponatur omnino etiam unica.

CON-

CONGREGATIONIS CISTERCIENSIS. Ciſtercienſium monaſterium S. Mariæ de Horto Venetiis regebat Abbas Hyacintus Maria Bagatti, Primo abſoluto, ad aliud menſe Martio 1781. electus fuit regiminis quinquennium, confirmavitque Apoſtolicus Venetiarum Nuntius electionem die 11. Aprilis ſequentis anni. Primam Abbas tonſuram, minoreſque ordines contulit die 9. Aprilis 1787.. Joſepho Foraloſſo illius Converſo, qui religioſum deinde habitum ex Apoſtolico dimiſit indulto. De ſua nunc dubitans ordinatione, EE.. Veſtrarum oraculum poſtulat Joſeph, Veſtramque implorat indulgentiam; ut ad ſacros etiam ordines aſcendat. *Seſſ. 23. cap. 10. de Reform.*

Illicitam Procurator Generalis Ordinis cenſet ordinationem; ſed validam: *Illicitam, quia ex noſtris Conſtitutionibus cap. 51. ad normam Conſtitutionum Clementis VIII. de reform. Regular. expreſſe cautum eſt, ne qui ad Converſorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum ſtatum poſſint tranſire. Validam, quum tempore habitæ ordinationis legitima adhuc Abbas ordinans potiretur gubernii auctoritate. Etenim electio ejuſdem ad gubernium per alterum quinquennium confirmata fuit a Nuntio Apoſtolico die 11. Aprilis 1782. juxta reſcriptum Pontificium ſub die 1. Martii 1782., quo Monachis monaſterii facultas conceſſa fuit eligendi Abbatem, & alios Officiales, impoſita obligatione petendi electionum confirmationem a Nuntio Apoſtolico. Quæ quidem approbatio, cum eſſet conditio neceſſaria, ſine qua electus Abbas neque jurisdictionem gubernii habere potuiſſet, neque exercere, inde tunc tantum Abbas gubernii vere conſtitutus habendus eſt, quando præſcriptam confirmationem obtinuit. Liquet ergo, Abbatem ordinantem omnibus munitum fuiſſe juribus legitimi Superioris, cum prima tonſura, & quatuor ordinibus minoribus oratorem Foraloſſo die 9. Aprilis 1787. initiavit.* Duo igitur proponuntur Dubia.

De viribus quæritur *primo* ordinationis; ejuſque nullitas ex duplici deſumi poſſet capite: ex defectu ſcilicet poteſtatis in ordinante, & prohibitione ordinandi Converſos. Primam ſuis Monacis tonſuram, & minores conferre valent ordines Ciſtercienſes Abbates, *Text. in cap. Abbates, de privileg. in ſexto*; ſed actuale in eis requiritur abbatialis muneris exercitium, ut valide conferant. Hanc enim non habent poteſtatem ex ordine, & charactere, qui indelebilis eſt, ſed ex privilegio limitato ad ſubditos, quibus abſque jurisditione carent, ut Sacrum

exponentes *Tridentinum Concilium ſeſſ. 23. cap. 10. de reform.*, tradunt *Pignatell. conſult. canon. 367. ſub numero 2. tom. 1., Hallier. de ſacr. elect., & ordinat. ſect. 5. cap. 1. art. 2. §. 2. de privileg. ordin. conferen. Abb. conceſſ. num. XVIII.*, *& ſeq.*, *Leurenn. For. eccleſ. lib. 1. tit. 2. quæſt. 562. §. 4.*, *Rigant. ad regul. 24. Cancell. §. 3. num. 306.*, *Rot. cor. Seraph. deciſ. 983. per tot.*; & iterum atque iterum definivit Sacra hæc Congregatio die bus 20. Septembris, & 29. Novembris elapſi anni 1788 in Cauſa *Congregationis Olivetanæ*, per Folium ma nuſcriptum propoſita.

Agebatur de ordinatione Monaci facta ab Oliverano Abbate, qui Abbatiam dimiſerat, alterumque Ordinati monaſterium ut ſimplex Superior regebat. Quæſitum igitur fuit I. *An conſtet de nullitate ordinationis, itaut ſit iteranda*. Et quatenus negativè, II. *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro abſolutione, rehabilitatione, & diſpenſatione ab irregularitate, quatenus miniſtraverit*; ac prima vice reſponderunt Emi Patres: *Conſtare de nullitate, & ad D. Secretarium cum Sanctiſſimo*; ſecunda: *In deciſis*; *& Monacho eſſe ſecreto reiterandos ordines minores*; *& ad D. Secretarium cum Sanctiſſimo pro abſolutione a ſuſpenſione ejuſdem Monaci propter ſuſceptum ordinem ſubdiaconatus per ſaltum, ejuſque rehabilitatione*; *nec non pro diſpenſatione ab irregularitate ad cautelam, quatenus in dictis ordinibus miniſtraverit*. Facta autem ſub die 10. ſequentis Decembris ad Sanctiſſimum relatione, Sanctitas Sua *reſcriptum Sacræ Congregationis diei 29. Novembris in omnibus benigne approbavit, & annuit pro gratia abſolutionis a ſuſpenſione, rehabilitationis, & diſpenſationis ab irregularitate, quatenus miniſtraverit, arbitrio & conſcientiæ Abbatis Generalis ejuſdem Congregationis, cum facultate etiam ſubdelegandi*.

Si initium abbatialis juriſdictionis ducatur in noſtro themate a menſe Martio 1781., quo Abbas Bagatti ad aliud electus fuit quinquennium, jam ante ordinationem diei 9. Aprilis 1787. expirata fuiſſet. Prælaturæ ſiquidem jus per ſimplicem electionem acquiritur electo; *Fagnan. in lib. 1. Decretal. Cap. 3. de poſtulat. Prælat. num. 77.* Licet contra acquirat electus jus Prælaturæ, ejus tamen exercitium, & adminiſtrationem obtinet a confirmatione, *cap. Paſtoralis in fin. de reſcript.*, *cap. Noſti*, *& cap. Traſmiſſam de elect.*, *Goffred. in cap. 2. de translat.*

Epi-

Episcop., *Fagnan. loc. cit.*, *Tamburin. de jur. Abbat. disput.6. quæst.* 13.*num.* 20.,& 25. A die autem 11. Aprilis 1782. quo Abbas Bagatti confirmatus fuit, ad diem 9. Aprilis 1787., quo ordines contulit, lapsum non erat abbatialis muneris quinquennium, ut Generalis observat Ordinis Procurator.

Dubitari etiam posset de validitate ordinationis ex parte accipientis. Constitutiones enim Congregationis Cistercienſis prohibent *cap.*51., ne ad clericalem statum transeant Conversi, in hæc verba: *Qui ad Conversorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, ne possint, Constitutione Clementis VIII. cautum est.* Dictio siquidem *ne possint* vim fortasse habet Decreti irritantis, & nullitatem ordinationis inducit, ut de altera dictione *nullatenus* est *Text. in Auth. Si quæ mulier, ibiq. gloss. verb. nullatenus Cod. ad Senatus consult. Vellejan.*, *Clem. ult, de sequestr. possess*, *& ibi gloss. eol. verb. nullatenus.*

Notandum tamen, quod Constitutiones illæ ad alteram se referunt Clementis VIII., in qua hæc una delinquentibus imponitur ferendæ sententiæ pœna, quod nempe, *si illi, qui Superiores sunt, vel alii, ad quos spectat, in prædictis deliquerint, officiorum privationem se subituros sciant.* Ubi aliquid enim sub certa pœna, & sine decreto irritanti prohibet Constitutio, valet actus, licet delinquens sit puniendus, *gloss. in Clem.*1. *verb. inhibentes, de jurepatr.*,*& Rot. in recent. decis.*34. *sub num.*2. *part.*1.. Et hac forsan de causa, qui de Clementina scripserunt Constitutione, illicitam dumtaxat appellant Conversi ordinationem, ac præsertim *Fagnan. in lib.*3.*Decretal. cap. Relatum* 7. *num.* 82., *ne Cleric. vel Monac.*, *Donat. in prax. Regular. tom.* 2. *tract.* 14. *quæst* 14., *Ferrar. in biblioth. verb. novitiatus sub num.*38.

Quatenus autem valida censeatur Oratoris ordinatio, deliberandum erit *secundo* de illius absolutione, & rehabilitatione ad ordines illicite susceptos, ac de dispensatione ab irregularitate, in quam fortasse ob illorum administrationem incidit. Ordinationem sane explevit Abbas Bagatti *bona fide*, *& incauta quadam inconsiderantia*; *nonnullis etiam ad ordinationem peragendam permotus rationibus, quæ eamdem uti licitam persuadebant*, ut in hæc verba testatur Procurator Generalis. Utrum vero a bona ordinantis fide ad bonam inferri valeat fidem ordinati, EE. Vestræ decernent. Ex bona quidem fide Vestram pro-

promeruit indulgentiam Olivetanus Monachus in responsione ad II. Dubium *Congregationis Olivetanæ*.

Respondere igitur dignentur Emi Patres.

I. *An constet de nullitate ordinationis, ita ut sit reiteranda in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, rehabilitatione, & dispensatione ab irregularitate, quatenus ministraverit in casu &c.*

Ad I. Negativè in omnibus.

Ad II. Affirmativè in omnibus.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ROMANA SUBSIDII DOTALIS. Heredem instituit anno 1601. Valerius Bonafede Societatem Misericordiæ Urbis, tresque ex quatuor redituum partibus in tot quotannis per sortem distribui mandavit dotes scutorum 50. *in maritaggio di Zitelle legitime, di onesta vita, buona fama, povere*, sub hac lege, quod *a chi si darà una volta, non possa più averla, ne tampoco sue sorelle carnali*. Præferri autem voluit *l'orfane alle altre, e che di più età nubile fossero*, omnibusque in sæculo nupturis *le Zitelle, che volessero farsi Monache*, quas etiam sortitione exemit. Unam ex hisce dotibus alteri reservavit Societati Orationis, & Mortis, cui Societas heres collationis suæ rationem reddit.

Duæ nuper unicum hoc petierunt subsidium Puellæ, pauper scilicet Ursula Antolini, inter chorales Albani Moniales recepta, & Maria Josepha Toni divitis Stamneariі filia, inter alias admissa chorales Moniales Barcenni. Obstare videbatur Antolinæ, quod ejus ex Patre Soror eam ipsam a viginti annis consequuta fuisset dotem ex Pontificio Clementis XIII. rescripto: deficiebat paupertatis requisitum Tonæ. Missæ tamen fuerunt per Sodales Orationis, & Mortis in suffragia; ac tresdecim utrique ex viginti quatuor suffragati sunt; licet ob discessum alterius Sodalis, in uno superata fuerit contrario suffragio Antolina. Pontificium hinc adierunt Solium, ut alteram altera per Supremam potestatem in consequutione vinceret subsidii. Precibus vero ad Sacram hanc Congregationem re-

remiſſis, cumulatiſſime Eminentiſſimus Societatis Protector favet Antolinæ.

Auditi, inquit, *per me Archiconfraternitatis prædictæ Officiales, reſpondent, enunciatæ Mariæ Joſephæ Toni, tanquam filiæ divitis commodique Stamneorii, defuiſſe, ac deeſſe extremum paupertatis, principe loco requiſitum a pio Fundatore, ita ut eorum Congregatio anceps diu fuerit in recipienda, ſecretiſque ſuffragiis ſubmittenda illius petitione. Facile autem annuiſſe precibus Urſulæ Antolini propter iſtius egeſtatem, ſi non abſolutam, certe reſpondentem ſuæ conditioni. Et meo quidem ſenſu recte ita ſe geſſit Archiconfraternitas. Nam præter concurrens in Puella Antolini paupertatis requiſitum, quod maxime profluit ex impotentia Antonii ejus genitoris, qui patrimonium fere omne ſuum abſumere debuit in collocandis quatuor aliis Filiabus; & præterquamquod non injuria proponit, ſibi obſecundare ſuffragiorum pluralitatem* (ob minorem contrariorum numerum) *illud inſuper accedit, quod ex mente pii Teſtatoris eadem Puella Antolini, tanquam Deo ſeſe dicatura* [quod dici etiam poteſt de Puella Toni) *neque nominatione per ſuffragia indigeret.*

Neque, proſequitur, *ab hoc meo ſenſu dimoveor ob ſimile ſubſidium alias collatum Sorori Puellæ Antolini. Prætermiſſo namque lapſu annorum pluſquam viginti ab ea collatione, quæ ne quidem proceſſit ex Archiconfraternitatis nominatione, ſed ex non præviſo per Teſtatorem Pontificio Reſcripto Sa.Me. Clementis XIII., gravis mihi eſt ponderatio, quod Soror alias dotata, ex altera Matre, alteroque thalamo procedit. Quamobrem ad præſentem caſum extendendam non arbitror odioſam prohibitionem conferendi alterum ſubſidium alle Sorelle carnali.*

De jure primum unius & alterius Puellæ ad controverſam dotem, deindeque de illarum prælatione quærendum. A præſcriptis pii relicti legibus pendet jus, eique aſſiſti Puellæ, quæ volitis pollet requiſitis, *Card. de Luc. de Dot. diſc.* 142. *num.* 100., *Polit. eod. tit. quæſt.* VI. *n.* 37. *tom.* 3. Paupertatis quidem requiſito, quod præcipuum eſt, caret Puella Toni; ſed advertendum rogat, quod ſoror eſt alterius ex Sodalibus collatricis Societatis, in quam recipi non ſolent pauperes. Quanti ratio hæc valeat, EE. Veſtræ decernent. Conſuetudo ſane conferendi dotem ſororibus, aut filiabus Sodalium voluntaria eſt, quum ſuam Teſtator providentiam ad eas non limitaverit, ſed de pauperibus in genere loquutus fuerit.

Ver-

Verlari etiam videtur Antolina in c-ſu prohibitæ dotationi, ob traditum dotale ſubſidium conſanguineæ ejus ſororis; nam *ſororum carnalium* nomine, quo uſus fuit Teſtator, ſorores etiam ſecundum aliquos veniunt, quæ ex eodem patre, eodemque ſanguine ortæ ſunt, *Bart. in Leg. Lucius ff. de vulgar. & pupillar. Card. de Luc. de Dot. diſc.* 142. *ſub num.* 6. Contrarium tamen cenſent alii, ubi fratris, aut ſororis nomen prolatum ſit a Teſtatore, qui in rigido loqui cenſetur ſenſu; nam in odioſis præſertim, utrumque appellat conjunctos, *Caſtr. in Leg. fin. Cod. de verb. ſignific.*, *Decian. reſponſ.* 16. *num.* 42. *vol.* 1., *Chriſtin. ad leg. municip. tit.* 16. *art.* 7. *num.* 5., *& ſeq.*

Quid in his terminis de utraque, a Veſtro, Emi Patres, pendet judicio. Si aliquis vero locus erit indulgentiæ, cui magis conveniat, ponderandum. Par in ferendis ſuffragiis fuit Sodalium favor; ſed plures Tonæ adverſati ſunt, omneſque ex ore Emi Protectoris profitentur, diu præ ejus divitia ancipites fuiſſe *in recipienda, ſecretiſque ſuffragiis ſubmittenda illius petitione*. Æque ſunt inter Moniales receptæ; ſed ſuam fortaſſe vocationem abſque dotali ſubſidio exequi non poſſet pauper Antolina.

Quæritur itaque: *An, & cui ſit dandum ſubſidium Dotale in caſu &c.*

Affirmative juxta votum Emi Protectoris.

Seſs. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

BRICTINORIEN. REDUCTIONIS ONERUM. Dum Oppidum Civitellæ ad unitas pertinebat Abbatias S. Ilarii de Galeata, & S. Mariæ in Coſmedin de Inſula, *Conſortium, ſive Communiam, & Collegium octo Sacerdotum in Archipresbyterali ejus Eccleſia* ex ſuppreſſis Societatibus SSmi Sacramenti, SS. Roſarii, S. Michaelis Arcangeli, & S. Angeli Cuſtodis erexit anno 1753. cl. mem. Cardinalis Accorambonus Imolenſis Epiſcopus, & Abbas Commendatarius, *cum onere præfatis Sacerdotibus Col-*

Collegiatæ, utque veris Canonicis Eccleſiæ præmiſſæ, ſingulis quibuſcumque diebus inſerviendi, nec non ibidem in proceſſionibus, & Miſſarum, aliorumque Divinorum Officiorum celebrationibus ceteriſque univerſis actibus publicis ſe conformandi, ac in eadem perſonaliter retinendi, eidemque in Divinis omnibus famulandi; Miſſas, & legata ſingula adimplendi, ad quæ Societates vetuſtæ tenebantur. Ducto autem per noviſſimum decennium calculo, annuus ſingulis Canonicis eſt reditus ſcutorum 37. 33.

Conſtitutiones edidit anno 1746. ſucceſſor Abbas de Rubeis, in quibus monere dixit *Canonicos, ut Conſtitutionem Sanctiſſimi D. N., quæ incipit* Cum ſemper oblatas *exacte adimpleant, ſtatimac ex diſpoſitione alicujus Benefactoris aliquid acquiratur, & uſque nunc ineſſe tale onus non reputare, quia quidquid a Capitulo, & Canonicis poſſidetur immediate provenit ex ſuppreſſis Confraternitatibus.* Huic Conſtitutioni innixi, nunquam Canonici Miſſam Conventualem celebrarunt, licet San. Mem. Clemens XIV. inſignem declaraverit anno 1770. eorum Collegiatam. De tenui nuper præbandarum quantitate apud Sanctiſſimum queſti, reduci poſtularunt Anniverſaria a ſuppreſſis ſocietatibus provenientia: Anniverſaria nempe quatuor diebus Mercurii immediate poſt quatuor ſolemniores Feſtivitates B. M. Virginis pro Animabus Benefactorum, & Confratrum; nec non Anniverſarium unum in Feſto SSmi Corporis Chriſti; alterum in Feſto S. Michaelis Archangeli; tertium in ſolemnitate SSmi Roſarii; quartum Miſſarum octo in Eccleſia parochiali SS. Quirici, & Jovittæ de Neſpolo; quintum Miſſarum ſex in die Apparitionis S. Michaelis Archangeli; ſextum miſſarum octo in Feſto SS. Angelorum Cuſtodum; & ſeptimum poſtremo miſſarum octo in Feſto S. Columbani.

A Brictinorienſi deinde moniti Epiſcopo, cui ſubeſt modo Civitella, ſupplicarunt etiam pro abſolutione ab omiſſa Miſſæ Conventualis celebratione. Utriſque precibus ad Sac. hanc Congregationem ablegatis, hæc quoad reductionem Epiſcopus. Prædicta onera, ait = *fuiſſe tantum ex conſuetudine, & pietate Confratrum teſtatur R. P. D. de Rubeis in Conſtitutionibus editis anno 1746. Quod cuipiam indubium erit, ſi animadvertatur, neque ex tabellis, neque ex libris, neque aliunde unquam apparuiſſe ullam Teſtatorem diſpoſitionem ſuper ea, à quibus Canonici humillime eximi poſtulant.* Et ita concludit = *Oratorum Votis, Eminentiſſimi Patres, appoſite modo indulgeatis,*

quum pio cuilibet desiderio fiat satis diurna applicatione Missæ Conventualis, ne ulterius deaugeantur tenuissime reditus in præjudicium eorumdem Oratorum, qui à sexcentis aliis undique præmuntur oneribus. Quo vero ad absolutionem, bonam desumit Oratorum fidem ex prætermisso Missæ Conventualis onere in erectione Collegiatæ, & ex capitulo IV. Constitutionum de Rubeis, eamque indubiam fieri dicit ex prompto animo, quo illi *novum onus susceperunt, statim ac per me intellexerint, neutiquam fuisse integrum Ordinario (eidem nempe Abbati de Rubeis) eos a simili debito immunes declarare*. Atque ex his veniam illis expoſcit.

Si Oratorum reditus ex una; & onera, quæ plurima sunt, æqua lance perpendantur ex altera, justa videri posset reductionis petitio. Annuum enim emolumentum scutorum 37. 33. multiplici fortasse non respondet Ecclesiæ servitio, totque anniversariis, & Missis, contra sententiam Sacræ Congregationis *in Urbevetana* 24. *Novembris* 1787., *& in Romana Commutationis voluntatis* 14. *Martii hujus anni*. Maxime, quia Episcopi testimonio, *neque ex tabellis, neque ex libris, neque aliunde apparet Testatorum dispositio super ea, a quibus Canonici eximi postulant*. Ex hoc porro non leve oriri videretur argumentum, quod pia illa opera inducta fuerint *ex pietate Confratrum*, quæ tanquam facultativa, & voluntaria obligationem non inducit, juxta doctrinam *Castrens. in Leg. Qui luminibus sub num. 2. ff. de servit. urban. præd.*, *de qua Menoch. de arbitr. cas.* 100 *num.* 9.

Onerum contra multiplicitas, eorumque diuturnum adimplementum præcedenti potius tribuendum est obligationi, argumento *Leg.* 4. §. *Si ab ignoto, ff. de manumiss.*, *Abb. in lib.* 3. *Decret.. Cap. Significatum, de Regular. num.* 6., *Menoch. lib.* 3. *præsumpt.* 49. *num.* 4. Quæcumque præterea fuerint Societatum onera, in Collegiatam translata, ultro ea ab initio acceperunt Canonici, & quasi pro illorum adimplemento contraxisse censentur. Servare autem consuevit Sacra Congregatio onera per contractum assumpta, licet emolumento majora, & ab iis reducendis abstinuit *in Bergomen. Reductionis Missarum* 10. *Julii* 1728.

Ad secundum quod attinet Dubium; omisisse asserunt Canonici conventualem Missam, utpote in erectione minime injunctam, & ex cap. IV. Constitutionum Abbatis de Rubeis in eo dumtaxat casu præscriptam, quod *ex dispo-*

sitio-

sitione alicujus Benefactoris aliquid (Capitulo) *acquiratur*. An ex his inducta dici valeat bona fides, EE. Vestræ decernent. Ea quidem concurrente, sæpe concessa fuit absolutio, ac præsertim *in Parmen.* 6. *Maii*, *& in Eccleſien. Onerum*, *& Distributionum* 9. *Septembris* 1786. *ad* 1. *Dub.*, *in Reatina Reductionis Missarum* 24. *Martii* 1787. *ad II. Dub.*, *& in Ravennaten. Legati* 25. *elapsi Aprilis*.

Deliberandum igitur.

I. *An*, *& quomodo sit locus reductioni in casu &c.*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

SANCTI SEVERINI, SEU SEPTEMPEDANA VISITATIONIS SAC. LIMINUM. Quamplures Septempedanæ Civitatis, & Diœcesis Parochiæ administrantur per familias, quæ originariis semper subiiciuntur Parochis, licet in alienas jurisdictiones migraverint. De hac primum sive consuetudine, sive abusu questus fuit anno 1648. occasione visitationis Sacr. Liminum, qui tunc Episcopalem illam tenebat Sedem; sed justis dubio procul de causis providentiam distulit Sacra Congregatio. Eamdem renovavit querelam anno 1764. successor Episcopus Forlani, reique examen commissum fuit Eminentissimo Calcagnino, quem Ille de singulis certiorem reddidit Parochiis, sive permixtis, sive distinctis, sive per concordiam unitis, & respective a commixtione solutis. Permixtæ erant una supra viginti; distinctæ duæ: unitæ, & a commixtione solutæ tres, Castri nempe S. Petri, Insulæ, & Elciti, de quibus hæc approbanda proponebantur concordiæ capita. I. Quod Parochia Castri S. Petri de jurepatronatus veteris Capituli Septempedani perpetuo unienda esset Prioratui ejusdem Castri, & Insulæ. II. Quod debita cum licentia demoliri deberet parochialis illa Ecclesia, omniaque cæmenta, & su-

Sess. 24. *cap.* 13. *de Reform.*

prilex, excepto calice, & patena, commodo cederent Prioratus. III. Quod semel Capitulum solveret scuta viginti, pro manutentione lampadis ante SS. Sacramentum Prioratus investienda. IV. Quod Parochia altera Elciti, ad idem pertinens Capitulum, commixta amplius non esset cum Priorato. Et V. demum, quod originariæ Elciti familiæ in Prioratu existentes, ei in posterum subjicerentur.

Quæ fuerit Eminentissimi Calcagnini relatio, & Sac. Congregationis resolutio, non constat. Negotium igitur resumpsit hodiernus Episcopus, ac post interdictam anno 1776. per decretum Sac. Visitationis commixtionem inter Parochias Castri S. Petri, Insulæ, & Elciti, super quibus inita fuerat concordia, reliquarum statum exposuit anno 1783., deindeque suorum Decessorum instar, oraculum Sacræ Congregationis anno 1786. postulavit. Incommoda præ omnibus numeravit permixtæ jurisdictionis, quæ ex *familiarum emigratione, quæ frequenter contingit, inter utriusque Paræciæ Sacerdotium exoritur*; nam *passim jurgii, contentionisque ansam præbet vel circa jus desumendi SS. Viaticum in aliena Ecclesia, vel circa funerum, decimarum, aliorumque parochialium munerum exercitium. Hinc etiam inter viciniores Parochos, ut majora quisque emolumenta percipiat, æmulatio quædam ad plures familias expiscandas, seu retinendas non absque bonorum scandalo auditur. Quod autem plurimum facessit Animarum regimen, illud est, quod sic emigrata familia, quo longius sistit a Parocho suæ originis, veluti sui juris facta, eo minus Pastoris sui faciem videt, & vocem audit, ac vicissim Pastor illam amplius non agnoscit, nisi Paschalis præcepti adimplementum, vel extremum vitæ discrimen instet; nec raro contingit, ut repentini morbi præssura copiam adeundi remotiorem originis Parochum intercludat, & quandoque suboriente inter Parochos quæstione, num familia sit alterutrius originaria, vel translata, pro sui libitu hujusmodi familia modo unum, modo alterum agnoscit Parochum, vel etiam neutrum, si de illis sit, qui minime curat animam suam salvam facere.*

Hinc vestigia sequens Episcopi Forlani, hoc proposuit remedium, *si nunc pro tunc* (quando vacaturæ erunt Parochiæ) *ad hanc eliminandam mixturam, Sacr. Visitationis decretum emanetur, quo cautum sit, ut Paræciæ illæ, quas inter huc usque nulla invaluit, vel actu repe-*

rituc

ritur mixtura, omnino perpetuis futuris temporibus sit interdicta. Quo vero ad alias, quæ huic incommodo sunt obnoxiæ, eveniente vacationis casu, certis spiritualibus finibus statim circumscribantur, ac illa materialis, seu temporalis linea usurpetur, quæ unuscujusque Castri, & Villæ Syndicatum, ut ajunt, seu agrum notissime designat in civilibus, pro realibus & personalibus oneribus exigendis, & singulæ familiæ, quæ extra hujusmodi Syndicatum, vel lineam sunt emigratæ, vel tractu temporis emigraverint, illi sint subiectæ Sacerdotio, intra cujus limites consistunt. Quæ ratio, si memorato anno 1764. fuisset adoptata, suum jam esset sortita effectum in quindecim ex viginti sex Parochiis, quæ meo sub regimine vacarunt.

Siquidem hujusmodi methodus non diutino annorum curriculo rem totam placidissime conficeret, quin jura possidentium Parochorum in eorum vita imminuantur, vel clamoris, aut turbæ ciendæ causa præbeatur. Successores vero Parochi vel nullum, aut certe facile spernendum damnum sentient ex aliquarum decimarum jactura, quæ in cuppa unius frumenti, & unius musti cado ad summum redigitur, & vicissim eveniente proximioris Parochi obitu compensationem aliquam recipiet ex reciproca confinium regula, quæ ex intervallo temporis singulis Paræciis parem gignere debet effectum. Eoque libentius hujusmodi methodo calculum omnem adiiciendum puto, quia nulla Paræcia ad tale paupertatis statum, uti facile exadverso famigeratur, deveniet, ut inde sit pertimescendum, quod difficile Sacerdotes instituendi inveniantur, prout patet etiam ex elencho redituum cujusque Paræciæ in adnexis foliis descripto (Gradatim earum quinque a scutis ascendunt 122. ad 233. non comprehensis incertis: reliquæ a scutis 37. ad 87., una excepta Castri S. Petri de jurepatronatus Capituli, quæ vix annua reddit scuta 19. 50.) *probatamque probationem ex eo colligo, quod quum anno 1776. in actu visitationis mixturam illam interdixerim, quæ vigebat inter Parochum Castri Elciti ex una, & Plebanum Castri S. Petri, & Insulæ ex altera, certosque fines juxta uniuscujusque Syndicatum præfixerim, non inde Parochus Capituli, qui certe reditibus non affluit, sua caret sustentatione, licet quatuor familiarum jacturam fecerit, totumque hoc negotium suprema EE. VV. auctoritate fuit desuper confirmatum.*

Et ita demum principale diluit Episcopi Forlani objectum. *Nec hujusmodi bonum*, inquit, *quod pro recti ordinis, &*

pa-

pacis emolumento, Animarumque salute satagendum censeo, debet quidpiam immorari, ex quo aliquot familiæ originariæ ex tribus Paræciis, nempe Galvani novi, Galvani veteris, & Ghigiani, quæ de jurepatronatu Populi existunt, ac mixturam cum aliis vicinioribus habent, emigraverint ad conterminas, nihilominus patronatus exercitium respective exerunt in novi Parochi electionis eventu, ceu R. P. D. Forlanius animadvertit. Etenim omisso, quod de paucis ruricolis agitur, qui suapte natura non admodum noscunt, minusque tuentur hujusmodi electionis jus, quod simultanee tantum cum toto Populo exerare possunt, quoties tamen existunt de gremio in hoc spirituali jure, illos quomodolibet manuteneri minime absurdum foret, quatenus in eo tueri se vellent, ne hujus quæstiunculæ causa publicum, quod intuendum est, Animarum bonum minus fiat, si antedictæ originariæ familiæ jamdiu emigratæ a patronatu cecidisse declarentur. Ne quid vero in id desideraretur, luculentius in novissima informatione originariæ familiæ qualitatem ex præscripto declaravit, quod talis nempe censetur, quæ ab una ad alteram, etiam dissitam migraverit Parochiam, etiamsi apud ipsam parochialem secundi domicilii domum, vel Ecclesiam existat; addiditque, quod familiæ omnes Septempedani Comitatus, a quo constituitur Diœcesis, huc illuc sunt per agrum dispersæ, vixque nonnullæ Castris, Villis, ut plurimum dirutis incolunt.

Duo igitur proponuntur Dubia; ac Paræciarum divisionem, ejusque modum respicit primum. *Ubi parochiales Ecclesiæ certos non habent fines &c.* facultatem *Tridentina Synodus* Episcopis tribuit, *pro tutiori Animarum eis commissarum salute, ut distincto Populo in certas, propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum, peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & a quo solo licite Sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant*; ita *sess. 24. cap. 13. de Reform.* Jam vero distincti in nostro themate dici possunt Paræciarum fines, dum de emigratis dumtaxat quæritur familiis, ac de jurisdictione originarii Parochi, a cujus finibus excesserunt. De inveterato sane, & correspectivo agitur jure; nam illud unus Parochus in aliena exercet Parochia, quod alter in sua; nec facile immutandum, quod temporis vetustate confirmatum est, *Leg. In rebus ff. de Constit. Princ.*, *Fagnan. in lib. 1. Decretal. Cap. Consuetudines, de consuet. num. 14.*,

Qui

Qui insuper a Parochiis migrarunt de jurepatronatus Populi, partem habent in electione Parochi, suoque per abolitionem parochialis mixturæ privarentur jure, quod laicis præsertim servari solet, ne a fundationibus beneficiorum retrahantur, *gloss. in Cap. Cum dilectus, verb. præsentare in fin. de jurepatr.*, *Piton. de controv. patron. alleg.* 43. *num.* 15.

Nedum contra *Tridentina Synodus* per divisionem Paræciarum, sed *alio* etiam *utiliori modo* consulendum mandavit *tutiori Animarum saluti*. Quæ autem ex promiscuo illo parochialis juris exercitio in aliena Parochia Animabus mala, jam Emi Patres ex ore Episcopi audistis. Inter alia insuper, quæ de levi notat Parochorum præjudicio, si nunc pro tunc abrogetur consuetudo, sedulo illud advertendum, quod parum aut nihil singulorum jurisdictio decresceret, quum tot ab ea subtraherentur emigratæ familiæ, quot ex respectiva forsan emigratione accederent. Licet denique privatum quarumdam familiarum jus ferendi suffragii in electionibus Parochorum de patronatu Populi, cedere deberet publico Animarum bono, quod ex abrogatione consuetudinis induci autumat Episcopus, *gloss. communi, in extravag. Ad nostri Apostolatus Joann. XXII.*, juxta ejus votum tamen absurdum non foret, si servaretur.

Quatenus autem EE. Vestræ prohibere censeant parochialis juris exercitium in emigratas familias, deliberandum erit de modo; num scilicet ferri debeat interdictum per Decretum Episcopi in Sac. Visitatione, juxta modum ab Ipso propositum, *ut Pareciæ illæ, quas inter huc usque nulla invaluit, vel actu reperitur mixtura, omnino perpetuis futuris temporibus sit interdicta: quo vero ad alias, quæ huic incommodo sunt obnoxiæ, eveniente vacationis casu, certis spiritualibus finibus statim circumscribantur, ac illa materialis, seu temporalis linea usurpetur, quæ uniuscujusque Castri, & Villæ Syndicatum, seu agrum designat in civilibus*. Nova, ut notatum est, videtur hujusmodi Paræciarum disterminatio; at notari posset, quod incommodi fortasse sunt præsentes earum fines, quum familiæ omnes dispersæ sint per agrum.

Hæc quoad primum Dubium. Quo vero ad secundum; principaliter concordia anni 1764. unionem respicit Parochiæ Castri S. Petri Prioratui ejusdem Castri, & Insulæ, ac demolitionem ejus Ecclesiæ. Conventæ unionis causa fuit reditus tenuitas, dum vix annua attingit scu-

ta

ta 19. 50., demolitionis vero deterrimus Ecclesiæ status; & proximitas alterius spectantis ad Prioratum. Probari, nec ne ex hisce causis debeat, seu potius decretum servari anni 1776., quo inter eas ipsas Parochias mixturam dumtaxat interdixit Episcopus, a Vestra pendet deliberatione.

Dubium I. *An, & quomodo sit abroganda parochialis jurisdictionis mixtura, & sint disterminandæ Parochiæ in casu &c.*

II. *An, & quomodo quoad Parochias Castri S. Petri, Insulæ, & Elciti sit approbanda concordia anni* 1764., *seu potius sit exequendum decretum Visitationis anni* 1776. *in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 19. *Decembris* 1789. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

BRICTINORIEN. REDUCTIONIS ONERVM. *Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.*

I. *An; & quomodo ſit locus reductioni in caſu &c.*

II. *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro abſolutione in caſu &c.*

Ad I. Affirmative juxta votum Epiſcopi.
Ad II. Affirmative.

SANCTI SEVERINI, SEV SEPTEMPEDANA VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM. *Seſſ. 24. cap. 13. de Reform.*

I. *An, & quomodo ſit abroganda parochialis jurisdictionis mixtura, & ſint diſterminandæ Parochiæ in caſu &c.*

II. *An, & quomodo quoad Parochias S. Petri, Inſulæ, & Elciti ſi approbanda concordia Anni* 1764., *ſeu potius ſit exequendum decretum Viſitationis anni* 1776. *in caſu &c.*

Dilata, & exquiratur melior informatio ſuper concordia anni 1764., & ejus exequutione.

Seſſ. 25. cap. 11. de Reform.

TYBURTINA EMPHYTHEUSIS. Statiis in ſuperiori Congregatione diei 28. Novembris indulgere conſuerunt EE. VV. prodilatione hujus Cauſæ *ad ſequentem* ; Proponitur itaque dubium.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Prævio receſſu a deciſis, ſtipulandum eſſe favore Statii, ſalvo jure lextæ.

Seſſ. 25. cap. 9. de Reform.

MONTIS ALTI CANONICATUS. Duo in Congregatione 25. Aprilis habentis anni propoſita fuerunt hujuſce Cauſæ Dubia. I. *An conſtet de validitate electionis, & præſentationis Sacerdotis Agnelli, ita ut ſit danda inſtitutio in caſu &c.*; Et quatenus negativè, *II. An, & cujus ſupplicatio ſit relaxanda in caſu &c.* & ad primum EE. VV. reſcripſerunt *negative in omnibus* ; ad ſecundum *Negative, & deveniat Conſilium ad novam electionem infra menſem Maii*. In repropoſitione vero diei 18. ſubſequentis Julii, in qua præter congruum dubium *An, & quomodo ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis quoad primum, & ſecundum dubium*, quæſitum etiam fuit ad inſtantiam Herculani: *An ſupplicatio ſi nulli ſit relaxanda*, reſponderunt ad primum *in deciſis, & Conſilium deueniat ad novam electionem intra menſem Auguſti, & amplius* ; et ad ſecundum, *Negative & amplius*. Tertio nunc Veſtro ſubjicitur judicio Cauſa iſta ex decreto R. P. D. Auditoris Sanctiſſimi, qui impartitus fuit Sacerdoti Franciſco Agnelli *licentiam de redeundo ad Sacram Congregationem Concilii, quoad omnes & omnia, quæ procedat prout de jure, non obſtantibus reſcriptis Sacræ Conſultæ*. Reſumere igitur dignentur Eminentiſſimi Patres Folia dierum 25. Aprilis, & 18. Julii, atque ex novis etiam rationum momentis hinc inde deducendis reſpondere.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Prævio receſſu a deciſis, inſtitutionem dandam eſſe Agnelli,

TER-

TERRACINEN., & PRIVERNEN. Pii quidam Privernenſis Cives ad funerandos defunctos in agris Cappellam & ſepulturam per privatam ceſſionem obtinuerunt a Parocho S. Benedicti, eorumque conventum erexit anno 1779. deceſſor Terracinæ & Priverni Epiſcopus in Sodalitium *Mortis & Orationis*, cum facultate etiam *utendi ſepultura pro Confratribus tantum, qui eam ſibi ipſis elegerint, a dicto Parocho ipſis ceſſa; ſalvis tamen juribus d. Parochi S. Benedicti, & aliorum reſpective Parochorum, & quartæ ipſis debitæ*. Hac utens facultate, dimittere conſuevit Sodalitium Parocho defuncti Sodalis, qui ipſorum ſepulturam elegerit, quartam funeralem, & eleemoſynam pro aſſociatione cadaveris. Nuper vero Archipresbyter, & Capitulum Cathedralis Priverni reſtitutionem ab eo poſtularunt integræ cereæ, quam in funerandis ipſorum Parochianis percepit, Cauſamque in Curia Epiſcopali obtinuiſſe aſſerunt. Qua de re EE. Veſtris ſupplicavit Sodalitium, ut canonica dumtaxat illis portio, ſeu quarta funeralis quoad præteritum, & futurum decernatur. *Seſſ. 25. cap. 13. de Reform.*

Audito per Epiſcopum Capitulo, ſua in ſcriptis expoſuit jura, impugnavitque Societati jus tumulandi, veluti Parochialibus, & Regularibus Eccleſiis reſervatum. Idque confirmavit ex verbis illis erectionis Sodalitii, *ſalvis juribus Parochorum*, & aſſerta quadam rejudicata contra Sodalitium alterum Suffragii ejuſdem Civitatis Priverni. Præ omnibus vero in ſua relatione monuit Epiſcopus, quod *ſepulturæ ceſſio a Parocho S. Benedicti Societati prædictæ facta fuit abſque Beneplacito Apoſtolico*, quodque *cum agatur de ceſſione ſepulturæ antea jam conſtructæ, atque etiam de reſpectiva ceſſione juris ſepeliendi, inexcuſabilis videtur ille Parochus a pœnis in Extravagante* Ambitioſæ *decretis, tum quia ceſſio rei jam conſtructæ eſt vera alienatio, tum quia ipſa Extravagans utitur vocabulo rerum, ſub quo veniunt etiam jura, & actiones; & ſuperaddit dictionem* omnium, *quæ eſt univerſaliſſima*. Et hæc prænotaſſe dixit, *non quia hinc aliquid juris pro Capitulo prædicto contra præfatam Societatem oriatur, ſed ut conſcientiæ illius Parochi, qui adhuc in bona fide vivit, conſulere EE. Veſtræ dignentur*.

Ad rem vero deſcendens, *non video*, inquit, *quid in hoc caſu favere jam dicto Capitulo poſſit. Quidquid enim ſit de aliis caſibus, quorum mentio eſt in ſuprad. Capituli Folio, certum eſt, quod Eccleſia Parochialis S. Benedicti, utpote Parochialis, de jure communi, per ſe & independenter ab Eccleſia Cathedrali, jus habet ſepulchra intra ſuos*

limites conſtituendi . Certum quoque eſt , quod quilibet a jure non impeditus poteſt ſibi eligere ſepulturam in qualibet Eccleſia ad id jus habente . Dubium ergo eſſe non poteſt , quod Confratres Societatis prædictæ poſſint in Eccleſia S. Benedicti ſepulturam ſibi ipſis eligere . Ex his inferebat , quartam tantum funeralem deberi Capitulo , eaque erectionis verba , *ſalvis juribus Parochorum* , determinari a ſubſequentibus , *& quartæ ipſis debitæ* ; & ita quoad ceſſionem ſepulturæ abſque Beneplacito Apoſtolico concluſit : *Parocho S. Benedicti ſecreto injungendum cenſerem , ut abſolutionem a pœnis in Extravagante* Ambitiosæ *contentis , ſi in eas incidit , obtineat* ; eique in gratiam piiſſimi Sodalitii , cui fundus eſt exigui valoris ſcutorum 25. , concedendum , ut *ſepulturam prædictam, & jus in ea ſepeliendi eos , qui in illa depoſitionem elegerint , concedere poſſit ; cum id nec Parocho , nec Eccleſiæ ſatis ſuperque ſepulturis inſtructæ , præjudicium afferat .* Poſt lapſum ergo terminum Capitulo præfixum ad deducenda jura ſua in Sacr. Congregatione , infraſcripta in eius contumaciam proponuntur Dubia .

Jus ſepeliendi , a quo pendet emolumentorum perceptio , eſt parochiale , per *Text. in cap. ex parte* 5. , *& cap. In noſtra* 10. *de ſepultur.* , vixque illud *Benedictus XIII*, extendit ad Regulares , ubi in eorum Eccleſia eligatur ſepultura , ut *in Conſtitut.* Romanus Pontifex *apud Concil. Roman.* . Aliter igitur in noſtro themate competere non poſſe videretur Sodalitio *Mortis , & Orationis* , quam ex privilegio , aut conſuetudine , *Urſaya diſcept.* 17. *num.* 63. *tom.* 4. *part.* 2. , *Scarfanton. ad Ceccoper. addit.* 48. *num.* 64. *Monacell. adnot. ad formul.* 11. *part.* 1. *tit.* 6. *pag.* 154. , *Baſſ. de Sodal. quæſt.* 5. *num.* 1., *& 5. Marchett. de Sepult. tit.* 38. §. 2. *num.* 64. . Conſuetudo octennis eſt , ab anno ſcilicet 1779. , quo erectum fuit Sodalitium , ab annum 1787. , quo Sacram hanc adiit Congregationem . Ad eam autem contra Eccleſiam inducendam , nec ſufficit fortaſſe quadragenaria , de qua *in cap. De quarta , cap. Ad aures , & cap. Illud autem, de præſcript.* , nam conſuetudines omnes , *quæ Eccleſiis gravamen inducere dignoſcuntur* , ſuſtulit *GREGORIUS in cap.* 1. *de conſuetud.* . Privilegium vero ab uno detamitur erectionis decreto , in quo tributa fuit facultas utendi ſepultura *pro Confratribus tantum* .

Agitur contra de ſepultura jamdiu conſtructa in Parochiali Eccleſia S. Benedicti , quæ independenter a Cathedrali jus habet tumulandi , per *Text. in cit. cap. In noſtra* 10. , *& cap. Nos inſtituta* 1. *de ſepult.* , eamque eligere valent

lent, qui a jure non prohibentur, *ex cap. Fraternitatem*; *& cap. Liberum, eod. tit.*. Unice ergo quærendum, num Parocho annuente, ea uti valeat Sodalitium. Pro negativa urgere poſſet illius ceſſio abſque Beneplacito Apoſtolico, quod in conceſſione cappellæ, vel ſepulturæ jam conſtructæ requiritur, *Petr. ad Conſtit. 5. Pauli II. num. 19. tom. 5. Matthæuc. Offic. cur. cap. 45. num. 22., Ferrar. in Biblioth. verb. ſepultura num. 160.*. Pro affirmativa vero, quod idem ſemper manet ſepeliendi jus, ſive illud per ſe ipſum, ſive per alium exerceat Parochus.

Hoc autem poſito jure, legitime ſequeretur, non omnia funerum emolumenta, ſed eorum dumtaxat partem deberi Capitulo, juxta *cap. Cum ſuper, cap. Certificari, cap. In noſtra de ſepult., & Clement. Dudum eod. tit.*, quam Benedictus XIII. ſtatuit in *quarta* ſub §. *Præterea* Conſtitutionis *Romanus Pontifex*. Et huc etiam ex ſententia Epiſcopi, reſpexit ejus Deceſſor in erigendo Sodalitio, dum ſtatim poſt verba illa, *ſalvis juribus Parochorum*, ſeu adminiſtratione Sacramentorum, aſſociatione cadaverum, & ſimilibus, addidit, *& quartæ ipſis debitæ*.

Duo hinc ad ſecundum Dubium ponderanda; utrum nempe abſolutionem mereatur Parochus S. Benedicti, qui ſepulturam ceſſit abſque Beneplacito Apoſtolico; & approbanda ſit hujuſmodi ceſſio. Inconſultum cenſet Epiſcopus illius factum, quum ceſſio ſepulturæ jam conſtructæ, vera ex demonſtratis ſit alienatio, per Extravantem *Ambitioſæ* prohibita. Parochum tamen excuſare poſſet implicita approbatio deceſſoris Epiſcopi, qui facultatem utendi ceſſa ſepultura Sodalitio conceſſit. Pro approbatione vero ceſſionis ponderandum rogat Epiſcopus, quod de paupere, & valde utili agitur Sodalitio, atque Eccleſia *ſatis ſuperque ſepulturis inſtructa*.

Deliberandum igitur EE. Patribus proponitur.

I. *An, & in qua quantitate competant Capitulo Cathedralis Priverni emolumenta funerum in caſu &c.*

II. *An ſit conſulendum SSmo pro abſolutione, & approbatione ceſſionis in caſu &c.*

Ad I. Affirmative in quarta parte ad formam Benedictinæ.

Ad II. Non indigere.

LU-

Seſſ.14. cap.7. ed Reform.

LUCEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Per Inquiſitionem Laici Tribunalis Lucenſis damoatus cum aliis fuit anno 1779. Joſeph Gonzalez uti reus homicidii ad exilium, & expenſas proceſſus. Sententiam vero revocavit ſuperior Judex quoad exilium, ſolutiſque expenſis, plene inquiſitus ſatisfecit Fiſco. Hinc ad Eccl. ſiaſticum aſſumendum ſtatum, *Sanctiſſimo* ſupplicavit pro diſpenſatione ab irregularitate, precibuſque ad Sacram hanc Congregationem remiſſis, expoſita confirmat Lucenſis Epiſcopus, & hæc ex præſcriptis refert: *Ex Parochorum informationibus inveni, Oratorem ætatem habere, quam exponit* (annorum triginta) *bona vita ac moribus pollere; ideoque, & propter ſuam manſuetudinem, in colloquis quæ de ipſa nece patrata in viciniis habebantur, inſontem haberi. Propterea nullam patitur infamiam; expenſaſque litis, quibus mulctatus fuerat, ſolvit; nec Fiſcus, nec alius unquam aliquid contra illum poſtulavit. Præterea Sacerdorium aſcendere conari, potius ut Deo ſerviat, quam ut Poteſtatem ſæcularem evadat, Paræciamque, ad cujus miniſterium adſcribi intendit, Sacerdotum inopia laborare, & per conſequens Eccleſiæ utilitati proficere. Ideo mihi dignus videtur præfatus Orator gratia, quam expoſcit.*

Tum ex Infamia *juris*, cum ex infamia *facti* contrahitur irregularitas, *cap. Qui aliquo crimine 4. diſt. 51.*, *cap. Infamem 17. cauſ.6. quæſt.1. Reiffenſt. lib.5. Decretal. tit.37. num.59.*, *Ferrar. verb. infamia num.12.* Infamia juris ex condemnatoria oritur ſententia, §.1. *Inſtit. de public. judic.*, *leg. Infamem ff. eod.*, *Ferrar. loc. cit. num.9.* Infamia facti ex vulgata opinione delicti, *Ferrar. verb. Irregularitas num.48.*, & *Sac. Congregatio in Novarien. 1. Octobris 1661, lib. Decret. 22. pag.667.* Non aliter promovendo ad ordines remittitur irregularitas ex infamia juris, quam ſi homicidium patraverit *non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo, ut quis ſe a morte defenderet*, ut ſtatuit *Sac. Concil. Tridentinum ſeſſ.14. cap. 7. de reform.* Adhiberi vero ſolet indulgentia cum irregulari ex infamia facti, ubi per triennem ſaltem emendationem vitæ deleta ſit opinio delicti, *Ferrar. verb. infamia num.22.*, *Habert Theolog. dogm. moral de diſpenſ. ad ordin. part.3. cap.5. §.8. in fin.*

Irregularis dici poſſet Orator ex Infamia juris, ex quo abſolutus non fuit ex capite Innocentiæ, paſſuſque eſt condemnationem in expenſas. Ponderare tamen dignentur Emi Patres, num talis cenſeri valeat, qui ab exilio, potiſſimaque homicidii pœna in gradu appellationis evaſit.

Si

Si hæc eum de causa irregularem potius censeant ex infamia facti, animo ex relatione Episcopi advertant, jam a patrato crimine lapsum esse decennium, penitusque deletam opinionem delicti; *ac bona vita moribusque Oratorem pollere*. In similibus fere terminis indulgentiam cum Sacerdote adhibuistis *in Nullius Montis Virginis irregularitatis* 5. *Aprilis elapsi anni* 1788. Sive ex una tandem, sive altera infamia procedat irregularitas, gratia dignum censet Episcopus Oratorem tum ex personalibus qualitatibus, cum ex inopia Sacerdotum in Paræcia, *ad cujus ministerium adscribi intendit*.

Quæritur ergo,

An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu &c.

Affirmativè.

FABRIANEN. Ad reparandam Collegiatam Fabriani Ecclesiam S. Nicolai, aliasque urbanas, & rusticas Capituli ædes, iterum atque iterum annis 1741., & 1781. terræmotu concussas, nonnullos Canonici ad summam scutorum 3226. 50. ex legitima facultate crearunt census, qui ad scuta 2396. 50. ex annuis depositis scutorum 44. imminuti sunt; altero in id ad mensem julium elapsi anni 1788. existente cumulo scutorum 160. 25. Ut obærato succurreret Capitulo, decennem Missæ conventualis reductionem ad dies Dominicos tantum concessit anno 1742. Sacra hæc Congregatio, eamque ad annum 1781. modo ad aliud decennium, modo ad quinquennium prorogavit. Semel vero errore ducti, quod non expirasset indultum, aliquandiu continuarunt Canonici in reducta Missæ conventualis applicatione, & absolutionem anno 1776. ab hac Sac. Congregatione obtinuerunt. Hoc ipsum fecerunt post novissimum indultum anni 1781. ad totum annum 1786., & compositionem a Fabrianensi Episcopo ex delegatis Rev. Fabricæ S. Petri facultatibus impetrarunt. Ac in eamdem tertio omissionem a mense Januario ad junium sequentis anni 1787. reciderunt, resumptaque ab eo tempore quotidiana Missa, EE. Vestris supplicarunt pro absolutione ab illis non applicatis; & ulteriore reductionis prorogatione; diverso tamen modo.

Sess. 21. cap. 7., & Sess. 25. cap. 4. de Reform.

Prio-

Prioris reductionis compendium in eorum ceſſit commodum. Illud ergo in dimiſſionem offerunt centuum ad annua ſcuta 2. 50. pro quolibet, tituloque compenſationis poſtulant, ut durante reductione, ſuſpendere dignentur EE. Veſtræ alia Miſſarum onera, unius ſcilicet hebdomadalis Miſſæ pro ſingulis primæ-erectionis Canonicis, & alterius pariter hebdomadalis cum cantu per turnum ex antiquiſſimis tabulis Cæſaris Pico, qui deficientis emolumentum reliquis accreſci juſſit; ac Miſſarum 25. pro reſpectivis Fundatoribus canonicatuum ſecundæ erectionis. Conſtat enim Capitulum ex duodecim Canonicis, quorum alii, qui primæ ſunt erectionis, communem habent maſſam, alii ex recentioribus inſtitutionibus propriam præbendam adminiſtrant.

Hactenus expoſita opportunis Epiſcopus comprobat documentis. In ea eſt ſententia, quod *licet æs alienum per Canonicos ex maſſa participantes tantum contractum ſit, tamen diffiteri non poteſt, æquitati conſonum eſſe, ut ceteri quoque Canonicorum aliquid conferant ad illud dimittendum; quod ex parte contractum fuerit pro ſarciendis domibus Capituli, atque Eccleſia, in quibus Canonici omnes habent manſiunculas, & reſpective Divina peragunt.* Suum vero circa ſuſpenſionem Miſſarum non aperit votum; ſed conſenſum tranſmittit Canonicorum ſecundæ erectionis in earum reductionem, & reſpectivum depoſitum ſcutorum 2. 50. pro quolibet in dimiſſionem alieni æris. Quoad reductionem denique Miſſæ conventualis ita concludit: *Ceterum veritati adſtipulatur Oratorum aſſertio tam quoad tenuitatem redituum cujuslibet præbendæ, quam quoad incrementum collectarum in precibus adnotatum. Adeoque quam ab anno 1742. ad 1781. experti ſunt clementiam EE. Veſtrarum, eamdem fortius modo promereri videntur.*

Primo itaque de reductione quæritur Miſſæ conventualis, ejuſque modo. Diuturnum quadraginta annorum indultum, quo jam gaviſi ſunt Canonici, impedimento eſſe poſſet, ne ulterius protrahatur quotidiana illius applicatio, quæ Divini Officii pars reputatur *in can. De his, diſt. 12., gloſſ. in Clement. 1. de celebr. Miſſ.* Tenues contra præbendæ, ex quibus deponunt adhuc Canonici annua ſcuta 44. in dimiſſionem æris alieni, juſta videri poterit prorogandæ reductionis cauſa ad dies Dominicos, aut feſtos ſaltem de præcepto, ex Encyclica *Cum ſemper oblatas* Benedicti XIV. Reque vera ſæpe hujuſmodi reductionem conceſſit Sacra Congregatio *in Amerina Miſſæ*

Con-

Conventualis 12. *Martii* 1746. *in Aretina* 18. *Novembris* 1769., *in Placentina* 30. *Julii* 1785., *in Laquedonien.* 20. *Septembris* 1788., non raro similia indulta durante causa prorogavit, ut *in Leodien. Prorogationis Indulti* 9. *Februarii* 1765.

Deliberandum insuper de proposito reductionis modo. Alienum quidem æs in insigni summa scutorum 2396 50. longissimum exigit spatium quinquaginta annorum, & ultra, ut ex annuo deposito scutorum 44 dimittatur. Valde idcirco utile esset depositum aliorum scutorum 30. ex annua cujuscumque Canonici dimissione scutorum 2.50. Sed ponderare dignentur Emi Patres, num concedi in compensationem debeat aliarum Missarum suspensio, quæ majus Canonicis afferret lucrum, quam quod ex Missa conventuali dimittere pollicentur. Maxime quia respectu ad legatum Pico enixa restitit Testatoris voluntas, ne ullo unquam tempore negligatur, imposita etiam delinquentibus pæna. Quandoque de cetero in parem reædificationis Ecclesiæ causam concessa fuit Missarum suspensio ad decennium, ut *in Auximana* 8. *Junii* 1765.

Agitur secundo de absolutione ab omissa quotidianæ Missæ conventualis applicatione a mense Januario ad junium anni 1787. Oratoribus favet præbendarum tenuitas, ex qua fortasse diurnum onus neglexerunt. Ubi aliqua enim rationabilis fuit excusatio, indulgentiam Sacra Congregatio adhibuit, ac præsertim *in Placentina Missæ Conventualis* 27. *Novembris* 1779. Urget contra recidiva post obtentam ab hac Sac. Congregatione similem absolutionem anno 1776., ac post compositionem anni 1786., quæ malam quodammodo sapit fidem, ob quam demandatum fuit Missarum adimplementum *in Bononien. Reductionis Servitii Chori* 24. *Novembris* 1787.

Dubia sunt:

I. *An, & quomodo sit proroganda reductio Missæ conventualis in casu &c.*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione in casu &c.*

Ad I. Quoad reductionem Legatorum negative; quo vero ad Missam conventualem affirmativè ad aliud decennium.

Ad II. Affirmative, impositio aliquali onere.

Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.

ÆSINA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Sex quotannis ex teſtamento Sacerdotis Joannis Mariæ Ingegneri ex Oppido Cupræ Montanæ, vulgo *Maſſaccio* diſtribuere tenetur heres dotalia ſubſidia ſcutorum 10. per ſortitionem in Feſto SS. Trinitatis. Ad ejus inſtantiam propoſitum fuit *in Congregatione diei 27. Novembris* 1784 Dubium: *An in caſibus deceſſus Puellarum nominatarum ante matrimonium ſit locus extractioni aliarum Puellarum, ſeu potius legatum cedat commodo heredis*; prodiitque reſcriptum: *Affirmative ad primam partem; negative ad ſecundam*. At expoſuerunt nuper Patres fam. Oppidi, plures ſibi heredem ad ſummam ſcutorum 200. jam devolutas attribuiſſe dotes, enixeque EE. Veſtras rogarunt tum pro illarum diſtributione, cum pro futura executione reſcripti anni 1784.

Parochus S. Laurentii, qui ad ſortitionem cum herede aſſiſtere debet, per Vicarium Capitularem Æſinum auditus, *& ipſe conqueritur de dotibus, ſive per obitum Puellarum, ſive per alium quemcumque titulum non diſtributis, ut par eſſet.* Heres vero per Vicarium ipſum exhibet Folium, in quo ad novum revocari poſtulat examen reſcriptum an. 1784.; rogatque pro gratia ſaltem diſtribuendi dotes abſque ſortitione; & quatenus EE. Veſtræ perſiſtant *in deciſis*, hoc tandem flagitat, ut ex ſcutis 30., in quibus dumtaxat conſiſtere aſſerit devoluta ſubſidia, reintegrari valeat de aſſertis ſumptibus propoſitionis anni 1784. in ſumma ſcutorum 20., ac de expenſa exemplati teſtamenti, ad Sacram Congregationem tranſmiſſi, in ſcutis 2. 40. Nihil Vicarius Capitularis de controverſa devolutarum dotium quantitate, vixque, a ferendo abſtinens voto, refert, Margaritam Grana Leoni heredem eſſe *valde pinguis hereditatis*.

Quibus rationibus heredem damnaverint EE. Veſtræ ad iteratam devolutarum dotium diſtributionem, ex *Folio* habent diei 21. Auguſti 1784. Ponderandum contra proponit heres, certum a Teſtatore deſignatum non fuiſſe Legati fundum, ſed quantitatem, quæ in lucrum cedit heredis, ubi impedita ſit illius erogatio, per *Text. in Leg. Legatum* 16. *ff. de uſu, & uſufruct. legat.*. Secum vero reputent Emi Patres, num regula hæc procedere valeat in caſu noſtro, in quo agitur de legato pio. Negant *Roman., & Aretin. in L. impoſſibilis ff. de verbor. obligat. & Rot. cor. Falconer. de Legat. deciſ.* 14. *num.* 15. Sive enim deficiat locus, ſive deficiant perſonæ, quibus legatum pium præſtari debet, implendam ſemper eſſe Teſta-

ſtatoris voluntatem vel eodem, vel alio ſimili modo, aut opere pio, tradunt *Gonzalez ad Cap. Nos quidem* 3. *de teſtamentis*, *Gratian. diſcept. forenſ.* 339. *num.* 29.

Ad liberam quod attinet ſubſidiorum collationem, notandum eſt, valde Teſtatorem de ſortitione ſolicitum fuiſſe; nam poſt demandatam buxoli confectionem coram heredibus, & Parocho S. Benedicti, ac in eorum defectum coram Prioribus Communitatis, ita diſpoſuit = *Il giorno poi della Santiſſima Trinità alla Meſſa ſolenne, voglio che ſe ne debba fare l'eſtrazione di ſei, preſenti i ſud. chiamati per l'aſſiſtenza a d. buſſolo*. Hæc in libera concedenda collatione commutanda eſſet voluntas; idque nonniſi ex juſta, & rationabili cauſa fieri debere præſcribit *Sac. Concil. Tridentinum Seſs.* 22. *cap.* 6. Nullam vero heres adducit legitimam cauſam.

Quatenus EE. Veſtræ ad primum dubium perſiſtant *in deciſis ad formam teſtamenti*, deliberandum erit de quantitate dotium, quæ iterum per ſortitionem conferri debent. Secundum Patresfamilias ſummam attingit ſcutor. 200., ſecundum heredem ſcuta 30. Nulla tamen in id eſt probatio. Quæcumque vero ſit diſtribuenda quantitas, deliberandum quoque erit de reintegratione aſſertarum expenſarum, de quibus in enarratione facti, & quas nullimode heres juſtificat quoad quantitatem. Cauſam ipſe egit anno 1784. ,ut dotes ſibi addiceret per obitum Puellarum devolutas. Quid amplius nuper impendit in exemplum teſtamenti, ut Patribusfam. coram EE. Veſtris reſiſteret. Hiſce ne ex pio opere reintegrari debeat expenſis, a Veſtro pendet judicio. In eum ex jure rejiciendæ ſunt litis expenſæ, cujus eſt illius compendium, *Bellett. diſquiſ. Cleric. de Cleric. debit.* §. 3. *num.* 40., *& ſeq.*, *Antonell. de jur.*, *& oner. Clericor. lib.* 2. *part.* 6. *Cap.* 12. *num.* 2.

Proponitur itaque.

I. *An, & quomodo ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.*

Et quatenus in deciſis.

II. *An, & ad quam ſummam diſtribuenda ſint dotalia ſubſidia devoluta in caſu &c.*

Non propoſita cum ſequenti.

Sess. 24. cap. 13. & Sess. 25. c. 4. de Reform.

CIVITATIS CASTELLI REDUCTIONIS ONERUM. Septem Rectori parochialis Ecclesiæ S. Joannis in Campo Tiferni Civitatis Castelli incumbunt Missarum onera. *Una* in singulos menses, annuæ in festo S. Antonii Patavini tres, totidemque in die Nativitatis B. M. Virginis Missæ ex ultima, ignota ceterequin voluntate Sacerdotis Joannis Latini Guidelli, pro quibus nonnulla erant, non amplius existentia prædiola, & census. Annuæ *decem* pro Anima Gentilis Palazzi, quæ domum anno 1649., adhuc vigentem, jamque distractum assignavit prædiolum. Aliæ *decem* ex legato Luciæ Jacobi anni 1680., pro quibus annuus est census scuti unius, & ob. 50. *Duodecim* ex dispositione Sacerdotis Joannis Guazzi anni 1691., quarum fundus alienatus fuit anno 1746. de licentia Episcopi pretio scutor. 30., quin de novo constet investimento. Ex eadem dispositione *triginta*; quo cum fundo ignoratur. *Duodecim* celebrandæ in Ecclesia S. Dominici ejusdem Civitatis ex postremis Bartholomæi qu. Joannis Baptistæ tabulis, quarum fundus venditus pariter fuit anno 1746. de licentia Episcopi pretio scutor. 40., in quam ea lam, latet. Hebdomadales tandem *quatuor* ex testamento Josephi Ciliegi anni 1705., pro quibus sunt scuta circiter 30. ex prædio, quod pro indiviso cum Hospitali Civitatis Castelli possidet Rector. Omnia autem hæc onera descripta sunt in tabella.

Paræciæ reditus contra vix annua cum incertis attingunt scuta 58., ut ex plurium annorum calculo refert Episcopus; sed detracta manutentione Ecclesiæ, pluribusque aliis, quibus gravatur oneribus, scuta duntaxat viginti remanent pro Rectore. Hac de causa hodiernus Rector Angelus Cioci ab anno 1783. quo Parochiam obtinuit, præmissa onera neglexit. Nuper vero *Sanctissimo* supplicavit pro absolutione quoad præteritum, & abolitione dd. onerum quoad futurum; precibusque ad Sac. hanc Congregationem remissis, hactenus exposita confirmat Episcopus, additque, quod licet alienationum causa *actio competere posset pro reintegratione, inutilis tamen inanisque redditur, tum quia aliquorum fundorum nulla est memoria, tum quia ultimus Paræciæ Rector, qui plerosque fundos alienavit, adeo obæratus occubuit, ut illius hereditaria bona, in inventario licet informi descripta, satis non fuerint ad solvendum æs alienum, quo opprimebantur.* In sensu autem est *absolvendi Rectorem supplicantem & non facta celebratione Missarum, quas tenebatur celebra-*

re

re in satisfactionem legatorum a die captæ possessionis usque in præsens. jubendo tamen eidem, ut in posterum Miss. jas celebret illorum legatorum, quorum fundus adhuc existit; reliquis, quæ fundo careat, penitus extinctis. Quo vero ad legatum Ciliegi, quem petit Rector; penitus extingui, illiusque redditus uniri Paræciæ, quocumque onere exemptos, equidem non indulgerem illius petitioni. Verum quum Paræciæ reditus nimis tenues sint, imparesque oneribus sustinendis indulgerem tantummodo supplicanti pro reductione Missarum ducarum, videlicet in singulas hebdomadas.

Ubi tenues profecto sunt Paræciæ reditus, providendum decernit *Tridentina Synodus sess.* 24. *cap.* 13. *de reform.* per abolitionem, & respectivam simplicium beneficiorum unionem. Num hæc vero conciliaris sanctio ad legata extendi valeat Missarum, a Vestro Emi Patres, pendet judicio. Cum aliis negat *Ferrar. in biblioth. verb. beneficium num.* 9 Deleta quidem, Episcopo teste, ex Pontificia gratia fuerunt onera alterius legati, quod Joseph Ciliegi reliquit Hospitali; sed ad levandam Paræciæ Meggiani inopiam rescripserunt nuper EE. Vestræ *in Spoletana* 27. *Junii labentis anni* pro applicatione dumtaxat legatorum Antonini, & Statera ad secundum quinquennium, addita clausula; *& interim curet Episcopus providere indigentiæ Paræciæ aliis mediis a Sac. Conc. Tridentino præscriptis.*

Justior abolitionis Missarum causa esse posset fundorum defectus absque culpa legatarii, *Monacell. form.* 19. *tit* 20. *part.* 1. *num.* 25., *& Sac. Congregatio in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783. Haud omnes tamen in nostro themate deficiunt; & qui existunt, sua ad manualem excedunt Missarum onera, quales sunt fundi Legatorum Palazzi, Luciæ Jacobi, & Ciliegi. Abolenda censet Episcopus legata fundis destituta; sed notandum contra, quod descripta sunt in tabella, eorumque onera, quantum præsumi licet, decessores adimpleverunt Parochi. In his porro terminis similem Sacra Congregatio abolitionem denegavit *in Romana* 6. *Maii* 1786., *& 24. Martii* 1787. *in Romana Legati* 19. *Januarii* 1788., *& in Firmana* 14. *Martii hujus anni.*

Hoc etiam ad primum quærendum est Dubium, num quoad ea præsertim Legata, quorum existunt fundi, concedi saltem debeat Missarum reductio. Ita suadere videtur Paræciæ inopia, de qua solicitus est Episcopus, & ob quam Sacra Congregatio nedum quinquennem legatorum applicationem, sed Missarum etiam reductionem concessit

in

in cit. Spoletana. Alia vero ex parte obesse posset onerum acceptatio, eorumque diuturnum adimplementum, juxta sententiam Sacræ Congregationis *in Bononien. Reductionis Servitii Chori 16. Junii 1787.*

Indulgentia forsan dignus quoad secundum videbitur Orator, qui præ tenuitate parochialium redituum, celebrationem omisit Missarum. Adversus eum vero urget, quod cognitum onus pluribus annis neglexerit, legitimamque Sacræ Congregationis auctoritatem ad consequendum levamen non imploraverit, redituſque Legatorum Palazzi, & Luciæ Jacobi lucratus fuerit.

Quæritur.

I. *An, & quomodo sit locus abolitioni legatorum, seu potius reductioni in casu &c.*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu &c.*

FINIS.

INDEX

INDEX

RESOLUTIONUM,

Quæ prodierunt in Cauſis in Sac. Congregatione Concilii propoſitis anno 1789.

A

ADminiſtratio Parochialis Eccleſiæ S. Petri Montis Martiani, ob illius erectionem in Collegiatam inſignem, tribuitur Capitulo, exceptis iis, quæ ad curam pertinent Animarum, ad formam decreti editi ab Emo Epiſcopo Senogallienſi anno 1781., *Senogallien.* 13. *Junii pag.* 106. *ad I. Dub.*

Adminiſtratio hereditatis Zerbinatæ, in ſpirituales dotes deſtinatæ, Foroſempronienſi adſcribitur Epiſcopo, cui Clemens XI. illius rationes reddi mandavit; quinquagenaria accedente obſervantia, *Foroſempronien. Subſidiorum Dotalium* 8. *Auguſti pag.* 169. *ad III. Dub.*

Adminiſtrationem bonorum Collegiatæ Eccleſiæ S. Nicolai Montis Prandonis retineri poſſe decernitur abſque cautione per Sacerdotem Felicem Novelli, juxta reſolutionem capitularem; *Ripana Adminiſtrationis* 19. *Septembris pag.* 197.

Affrancatio quorumdam ſterilium bonorum de directo dominio Collegiatæ Eccleſiæ Oppidi S. Agathæ permittitur Canonicis juxta votum Feretrani Epiſcopi, ad rationem nempe ſcutorum 10. pro quolibet centenario valoris fundi, *Feretrana* 18. *Julii pag.* 152.

Denegatur vero Priori Xenodochii Pietatis Fulginei favore ejus, qui ſubhaſtari fecit emphyteuticum ipſius Xenodochii fundum, eumque tradere debet emptori a canone liberum, *Fulginaten.* 29. *Auguſti pag.* 188.

Alienatio juris exigendi penſiones domus adnexæ beneficio Lauretanæ Baſilicæ, iterum non obſtante conſuetudine, per reſcriptum *in decisis* declaratur nulla, & cui ſint reſtituendi fructus, remittitur ad Secretarium cum Sanctiſſimo, *Lauretana Nullitatis Contractus* 17. *Januarii pag.* 1.

Alienatio domus, & viridarii capellaniæ Mancini erectæ in Eccleſia PP. Prædicatorum Maceratæ, permittitur Dominico Mancini capellano, qui apud Patrem in Oppido Saxoferrato moratur, tenuemque ex illis percipit penſionem, *Maceraten.* 4. *Aprilis pag.* 49. *ad I. Dub.*

Eorumque pretium inveſtiendum præſcribitur in bonis ſtabilibus; ſin minus in cenſibus cum Locis Piis, aut Communitatibus Status Eccleſiaſtici arbitrio Epiſcopi; *ibidem ad II.*

Archipræsbytero collegiatæ Eccleſiæ S. Petri Montis Martiani interdicitur a chipresbyteralis domus communicatio cum choro, eique permittitur communicatio cum Eccleſia per alteram januam in latere oppoſito, juxta decretum Emi Epiſcopi anni 1781., *Senogallien.* 13. *Junii pag.* 106. *ad II. Dub.*

Archipresbyter ipſe, & Manſionarii Curati, in deferendo SS. Viatico ſeſe abſtinere debent intra Eccleſiam a cantu, chorali tempore, ad formam decreti decimi ejuſdem anni 1781., *ibidem ad XVII.*

Archipresbyter. Vid. Confraternitas. Eccleſia, Manſionarii. Supplicationes.

B

BEneficium potius unum cum onere quotidianæ Miſſæ ex tenui reditu hereditatis *Colombi*, quam duo juxta diſpoſitionem Fundatoris cum onere celebrandi tot Miſſas, quot ille ad rationem obolorum 20. pro qualibet ferret, erigendum eſſe decernitur in Eccleſia SS. Caroli, & Annæ Oppidi Caſtellatii, *Alexandrina* 8. *Auguſti pag.* 168.

C

CAndelæ in die Purificationis B. M. Virginis diſtribuendæ ſunt inter Canonicos, & Manſionarios collegiatæ Eccleſiæ S. Petri Montis Martiani ſumptibus Archipresbyteri, arbitrio Epiſcopi quoad earum pondus, *Senogallien.* 13. *Junii pag.* 106. *ad Dub. XIX.*

Canonicatus Oppidi *Cerioli* retentio cum amovibili

bili Rectoratu Parochiæ confermini Oppidi *Capsinæ Grossæ* deneganter pauperi Sacerdoti Petro Mariæ Scotti ob dissentium Parochi, Cleri, & Populi Cerioli, *Alexandrina Canonicatus* 29. *Augusti pag.* 179.

Canonici insignis Collegiatæ Oppidi Ariciæ, de congrua præbenda provisi, damnantur ad recitandum integrum Divinum Officium in choro diebus festis ad formam Motus proprii Alexandri VII., & decretorum Cardinalis Gesualdi Albanensis Episcopi, & Apostolici Visitatoris Thomati, licet per centum annos, & ultra illud recitare consueverint diebus tantum solemnioribus, *Albanen.* 16. *Maii pag.* 87.

Canonicatus. Canonici. Vid. Ecclesia. Electio. Expensæ. Missa. Reductio.

Capellania instituta a Joanne Trevisani, addicitur septenni ejusdem familiæ Clerico legitime nominato, denegata Joanni Mariæ Benedetti illius retentione suo administratore ad complementum utilis septuagenariæ, ad quam Fundator ejus familiæ Clericos vocavit, *Firmana Capellaniæ* 25. *Aprilis pag.* 79.

Capellania erecta in Ecclesia S. Petri Somneni ex testamento Sacerdotis Friderici Butii absque onere celebrandi per se ipsum, adjudicatur Sacerdoti Angelo Schiera Carpineti Archipresbytero passive vocato, qui ex transactione inita cum illis de Bernardinis beneficium habet turni, *Terracinen., seu Privernen. Capellaniæ* 8. *Augusti pag.* 168.

Capellania instituta a Sacerdote Joanne Massi in Ecclesia S. Philippi Nerii Perusiæ, declaratur ad formam codicillorum laicalis, licet eam heres erigi fecerit in titulum; & absolvitur a recitatione Divini Officii Clericus Danzetta, qui illam per Apostolicas Literas obtinuit, *Perusina* 29. *Augusti pag.* 191.

Capellaniam Garbi cum onere hebdomadalium Missarum quatuor ad Altare B. M. Virginis Dolorum, & anniversarii in Parochiali Ecclesia S. Nicolai ad Forum Archimonium Urbis, ad quam Fundator vocavit Patrem Masetti ejusdem Ecclesiæ Parochum, ejusque successores, retineri posse decernitur ab omnibus Parochis ad formam Testamenti, non obstante contradictione Superiorum Ordinis quoad successores, *Romana Capellaniæ* 16. *Maii pag.* 92. *ad I. Dub.*

Et denegatur translatio anniversarii, licet illius etiam celebrationi in designata Ecclesia Superiores contradicant, *ibidem ad II.*

Capellania instituta per Antonium de Bellis in Collegiata Ecclesia S. Mariæ Arcisgorgæ, addicitur Francisco de Bellis tanquam illius proximiori consanguineo, non obstantibus Apostolicis *gratiosæ subrogationis* Literis, expeditis per Jo. Baptistam de Nardis præsentatum a remotioribus consanguineis, *Terracinen. seu Setina Capellaniæ* 28. *Novembris pag.* 217.

Capellanus institutus a Bernardino Silvestri in Parochiali Ecclesia Oppidi de Acunia confirmatur in possessione bonorum sub obligatione præstandi per decennium annua scuta viginti pauperibus filiis heredis usufructuariæ, aliaque viginti ejus exprædefuncto filio nepotibus, *Lucana* 17. *Januarii pag.* 7.

Capellanus Altaris B. M. Virginis Consortii, existentis in collegiata Ecclesia S. Petri Massæ Fiscalæ, denuo per rescriptum *in decisis, & amplius*, ad ea omnia damnatur, quæ favore Societatis Consortii super novem dubiis decreta fuerunt die 7. Junii 1783., *Cervien.* 14. *Martii pag.* 40.

Capellanis Imperiali, quibus onus est celebrandi quotidianam Missam in Ecclesia S. Joannis Baptistæ Nationis Januensis de Urbe, & residendi in ejus ædibus, celebratio indicitur per se ipsos, *Romana Capellanorum* 27. *Junii pag.* 133. *ad I. Dub.*

Eorumque menstruum assignamentum scutex distribuendum esse rescribitur in obolos viginti pro qualibet Missa, retinendos in casu omissæ celebrationis favore Ecclesiæ, detracta alterius Sacerdotis celebrantis eleemosyna, *ibidem ad II.*

Capellania. Vid. Alienatio. Missa.

Census impositio permittitur juxta votum Episcopi Canonicis Cathedralis Forolivii in summa scutorum 700. ad dimittendos artifices, qui domum reparabant Capituli *Forolivien.* 13. *Junii pag.* 105. *ad I. Dub.*

Pro solutione autem ejus fructuum, & extinctione sortis annuum demandatur depositum superexistantium scutorum 40. hereditatis Ugolini, in anniversaria, & Missas destinatæ, & scut 20. ex pensionibus reparatæ domus, *ibidem ad II.*

Et consulitur Sanctissimo pro absolutione ob omisso per biennium depositio in extinctionem alterius antiquioris census pro eadem reparatione impositi, *ibidem ad III.*

Cessio sylvæ adnexæ Cœnobio S. Laurentii Minorum Observantium Beneventi facta per Syndicum Apostolicum favore mensæ Archiepiscopalis, & successiva emphyteusis per mensam inita cum assignatione canonis Sacrario Patrum, juxta votum Procuratoris Generalis Ordinis reprobatur, & denegandum esse decernitur Apostolicum Beneplacitum, *Beneventana* 4. *Aprilis pag.* 54.

In concursu ad Parochiam S. Michaelis Archangeli Macerate Feltriæ merito reprobatus declaratur unicus candidatus Petrus Rossini Parochus S. Theodori ejusdem Oppidi *in Feretrana Concursus* 28. *Novembris pag.* 217.

Confraternitatem SSmi Rosarii erectam in collegiata Ecclesia S. Petri Montis Martiani subesse declaratur Archipresbytero ejusdem Ecclesiæ, sub cujus regimine ante erectionem Collegiatæ fuit ex fundatione, *Senogallien.* 13. *Junii pag.* 106. *ad VIII. Dub.*

Di-

D

Distributiones perceptæ a Sacerdote Philippo Tuschio beneficiato S. Mariæ Transtyberim post expiratum abessendi indultum, iterum atque iterum ob bonam ejus fidem remittuntur ipsius heredibus, *Romana Distributionum* 4. *Aprilis pag.* 49. & 8. *Augusti pag.* 174.

Distributiones Mansionariorum Collegiatæ Ecclesiæ S. Martiani computandas esse præscribitur quolibet mense, solvique debere ex illorum salario; utroque vero absente a choro adjudicandas esse Sacrario Ecclesiæ, juxta decretum Emi Episcopi anni 1781., *Senogallien.* 13. *Junii pag.* 106. *ad Dub. XIII.*

Deponi autem debere singulis mensibus per ipsos Mansionarios in manibus Sacristæ, *ibidem ad XIV.*

Dotale subsidium relictum a Constantia Zerbinati puellis Montis Veteris, professionem emissuris in Monasterio ibi erigendo, & annuente Clemente XI. non erecto, addicitur Angelæ Ricci puellæ originariæ in exclusionem Ursulæ Baldelli adlectæ; & in futurum deberi statuitur aliis originariis puellis Oppidi, & Territorii prælative ad filias adlectorum, in integra summa necessaria ad induendum habitum religiosum in monasteriis vicinioribus, *Foroseminonten. Subsidiorum Dotalium* 8. *Augusti pag.* 169. *ad I. Dub.*

Jus vero nominandi puellas competere Episcopo, cui Clemens XI. universam dedit pii operis curam; salva tamen auctoritate Sacræ Congregationis, in Clementino Brevi reservata, & audita super verificatione requisitorum Communitate Montis Veteris, cui commisit Testatrix priorum puellarum electionem, *ibidem ad II.*

Dotale subsidium relictum a March. Nicolao de Raimundis pauperibus puellis Urbis, denegatur nobili puellæ Annæ Compradetti Imolensi, heredis consanguineæ *in Romana Subsidii Dotalis* 28. *Novembris pag.* 218.

Dotale subsidium Valerii Bonafede quotannis præstandum per Societatem Misericordiæ Urbis pauperi puellæ, dummodo soror non sit alterius dotatæ, conceditur potius juxta votum Emi Protectoris, & resolutionem Sodalium Ursulæ Antolini pauperi, cujus consanguinea etiam soror illud obtinuit, quam Mariæ Josephæ Toni diviti *in Romana Subsidii Dotalis* 28. *Novembris pag.* 222.

Dotalium subsidiorum suspensio conceditur Collegio Subsidii Ecclesiastici Urbis, in locum Sodalitii SS. Catharinæ, & Ursulæ subrogato, usque ad dimissionem debiti scut. 596. pro tot dotibus a Sodalitio promissis *Romana Suspensionis Dotium* 25. *Aprilis pag.* 69.

Dotatæ ex subsidiis Luciæ Sgarroniæ solvuntur a menstruo officio Defunctorum, & hebdomadali Rosario SS. Salvatoris; & harum precum loco demandatur in singulos annos celebratio Missarum 12. ex redundantibus ipsius hereditatis Sgarroniæ reditibus, *Romana Commutationis Voluntatis* 14. *Martii pag.* 39.

Dotatis ex subsidio Joannis Felicis Domizj sub conditione regressus dotium in casu obitus sine filiis, satis esse declaratur juratoriam Virorum obligationem, deficientibus in parvo Montis Rinaldi Oppido fidejussoribus, *Firmana Commutationis Voluntatis* 14. *Martii pag.* 40.

Des. Vid. Administratio. Eleemosyna. Legatum.

E

Ecclesiæ Cathedralis Asculi quæstiones, majori ex parte in contumaciam Capituli resolutæ favore Promotoris Fiscalis Episcopi die 12. Julii 1788., aliæ contradicentibus Partibus confirmantur, aliæ moderantur, aliæ ad particulare reservantur examen.

Quæ confirmantur, sunt: *Prima* de non convertendis Ecclesiæ, seu fabricæ reditibus in proprias res, & lites Capituli: *Tertia* super exequutione decreti Cardinalis Bernerii Asculani olim Episcopi, nè impensam Camerarii excederent scutorum 10. irrequisito Capitulo, & sine licentia Vicarii Generalis in scriptis: *Sexta* super exequutione præcepti hodierni Episcopi, ne quidquam, ipso irrequisito, Æconomus Ecclesiæ solvat pro extraordinariis impensis: *Septima* de hujusce præcepti extensione ad futuros Æconomos: *Octava* de cautione ab ipsis præstanda: *Nona* de cautione præstanda per Canonicos filios fam; a Capitulo electos ad officia Ecclesiæ: *Decima* de reddenda redituum fabricæ ratione: *Undecima* super custodia ordinum post eam redditam: *Duodecima* de pœna eos scindentium: Et *decimaquarta* de jure Episcopi quoad præjudicialem administrationem bonorum Capituli.

Moderantur resolutiones *secunda*, & *decimatertia*. Altera, quæ respicit terminum Capitulo præfigendum ad reddendam *in genere* rationem redituum fabricæ, restringitur *ad ultimum decennium*. Et altera, qua sub nullitatis pœna interdicebantur locationes bonorum Ecclesiæ, seu fabricæ inaudito Episcopo, confirmatur cum clausula, *dempta pœna*.

Et ad particulare reservantur examen resolutiones *quarta*, & *quinta* per rescriptum, *dilata*, & *proponatur particulariter sub congruo Dubio*: *An sit standum, vel recedendum a decisis sub die* 30. *Novembris* 1673., *quoad expensas Castri Maltineani; Asculana* 7. *Februarii pag.* 21.

Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Montis Martiani sacra indumenta, lumina, aliaque Divino cul-

tui neceſſaria, quæ reſpiciunt Capitulum, manutenenda ſunt communi Canonicorum, & Archipræsbyteri ſumptu, & ab uno Archipræsbytero, quæ ipſum tangunt uti Parochum. Manutentio vero fabricæ, & campanarum ſpectat pro tertia parte ad Capitulum, & pro reliquis duabus partibus ad Archipresbyterum, *Senogallien* 13. *Junii pag.* 106. *ad III. Dub.*

Eccleſiæ Cathedralis Arimini reparatio injungitur Capitulo ex reditibus maſſæ capitularis, in quam coaluerunt bona donata Eccleſiæ, ejuſque fabricæ. Accedentibus potiſſimum ipſius Capituli Conſtitutionibus, Viſitationum decretis, Sac. Congregationis reſcriptis, & obſervantia, *Arimin. Reparationis Eccleſiæ Cathedralis* 19. *Septembris pag.* 199. *ad I. Dub.*

Hinc ac formam decreti Sacræ Congregationis anni 1633. prohibentur Canonici ſibi applicare, & dividere, juxta inveteratum abuſum, reditus menſæ capitularis, *ibidem ad II.*

Et damnantur ad illorum reſtitutionem ab anno 1686. quo incepta eſt lis, *excluſive*, remilla ad Secretarium cum Sanctiſſimo abſolutione quoad præteritum, *ibidem ad III.*

Eccleſia. Vid. Adminiſtratio. Feſtum. Functiones. Manſionarii. Media Annata.

Electio Sacerdotis Agnelli ad canonicatum Cathedralis Montis Alti, ter cum redundantibus ſuffragiis factam a generali Communitate Porculæ Conſilio, declaratur nulla, & denegatur Agnello inſtitutio, *Montis Alti Canonicatus* 25. *Aprilis pag.* 76. *ad I Dub.*

Neque relaxandas eſſe reſcribitur ſupplicationes Aloyſii Ferrari, & Philippi Herculani, quorum alter Canonicatum a Dataria Apoſtolica jure devoluto, alter ex nominatione Epiſcopi poſtulavit; ſed iterum infra menſem deveniendum ad electionem, *ibidem ad II.*

Utraque reſolutio confirmatur *die* 18. *Julii pag.* 148. *ad I. Dub.*, ac relaxandam inſuper non eſſe decernitur gratiam *ſi nulli*, favore Herculani ſignatam pendente Communitatis recurſu ad Sac. Congregationem pro prorogatione termini ad præſentandum, *ibidem ad II.*

In tertia tamen propoſitione ex decreto R.P.D. Auditoris Sanctiſſimi, prodiit reſcriptum: *Prævio receſſu a deciſis, inſtitutionem dandam eſſe Agnelli*, *pag.* 234.

Eleemosynam annuam ſcutorum 100., diſtribuendam a Sodalitio Urbis nuncupato *delli Saccoti* ex diſpoſitione Antonii Peluccbi, pro dimidia parte aſſignavit Sacra Congregatio pauperibus filiis Margaritæ Pacini Teſtatoris conſanguineæ. Hujuſce ſubſidii compartitio denegatur Annæ Mariæ Pacini *del Drago* alteri illius filiæ, quæ jam conceſſionis tempore nupſerat, neque in petitione, & grata comprehenſa fuerat *Romana* 7. *Februarii pag.* 22. *ad I. Dub.*

Li tamen ad vitam aſſignatur unum ex quatuor ſubſidiis dotalibus ab eodem Teſtatore relictis, *ibidem ad II.*

Eleemosynas colligendas in Eccleſia collegiata S. Petri Montis Martiani, cuſtodiendas eſſe decernitur per Sacriſtam, exceptis eleemosynis ad Societatem B. M: Virginis Roſarii pertinentibus, *Senogallien.* 13. *Junii pag.* 106. *ad X. Dub.*

Emphyteuſis bonorum pii Operis de Romanis conceſſa primum fuit ſalvo jure ſextæ, ad tertiam generationem maſculinam Joſepho Santarelli, qui inſignia deſponsit meliora menta, licet majorem obtuliſſet canonem, Gaudentius Stazj, *Tyburtina Emphyteuſis* 29. *Auguſti pag.* 182., deindeque prævio receſſu a deciſis, tribuitur Statio, ſalvo pariter jure ſextæ, *in eadem* 19. *Decembris pag.* 234.

Emphyteuſis. Vid. Affrancatio. Ceſſio.

Expenſe litis actæ a Canonicis Montis Martiani pro vindicandis juribus Capituli, contribui etiam debent a diſſentientibus pro virili, excepto Archipresbytero eorum adverſario, *Senogallien.* 13. *Junii pag.* 106. *ad XX. Dub.*

F

Feſtum SS. Crucis interdicitur in Eccleſia Minorum Obſervantium conventus Siroli eodem die, quo ex immemorabili conſuetudine celebratur in Eccleſia SS. Crucifixi Humanæ, *Ancontana Translationis Miſſarum* 14. *Martii pag.* 39.

Functiones omnes Eccleſiæ S. Petri Montis Martiani celebrandas eſſe decernitur per Capitulum, exceptis Miſſis pro Populo, & præſente cadavere, *Senogallien.* 13. *Junii pag.* 106. *ad VI. Dub.*

Diſtinguendas vero Parochiales a non parochialibus juxta decreta generalia Sac. Congregationis Rituum anni 1703., *ibidem ad VII.*

I

Irregularitas contracta a Clerico Jo. Franciſco Valriviere per involuntarium, & caſuale homicidium, poſt quinquennium remittitur *in Cadurcen. Diſpenſationis ab Irregularitate* 16. *Maii pag.* 88.

Eadem, prævio receſſu a deciſis, adhibetur indulgentia cum Clerico Franciſco du Soulier, qui poſt actum duellum, commilitonem repente in ſe irruentem per ſimplicem gladii oppoſitionem interfecit, *Lemovicen. Diſpenſationis ab Irregularitate* 8. *Auguſti pag.* 168.

Irregularitatis quoque diſpenſatio ad enixa Emi Epiſcopi vota conceditur Sacerdoti homicidæ Franciſco Serafini, qui diuturnam egit pœnitentiam, & iteratam paſſus fuit repulſam, *Sabinen. Irregularitatis* 27. *Junii pag.* 134.

Denegatur vero Sacerdoti Marco de Mattia, qui quatuor fere abhinc annis aggreſſorem

rem interfecit clericum Angelum Biscontini, *Concordien. Dispensationis ab Irregularitate* 27. *Junii pag.* 135.

Irregularitas contracta ex opinione homicidii, per sententiam, & decennium deleta, remittitur Josepho Gonzalez *in Lucen. Dispensationis ab Irregularitate* 19. *Decembris pag.* 238.

Jurispatronatus venditio de Rectoratu Accursi Immaculatæ Conceptionis Montis Milonis, ab illis expleta de Caccialupi, & Raccamadori favore Dominici Assortati, reprobatur *in Maceraten. Jurispatronatus* 18. *Julii pag.* 149. *ad I. Dub.*

Et consulendum rescribitur Sanctissimo pro absolutione Venditorum, imposita salutari pœnitentia arbitrio Episcopi, monitoque Assortato emptore, ut consulat conscientiæ suæ, *ibidem ad II.*

L

Legatum annuum, pauperibus Ariminensibus relictum a Marco Antonio Gisgoni, denegatur integrum Urbinatensibus consanguineis Testatoris, qui jam ex indulgentia Clementis XIV., & Sac. Congregationis annua ex illo habent subsidia, *Urbinaten. seu Ariminen.* 17. *Januarii pag.* 1.

Legatum subsidiorum dotalium Præsulis Jo. Baptistæ Cànobi, a Ratiocinatore Societatis S. Mariæ Urbis ad scuta 2000. expilatum, reintegrandum statuitur ex recadentiis dotium non solutarum; ideoque consulendum Sanctissimo pro derogatione Brevis Pauli V., & decreti Sac. Visitationis de iis erogandis in dimissionem alieni æris Societatis, *Romana* 17. *Januarii pag.* 2. *ad I., & II. Dub.*

Legatum pium Sacerdotis Petri Seccadelli, ob repudiatam hereditatem nondum exequutum, adjudicandum non esse rescribitur Laurentio illius nepoti, cui satis patruus, ejusque filiis consuluit per annuum legatum scutorum decem, ac trium domorum usumfructum, *Faventina Commutationis Voluntatis* 25. *Aprilis pag.* 69. *ad I. Dub.*

Ex hac vero Laurentii petitione inductam non esse caducitatem, quam indixit Testator in casu recursus a sua dispositione, *ibidem ad II.*

Legati prædii loco permittitur Marchioni Zambeccario, bonæ fidei possessori, numeratio scutorum 1000. consentienti Societati *de Batuti Bianchi* in celebrationem Missarum; eorumque demandatur investimentum cum solitis cautelis, *Ravennaten. Legati* 25. *Aprilis pag.* 72. *ad I. Dub.*

Et consulitur Sanctissimo pro illius absolutione a Missis ante cognitum legatum non celebratis, cum onere celebrandi pro una vice Missas centum, *ibidem ad II.*

Legatum. Vid. Missa.

M

Mansionarii collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Montis Martiani provideri debent suis sumptibus de Almutia, *Senogallien.* 13. *Junii pag.* 106. *ad XV. Dub.*

Eamque non deferentes in choro, & supplicationibus, habentur pro absentibus, *ibidem ad XVI.*

Ipsorum alter vacans a choro, vacare etiam nequit ab Animarum cura, pro qua stipendium habet ab Archipresbytero, *ibidem ad XVIII.*

Mansionarii. Vid. Distributiones.

Matrimonium ratum, & non consumatum inter Marchionissam Angelam Muscat, & Com. Franciscum Bianchi, dispensandum esse decernitur. Illud enim contraxit Angela in ætate annorum quatuordecim ad instigationem Matris, ne iterum detruderetur in monasterium, in quo plura jubente Patre passa fuerat; constantique animo aversatur Conjugi, qui æque ab ea est alienus, *Melevitana Dispensationis* 7. *Februarii pag.* 22., & 4. *Aprilis pag.* 50.

Matrimonium. Vid. Parochus.

Media annata debetur Cathedrali Ecclesiæ Reatinæ a Canonicis, Beneficiatis, & Clericis Beneficiatis, juxta resolutiones Sac. Congregationis 12. Maii 1770, non obstantibus quorumdam bonorum donationibus favore eiusdem Ecclesiæ, *Reatina Mediæ Annatæ* 16. *Maii pag.* 89.

Missa conventualis celebrari non debet per Archipresbyterum, & duos Canonicos Ecclesiæ S. Stephani Terræ Flaviani, omnibus deficientibus collegialitatis signis, *Nepesina Missæ Conventualis* 16. *Maii pag.* 96.

Missa anniversaria, quam Capellani Capobianchi canere tenentur in collegiata Ecclesia S. Pauli Civitatis Veruli, in qua tumulatum est Fundatoris cadaver, construique debet illius depositum, transferenda non est, licet Canonici ob tenuitatem mercedis eam canere renuant, *Verulana Translationis Missæ* 16. *Maii pag.* 87.

Missa pro Populo ab omnibus applicanda amovibilibus Vicariis, seu Curionibus Egitanensis Diœcesis, qui ut veri instituuntur Parochi, suo nomine Sacramenta ministrant, & distinctam habent congruam, quamvis nonnulli eorum subditi certis erga Matrices graventur oneribus in signum honoris, *Egitanien. Visitationis Sac. Liminum* 18. *Julii pag.* 147.

Non item a Beneficiatis Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatæ S. Mariæ de Castello Castri Albi, licet imperantibus Parochis, quibus subsunt, eam applicare consueverint. Applicare tamen tenentur ex lege fundationis conventualem, etsi collegium non constituant, *Castri Albi Visitationis Sac. Liminum* 18. *Julii pag.* 147. *ad I. Dub.*

Onus enim applicandi Missam pro Populo

incumbit Parochis per se ipsos, *ibidem ad II.*

Ac Rectoribus etiam Ecclesiarum filialium Diœcesis Castri Albi, qui pares sunt Egitaniensibus Curionibus, *ibidem ad III.*

Missæ quotidianæ translatio de consensu Parochi, & Populi Villæ Ceresiti permittitur ab ejus parochiali Ecclesia ad alteram ab Episcopo designandam, adimpletis in illa per Beneficiatum aliis oneribus, ac emissa per eum renunciatione activis servitutibus, quas in eadem habet Ecclesia, juxta votum Episcopi, *Bugellen. Translationis Onerum 19. Septembris pag. 197.*

Missam quolibet die festo applicare debèt Rector Ecclesiæ S. Bernardini Oppidi Montis Galli pro Populo, ob demandatam a locali Statuto illius celebrationem cum stipendio, & observantiam, *Asculana 29. Augusti pag. 185. ad I. Dub.*

Consulitur tamen Sanctissimo pro Missis non celebratis; & Sanctitas sua benigne annuit pro gratia, celebratis cum applicatione Sacris quinquaginta, *ibidem ad II.*

Eam vero celebrare non tenetur tribus aliis hebdomadæ diebus protestis ad formam ejusdem Statuti, tum ex præsumpta reductione, cum ex desuetudine, *ibidem ad III.*

Missæ hactenus celebratæ per Minores Observantes Conventus Sirodi in Ecclesia SS. Crucifixi Humanæ tranferri non debent ex privata quæstione circa quantitatem eleemosynæ, *Anconitana Translationis Missarum 14. Martii pag. 39. ad I. Dub.*

Missæ præscriptæ a Clara Rosati Patribus Carmelitis Æsii ex fructibus capitalis scutor. 50.. celebrandæ sunt ad formam schedæ in articulo mortis exaratæ a fiduciario Religioso; ab anno tamen 1777., quo ea summa investita fuit favore Conventus, & in annuis decem, *Æsina Legati 25. Aprilis pag. 70, ad I., & II. Dub.*

Neque ad hoc implendum onus indigent Religiosi Superiorum Ordinis venia, *ibidem ad III.*

Missarum translatio ab Oppido Montis Novi ad illud Montis S. Viti, in proprium commodum petita a Mario Arcangeli, denegatur *in Senogallien. Translationis Missarum 17. Januarii pag 10.*

Missarum legatum relictum a Liberato de Francisco parochiali Ecclesiæ SS. Laurentii, & Nicolai Oppidi de Morisco, descriptum in tabella, ac per centum annos, & ultra exequutum, in futurum etiam adimpleri debere decernitur, licet deficiat ejus fundus, *Firmana 14. Martii pag. 39.*

Missarum trium hebdomadalium onus, solidaliter assumptum a Sigismundo, ejusque nepotibus de Pajolis in fundatione capellaniæ, in solidum quoque ferri debere statuitur a Marchione Gavassini, & Comite Aventi illorum successoribus; reservato tamen Comiti, qui minorem habet hereditatis partem, jure agendi contra Gavassinium coram Ferrariensi Archiepiscopo pro æquando inter ipsos onere, *Ferrarien. Reductionis 27. Junii pag. 133.*

Missarum celebratio indefinite permittitur in publico Oratorio Incolarum Brignolæ, & Plani, qui ad numerum circiter 300. difficilem habent accessum ad Parochialem, quamvis aliter in Sacra Visitatione decreverit Episcopus, *Derthonen. 8. Augusti pag. 167. ad I. Dub.*

Missas a Josepho Quatrini in qualibet Oppidi Amandulæ Ecclesia præscriptas, celebrari posse declaratur in altera ex suburbanis Ecclesiis Altari privilegiato decoratis, *Firmana 29. Augusti pag. 179.*

Missa, Vide Capellanus, Reductio.

O

Officiales minores Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Montis Martiani eligendos esse præscribitur capitulariter ad formam decreti lati ab Eminentissimo Senogalliensi Episcopo anno 1784., eorumque stipendium sumendum esse ex dote Sacrarii, *Senogallien. 13. Junii pag. 106. ad XI. Dub.*

Ac inter eos dividenda esse per Sacristam incerta, *ibidem ad XII.*

Ordinatio Conversi subditi facta per Abbatem Cisterciensem dum abbatialem exercebat jurisdictionem, declaratur valida, *Congregationis Cisterciensis 28. Novembris pag. 219. ad I. Dub.*

Consulitur tamen Sanctissimo pro absolutione, rehabilitatione, & dispensatione ab irregularitate, quatenus Conversus illicite ordinatus contra Constitutiones Clementis VIII., & Cisterciensis Ordinis in ordinibus ministraverit, *ibidem ad II.*

P

Parochiæ pauperis S. Xisti translatio ad alteram S. Antonii Minorum Reformatorum Oppidi S sci, denegatur ad preces Siscensis Communitatis, præcipiturque Vicario Capitulari, ut provideat curæ Animarum prout de jure, *Marianen. 7. Februarii pag. 22.*

Parochia. Vide Concursus.

Parocho, seu Archipresbytero Ecclesiæ S. Pauli Civitatis Novæ iterum per rescriptum *in decisis* assignandam esse decernitur parochialem domum a Capitulo juxta capitularem resolutionem diei 7. Septembris 1786., *Firmana 7. Februarii pag. 21.*

Parocho inopi Oppidi Meggiani de consensu interesse habentium succurritur per assignationem legatorum Antonini, & Statera, ac reductionem Missarum 85. ad 60. ad aliud quin-

quinquennium, ita tamen, ut interim provideret curet Episcopus indigentiæ Parochiæ aliis mediis a Sac. Conc. Tridentino propositis, *Spoletana* 27. *Junii pag.* 134.

Pro Parochis Bosæ in Sardinia recte per decretum synodale inter licitum decernitur, ne absque particulari facultate Parochorum in scriptis, matrimoniis assistant, *Bosanen. Visitationis Sac. Liminum* 28. *Novembris pag.* 218. *ad I. Dub.*

Licet vero hac destituti sint facultate; matrimonia tamen coram ipsis celebrata sunt valida, *ibidem ad II.*

Ideoque matrimonium coram Pro-Parocho celebratum contra formam decreti, iterari non debet *ibidem ad III.*

Parocho Cathedralis Ecclesiæ Priverni quarta tantum debetur funeralis pro ejus Parochianis, qui sepulturam eligunt in Parochiali Ecclesia S. Benedicti ejusdem Civitatis ad Cappellam Societatis Orationis & Mortis, *Terracinen. & Privernen.* 19. *Decembris pag.* 235. *ad I. Dub.*

Parochus vero S. Benedicti absolutione non indiget ob cessam Societati Cappellam, & sepulturam cum beneplacito Episcopi, *ibidem ad II.*

Parochus. Vid. Missa. Xenodochium.

R

Reductio onerum simplicis beneficii instituti a Josepho Qualea in Ecclesia S. Mariæ ad Nives, & alterius a Leonardo Maraffi in Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ Viglevani indulgetur ob imminutos fructus Locorum Montis S. Ambrosii Mediolani, directe assignatos, *Viglevanen.* 4. *Aprilis pag.* 50.

Reductio hebdomadalium dumtaxat Missarum conceditur Canonico fundationis Reghiniæ Cathedralis Ecclesiæ Sarsinatensis ob imminutos reditus, servata Missa Conventuali, & chorali servitio, juxta votum Episcopi, *Sarsinaten.* 16. *Maii pag.* 87.

Reductio Missarum, & Anniversariorum, quibus Carolus Vivaro in solidum gravavit Stephanum Gibbone, & Antonium Costa, denegatur simplicibus heredibus Costæ, licet fundus illi obventus, impar oneri videatur, *Lunen. Sarzanen.* 27. *Junii pag.* 135.

Reductio anniversariorum septem provenientium a suppressis Sodalitiis SS. Sacramenti, SS. Rosarii, S. Michaelis Archangeli, & S. Angeli Custodis Civitellæ, quæ inducta fuerunt a pietate Sodalium, & descripta non sunt in tabella, conceditur Collegiatæ ejusdem Oppidi ob tenuitatem canonicalium præbendarum *in Brictinorien. Reductionis Onerum* 19. *Decembris pag.* 233. *ad I. Dub.*

Consulendum vero refertur Sanctissimo pro absolutione ab omissa celebratione Missæ Conventualis, *ibidem ad II.*

Reductio Missæ conventualis ad dies Dominicos iterum atque iterum concessa Fabrianensi Capitulo, ut facilius dimitteret alienum æs, ad Cathedralem reparandam Ecclesiam contractum, eadem durante causa, ad aliud decennium prorogatur *in Fabrianen.* 19. *Decembris pag.* 239. *ad I. Dub.*

Et conceditur Canonicis absolutio ab omissa Missæ conventualis applicatione, imposito aliquali onere, *ibidem ad II.*

S

Seminario Arimini petenti suspensionem onerum ad reparanda ejus ædificia terræmotu concussa, consulitur per rescriptum *affirmative juxta instructionem*, nempe; *Episcopus curet solicitam restaurationem, & apertionem Seminarii per creationem census, seu censuum in sortis* 4257 *minori, quo fieri potest, interusurio, solven. & extinguen. pro respectiva rata restaurationum occurrentium in bonis hereditatis Galli, Parmegiani, & Societatis Rosarii ex eorumdem annuis reditibus superextantibus, adimpletis oneribus; pro rata bonorum Diotallevi ex ejusdem reditibus, suspensis totidem Sacris; pro residua vero rata tam sortis, quam fructuum ex taxa denuo imponenda alterius scuti in singula centum, & exigenda usque ad integram debiti dimissionem, cum onere etiam in casu extinctionis singularum, aut omnium Pensionum Ex-Jesuitis assignatam, easdem erogandi in prædicti aris alieni dimissionem, & cum onere conficiendi scripturam, seu computum redituum ex nova taxa, & Pensionibus post extinctionem retraben., nec non solutionum pro fructibus, & extinctione sortis in diem peragen. Ariminen. Suspensionis Onerum* 25. *Aprilis pag.* 70.

Supplicationes Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Montis Martiani indicendæ sunt per Archipresbyterum de consensu Capituli, juxta decretum Emi Episcopi Senogallensis anni 178.., *Senogallien.* 13. *Junii pag.* 106. *ad Dub. IX.*

T

Thori separatio denegatur Nobili Mulieri Franciscæ Moscheniæ ob præsensam imputationem adulterii, sævitias, & adversam valetudinem, *Firmana Separationis Thori* 13. *Junii pag.* 105. & 19. *Septembris pag.* 197.

X

Xenodochio S. Mariæ de Crucibus Ravennæ, sive ejus Capellanis permittitur administratio SS. Viatici, & extremæ Unctionis quibuscumque sive ratione domicilii, sive ratione servitii in eo degentibus, juxta Archiepiscoporum decreta, observantiam, & privilegia Xenodochii S. Spiritus in Saxia Urbis, cui aggregatum est, *Ravennaten. 27. Junii pag.* 134. *ad I. Dub.*

In ejus quoque Ecclesia, & Cæmeterio sepelienda sunt dd. inservientium, & habitantium cadavera, *ibidem ad II.*

Ejusque Capellani aspergere valent præsente Parocho aqua benedicta cadavera alibi sepelienda, in actu conlignationis, *ibidem ad III.*

INDEX
CONCLUSIONUM.

Quæ advntatæ ſunt in foliis Cauſarum anni 1789.

ABBAS.

Acquirit jus Prælaturæ per ſimplicem electionem, *pag.* 220. §. *Similiter*.
Ejus vero exercitium, & adminiſtrationem ex confirmatione, *ibidem*.
Facultatem habet conferendi tonſuram, & minores ordines Monachis ſibi ſubditis, *pag.* 219. §. *De Viribus*.
Actuale tamen requiritur abbatialis muneris exercitium, ut valide conferat, *ibidem*.
Eam namque facultatem non habet ex ordine, & character, ſed ex privilegio, quo abſque juriſdictione caret, *ibid. & ſeq.* §. *Agitatur*.
Valide confert ordines Converſis, licet ex Conſtitutione Clementis VIII. prohibeatur, *pag.* 221. §. *Notandum*.
Certa enim prohibitioni adjecta eſt pœna, quæ actum non irritat, *ibidem*.
Decreto tamen irritanti æquipollet clauſula *ſiultatenus* abſque adjectione pœnæ, *pag.* 221. §. *Dubitari*.

ACTUS.

Pietatis actus non inducunt obligationem, *pag.* 226. §. *Siquatorum*.
Eam tamen præſupponit illorum multiplicitas, *pag.* 226. §. *Onerum*.

ADMINISTRATOR.

Præſtare debet cautionem, *pag.* 195. §. *Secunda*.
Adminiſtratoris culpam luere non debet locus pius, *pag.* 5. §. *Duo*.
Adminiſtratio. Vid. Capellania.

ALIENATIO.

Alienatio redituum beneficii ad vitam Beneficiati, veniam quoad præteritum meretur ex conſuetudine, *pag.* 1. §. *unic.*
Alienatio bonorum Eccleſiæ, aut pii Operis permittitur ex utilitate, *pag.* 45. §. *Agitur*, *pag.* 58. §. *Propius*, *pag.* 73. §. *Subrogatio*, *pag.* 154. §. *Directi*, *pag.* 189. §. *De neceſſitate*.
Ea deficiente denegatur, *pag.* 73. §. *Subrogatio*.
Permittitur etiam ex neceſſitate, *pag.* 58. §. *Propius*. *pag.* 73. §. *Subrogatio*.
Ubi gravis inſuper eſt bonorum manutentio, *pag.* 45. §. *Agitur*.
Et ad vitandam litem, *pag.* 74. §. *Advertere*.
Prævia tamen edictorum affixione, *pag.* 59. §. *Affixam*.
Ad validam alienationem bonorum Eccleſiæ ſpectari potiſſimum debet alienantis poteſtas, *pag.* 57. §. *Sed poſita*.
Alienatio utilis dominii fieri debet pro dimidia parte valoris fundi, *pag.* 154. §. *Directi*, *pag.* 190. §. *In expendenda*.
Niſi alia vigeat conſuetudo, *ibidem*.
Vid. Cappella.

ALIMENTA.

Debentur pauperibus Patronis ex reditibus beneficii, *pag.* 9. §. *Eis*.
Beneficio etiam pleno, *pag.* 9. §. *Quantum*.
Debentur quoque heredibus, & conſanguineis Fundatoris, *pag.* 9. §. *Eis*.
Ex reditibus etiam pii Operis, *pag.* 19. §. *Quatenus*.

BENEFICIUM BENEFICIATI.

Conferri nequit impuberi, *pag.* 81. §. *Interamna*.
Niſi aliter diſpoſitum ſit in fundatione, *ibidem*.
Servari enim debet Fundatoris voluntas, licet diſpoſitioni juris contraria, *ibidem*.
Ad beneficium reſervatum Clerico idoneus non eſt Clericus conjugatus, *pag.* 81. §. *Sua*.
Beneficii collatio ſubreptitia eſt, ubi expoſita non ſit illius vacatio in reſervato menſe Ordinarii, *pag.* 78. §. *Ad ſecundum*.
Beneficii affectio inducitur per Pontificiam collationem, *pag.* 148. §. *Gratia*.
Et adimit Patronis facultatem præſentandi, *ibidem*.

Beneficii possessio, capta pendente biennio ad prosequendam appellationem, est attentata, *pag.* 165. §. *A bono*.
Sustinetur tamen ex bono attentantis jure, *ibidem*.
Duplicis residentialis *b*eneficii retentio non permittitur ex simplici paupertate, *pag.* 176. §. *Eas*.
Beneficii dimissio favore certæ personæ, nisi fiat in manibus Summi Pontificis, est simoniaca, *pag.* 210. §. *Exprimi*.
Et subreptionem inducit conditionis reticentia, *ibidem*.
Beneficiis residentialibus, & Ecclesiasticis onus inest recitandi Divinum Officium, *pag.* 191. §. *Onus*.
Beneficiati parochialis Ecclesiæ ex præsumpta Fundatoris voluntate coadjutores sunt Parochi, *pag.* 144. §. *Agitur*.
Beneficium. Vid. Alienatio. Alimenta.

CANONICI.

Canonici Cathedralis, & Collegiatæ insignis quotidie recitare tenentur Divinum Officium in Choro, *pag.* 53. §. *Si res*.
Nedum enim residere, sed choro etiam interesse debent, *pag.* 181. §. *Concitharem*.
Et contraria consuetudo abusus est, & corruptela, *pag.* 53. §. *Si res*.
Quandoque ex justa causa reducitur hujusmodi servitium ad dies festos; sed addi solent tempora Adventus, & Quadragesimæ, ac octavæ privilegiatæ, *pag.* 181. §. *Quatenus*.
Canonici omnes contribuere debent in expensas litis, ubi de communi agitur jure, *pag.* 113. §. *Ne vero*.
Et satis est, quod probabilis fuerit litigandi causa, *ibidem*.
Vid. Capitulum. Collegiata. Reductio. Utensilia.

CAPELLA. CAPELLANIA.

Capella jam constructa cedi nequit absque Beneplacito Apostolico, *pag.* 236. §. *Agitur*.
Capellaniæ administratio conceditur pauperi vocato, *pag.* 80. §. *Æqua*.
Quandoque etiam ad vitam Clerico conjugato, *ibidem*.
Capellaniæ qualitas desumitur ex fundatione, *pag.* 191. §. *Onus*.
Ejus statum a Fundatore constitutum nec de consensu heredis immutare valet Episcopus, *ibidem*.
Nisi quadragenaria accesserit præscriptio, *ibidem*.
Capellaniæ fundationem impugnare nequeunt minores, si majores facti, per quatriennium non reclamaverint, *pag.* 122. §. *Prater*.
Designatum obtinendæ Capellaniæ tempus intelligendum est continuum ex verbis *di mano in mano*, *pag.* 81. §. *Sua*.
Vid. Præsentatio.

CAPITULUM.

Ad legitimam Capituli resolutionem, Capitularium omnium requiritur interpellatio, *pag.* 57. §. *Qualis*.
Quæ extra Capitulum geruntur, non æquipollent resolutioni capitulari, *ibidem*.
Ad inducendum Capituli consensum duæ ex tribus Capitularium partibus requiruntur, *pag.* 109. §. *Canonicos*.
Capituli Dignitates saniorem constituunt partem. *ibidem*.
Vid. Jus.

CENSUS.

Æquiparatur stabilibus, *pag.* 46. §. *Quatenus*.
Idoneum tamen non est investimentum pro celebratione Missarum, *ibidem*, & *pag.* 75. §. *Si autem*.
Ac tunc demum permittitur, si stabilia deficiunt, *ibidem*.

CIVIS.

Paternam sequitur originem, *pag.* 171. §. *Cum Baldellio*.
Civem facit adlectio, *pag.* 171. §. *Distinguit*.
De ejus viribus judicandum non est ex Lege posteriore, *pag.* 172. §. *Plura*.
Civium nomine non venit in odiosis adlectus, *ibidem*.
Secus in favorabilibus, *ibidem*.
Civis originarii potiora sunt jura, *pag.* 171. §. *Cum Baldellio*.

CLERICUS.

Exercere nequit laicum ministerium, *pag.* 196. §. *Interdictum*.
Colere tamen potest suos Agros, *ibidem*.
Vid. Beneficium. Capellania. Irregularitas.

COLLEGIATA.

Collegiatæ qualitas probatur ex Bulla erectionis, *pag.* 97. §. *Deficit*.
Et ex usu sigilli, communi arca, capitularibus actis, & similibus signis, *ibidem*.
His deficientibus, simplex Divinorum celebratio diebus festis receptitiam potius ostendit Ecclesiam, *ibidem*.
Nec satis est ad inducendam Collegiatæ qualitatem, *ibidem*.

Collegiatæ onor tribui non solet exiguo Canonicorum numero, *ibidem*.
Ejus qualitas excluditur ex longævâ observantia, ac Episcoporum silentio, *ibidem*.
Collegiatæ Ecclesiæ administratio spectat ad Capitulum, *pag.* 109. §. *Regimen*.
Et in ea permitti debet, quod uni Capitulari prodest, aliis non nocet, *pag.* 110. §. *Certant*.

COMMUTATIO VOLUNTATIS.

Commutari non debet voluntas sine justa, & rationabili causa, *pag* 8. §. *Tria*, *pag.* 30. §. *Justa*, *pag.* 38. §. *Commutari*, *pag.* 65. §. *De commutanda*, *pag.* 95. §. *Res*, *pag.* 162. §. *Justa* & *pag.* 243. §. *Ad liberam*.
Servandum enim, quod pii Fideles disponunt, *pag.* 8. §. *Tria*, *pag.* 95. §. *Hæc*.
Ac meliori exequendum modo, *pag.* 38. §. *Commutari*.
Sæpe hinc ex justâ causa indulta commutatio, *pag.* 162. §. *Justa*.
Quo casu dicitur potius interpretatio, *ibidem*.
Sæpe ea deficiente denegata, *pag.* 30. & 162. *utrobique* §. *Justa*.
Altera ex justis causis commutandi voluntatem est difficultas exequendi dispositionem *pag.* 38. §. *Commutari*.
Maxime si commutatio fiat in melius, *pag.* 95. §. *Res*.
Satis non est pro illius commutatione privata paupertatis causa, *pag.* 65. §. *Urget*.

CONFESSIO.

In una parte vera, talis præsumitur in altera, *pag.* 67. §. *Pro negativa*.
Confessio privati Religiosi non afficit Conventum, *ibidem*.
In articulo tamen mortis emissa præsumptionem habet veritatis, *ibidem*.

CONSUETUDO.

Servari debet, *pag* 77. §. *Notat*, & *pag.* 230. §. *Duo*.
Maxime si consentanea sit Legi, *pag.* 91. §. *Præ omnibus*.
Ubi adversatur dispositioni juris, approbatione indiget in contradictorio judicio, *pag.* 203. §. *Transeunt*.
Secundum antiquiores Canones sufficit adversus Ecclesiam quadragenaria, *pag.* 236. §. *Jus*.
Quælibet vero adversus eam sublata est consuetudo per *cap.* 1. *de consuetud.*, *ibidem*.
Vid. Ecclesia.

DISTRIBUTIONES.

Distributiones quotidianæ veniunt nomine fructuum, *pag* 91. §. *A resolutione*.
In distributiones conferre debent Canonici tertiam præbendæ partem, *pag.* 112. §. *De Distributionibus*.
Distributiones cedunt in commodum Sacrarii, ubi omnes negligunt chorum, *ibidem*.
A choro abesse censentur, qui assueto non interfunt habitu, *ibidem*.
Vid. Reductio.

DOS.

Dotalia suspendi debent subsidia, ubi imminuti sunt capitalium reditus, *pag.* 6. §. *Quatenus*.
Per suspensionem dotium nullâ incertis puellis fit injuria, *pag.* 62. §. *Suspensioni*.
Potior est anterior nominatio ad subsidium dotale, *pag.* 172. §. *Plura*.
Qui arbitrium habet distribuendi dotes, facultate etiam pollet eligendi puellas, *pag.* 172. §. *De secundo*.
Dotalia subsidia quandoque ad tempus assignantur pro alenda consanguinea Testatoris in monasterio, *pag.* 212. §. *Non raro*.
Præsertim si hunc casum non prævidit Testator, *ibidem*.
Denegantur ex simplici paupertate, aliis deficientibus requisitis a Testatore volitis *ibidem*.
Dotalium subsidiorum debitum transfunditur in Locum pium alteri subrogatum, *pag.* 62. § *Suspensioni*.
Illudque solvere tenetur de proprio, *ibidem*.
Ubi a dotali subsidio excluditur soror Puellæ, quæ illud obtinuit, intelligitur de sorore utrinque conjuncta, *pag.* 224. §. *Versari*.
Licet enim sororis nomine in sensu juris veniat, quæ ex eodem patre orta est, *ibidem*.
In dispositione tamen hominis, reque odiosa venit dumtaxat utrinque conjuncta, *ibidem*.

ECCLESIA.

Gravari nequit perpetuo Missarum onere absque fundo, *pag.* 32. §. *Num vero*.
Ecclesiæ reparatio, deficientibus ejus reditibus, incumbit Rectori, *pag.* 110. §. *Præviribus*.
Ecclesiæ Cathedralis reparatio spectat ad Episcopum, *pag.* 199. §. *Episcopo*.
Nisi distincti sint reditus fabricæ, vel ad reparationem teneatur Capitulum ex Statuto, aut consuetudine, *ibidem*.
Non parum enim deferendum consuetudini, *pag.* 91. §. *Præ omnibus*.
Et bona donata Ecclesiæ dotem constituunt fabricæ, *pag.* 90. §. *Plura*.
Ecclesiæ reditus in alios converti nequeunt, quam destinatos usus, *pag.* 203. §. *De secundo*.
Alias restitui debent, *pag.* 204. §. *Ad affirmativa*.
A restitutione excusat impotentia, *pag.* 5. §. *Duo*.

Ad eam óbligat malâ fidés, *pag.* 204. §. *Ab affirmativa*.
Ecclesiæ ministris debentur incerta, *pag.* 112. §. *Quantum*.
Ecclesiæ Sacristá custodire debet eleemosynas, *pag.* 111. §. *De custodia*.
Induci nequit in unâ Ecclesia privativa exercendi sacras functiones absque prohibitione. & acquiescentia alterius, *pag.* 36. §. *Quoad*.
Et ex uno etiam contrario actu excluditur, *ibidem*.
Vid. Media annata.

ELECTIO.

Validâ est, si redundantibus detractis suffragiis, major supersit numerus, *pag.* 77. §. *De viribus*.
Scrutinii vitium sanari potest per acclamationem, *ibidem*.
In dubia eléctione spectanda sunt candidatorum natalia, *ibidem*.
Ad validam electionem Universitatis duæ requiruntur ex tribus partibus, *pag.* 77. §. *Notat*.
Alias est nullâ, *ibidem*.
Nulla quoque est ob mixturam illegitimórum suffragantium. *pag.* 78. §. *Comitiis*.
Servari tamen debet lócalis cónsuétudo, *pag.* 77. §. *Notat*.
Qui posteriori assentitus est electioni, ágere nequit ex anteriori, *pag.* 78. §. *Comitiis*.

EMPHYTEUSIS.

Emphyteusis bonorum Ecclésiæ perpetuo ex Statuto Beneventano renovari debet, aucto peritórum judicio in singulis renovatiónibus canone, *pag.* 59. §. *Maxime*.
Státutaria hæc Lex abrogata fuit á Benedicto XIII., & a Clemente XII. restituta, *ibidem*.
Emphyteusis bonorum Ecclesiæ, aut pii Operis permittitur ex utilitate, aut necessitate, *pag.* 184. §. *Ubi*.
Emphyteusi potius, quam appodiationi convenit pactum reversivum, & caducitatis, *pag.* 190. §. *In expendenda*.
Ad excludendam caducitatem quælibet sumenda est interpretatio, *pag.* 65. §. *Quæritur*.
Vid. Alienatio.

EPISCOPUS.

Dirigere debet supplicationes de consensu Capituli, *pag.* 111. §. *Admittunt*.
Renunciare nequit juri quæsito in præjudicium succéssorum, *pag.* 172. §. *De secundo*.
Exequutor est piarum dispositionum, *pag.* 173. §. *Ad tertium*.
Dummodo alium Testator executorem non designavit, *ibidem*.
Moderare potest Legem ex causa a Legislatore non cogitata, *pag.* 214. §. *Quatenus*.
Vid. Capellania. Ecclesia. Matrimonium. Parochus.

FUNDATIO.

Fundatio beneficii servanda est ut lex, *pag.* 144. §. *Ad Missam*;
Neque ei derogari debet, *pag.* 175. §. *Petitioni*.
Nisi ex justa, & necessaria causa, *ibidem*.
Fundationis conditiones, licet dispositioni juris contrarias, non reiicit Ecclesia, ne a piis operibus Fideles retrahantur, *pag.* 94. §. *Ad priorem*.
Fundationis lex de non impetranda Ordinarii confirmatione, ejus non lædit jus, nisi specialiter ab ipso approbata, *ibidem*.
Addenda non sunt onera in fundatione non expressa, *pag.* 144. §. *Agitur*.
Vid. Beneficium. Capellania.

GRATIA.

Non lædit jus tertii, *pag.* 81. §. *Agitur*.
Nemo fieri debet alienæ gratiæ particeps, *p.* 18. §. *Una*.
Gratia ab uno impetrata, communis ex identitate rationis fit alteri, *pag.* 19. §. *Suam*.
Grátia *si nulli* concedi solet alteri ex collitigantibus, quatenus nemo beneficium óbtinuerit, *pag.* 148. §. *Gratia*.
Et purificátur per exitum litis, *ibidem*.
Gratiâ censetur subreptitia, ubi reticitum est, quod ab ea concedentem retraxillet, *p.* 148. §. *Duo*, *pag.* 209. §. *Subreptitias*.

IRREGULARITAS.

Contrahitur ex infamiá juris, & facti, *pag.* 238. §. *Tum*.
Infamiá juris ex condemnatoria oritur sententia, *ibidem*.
Infamia facti ex vulgatâ opinione delicti, *ibidem*.
Contracta ex infamia juris remittitur etiam Clerico, qui homicídium patravit casu, & ad propriâm defensionem, *pag.* 89. §. *A gravissima*, & *pag.* 238. §. *Tum*.
Post obliteratam tamen criminis memóriam, *pag.* 89. §. *Quatenus*.
Et satis in id censent nonnulli triennium cum emendatione vitæ, *ibidem*.
Ubi præsertim res sit de irregularitate ex infamia facti, *pag.* 238. §. *Tum*, & *seq.*
Sæpé deficiente culpa, & congruo elapso tempore Clerícis indultum, *ibidem*.
Maxime ad enixá Episcopi vota, *pag.* 89. §. *Animadversionem*.
Dispensatio ab irregularitate conceditur obadministratos ordines, bona fide illicite susceptos, *pag.* 221. §. *Quatenus*.

JUS.

Jus in re difficilius amittitur, *pag.* 8. §. *Tria*.
Alteri quæsitum nemo tollere potest, *pag.* 18. §. *Una*.
Jus privatum cedere debet publico, *pag.* 231. §. *Nedum*.
Inter jura parochialia numeratur benedictio, & distributio candelarum in die Purificationis B. M. Virginis, *pag.* 113. §. *Ecclesiæ*.
Sumptus vero pertinet ad Archipresbyterum Capituli, *ibidem*.
Jus detrahendi legitimam ad extraneos etiam transmittitur heredes, *pag.* 74. §. *Advertere*.
Jus detrahendi trebellianicam non competit Adversus piam causam, *ibidem*.
Regredi valet renuncians ad jura renunciata non purificata conditione, sub qua renunciavit, *pag.* 208. §. *Subreptitias*.
Jus indicendi supplicationes est parochiale, *pag.* 111. §. *Admittunt*.
Sed exercevi nequit in Ecclesia collegiata absque consensu Capituli, *ibidem*,
Vid. Gratia. Xenodochium.

JUSPATRONATUS.

Transferri potest per venditionem, *pag.* 151. §. *Alter*.
Dummodo fiat cum universitate bonorum, vel re particulari, cui inseparabiliter sit adnexum, neque ejus rationæ augeatur pretium *ibidem*.
Directa Jurispatronatus venditio interdicta est sub pœna excommunicationis, *ibidem*, & *pag.* 152. §. *Pertinent*.
Etiamsi de beneficio agatur laicali, *pag.* 151. §. *Dubitari*.
Laicale ne sit, an ecclesiasticum, a discretiva desumitur loquutione inter unum, & alterum beneficium, *ibidem*.
Juripatronatus venditionem excusat Beneplaciti Apostolici reservatio, *pag.* 152. §. *Pertinent*.
In jurepatronatus attenditur ultimus status, *pag.* 165. §. *Plurimi*.
Ubi activum juspatronatus competit per turnum, qui novissime nominavit, hunc allegare nequit possessionis actum, ut a successiva nominatione conturnarium excludat, *ibidem*.
Constito de proprietate juripatronatus, non attenditur quasi possessio præsentandi, *p.* 211. §. *Negotio*.
Identitatem personæ in patrono non excludit diversitas cognominis, *pag.* 210. §. *Quatenus*.
Licet quisque retinere soleat cognomen patris, *pag.* 211. §. *Negotio*.
In jurepatronatus gentilitio sententia non afficit successores, *ibidem*.
Nisi edita sit cum legitimo contradictore in causa status, *ibidem*.
Juripatronatus laicorum derogari non debet, nec a fundationibus beneficiorum retrahantur, *pag.* 230. §. *Duo*.

LEGATUM.

Civilem non inducit obligationem ex informi folio, *pag.* 11. §. *Expressa*.
Ubi est demonstrativum, supplere tenetur heres imminutos relictus, *pag.* 47. §. *Licet*.
Demonstrativum est, quod incipit ab onere, *ibidem*.
Sive demonstrativum, sive taxativum, ex sententia Benedicti XIV. non obligat heredem ad supplendum de proprio, ubi directe relictus est fundus, *pag.* 32. §. *Nullus*, *pag.* 47. §. *Licet*.
Legatum Missarum adimpleri debet absque fundo, ubi summa legata erogata sit in utilitatem Ecclesiæ, *pag.* 33. §. *Non docetur*.
Legatum solvi debet a singulis heredibus pro rata, *pag.* 122. §. *Præter*.
Ad legatum relictum pauperibus præferri debent pauperes Testatoris consanguinei, *pag.* 65. §. *De commutanda*.
Delendum legatum, perempto absque culpa legatarii fundo, *pag.* 32. §. *Num vero*, & *pag.* 245. §. *Justior*.
Nisi obstet illius acceptatio, descriptio in tabella, & diuturnum adimplementum, *ibidem*.
Ex fundo legato in celebtationem Missarum, detrahit possessor bonæ fidei melioramenta, *pag.* 74. §. *Advertere*.
Legatum pium debetur habenti requisita a Legante præscripta, *pag.* 223. §. *De jure*.
Quantitas in certum opus legata, eo impedito, in lucrum cedit heredis, *pag.* 242. §. *Quibus*.
Secus in legato pio, *ibidem*.
Sive enim deficiat locus, sive personæ simili adimplendum est modo, *ibidem*.
Et quidquid heres impendit pro vindicanda hujusce legati devolutione, in ejus cedit damnum, *pag.* 243. §. *Quatenus*.
Vid. Reductio.

MATRIMONIUM.

Contrahi valet coram quocumque Sacerdote de licentia Parochi, vel Episcopi, *pag.* 214. §. *De subsistentia*.
Facultas concedendi hujusmodi licentiam est indefinita, *pag.* 214. §. *Quatenus*.
Neque eam Parochus concedere tenetur inscriptis, *ibidem*.
Certam tamen ei formam præscribere valet Episcopus, *pag.* 214. §. *De subsistentia*.
Matrimonium contractum coram delegato Parochi, vel Episcopi contra formam præscriptam in licentia, irritum est, *pag.* 215. §. *Posita*.
Contrarium statuit Benedictus XIV., *ibidem*.
A matrimonio rato, & non consumato dispen-

fare valet Summus Pontifex, *pag.* 25. §. *Inficiari*.

Evangelicum enim præceptum, *quod Deus coniunxit, homo non separet*, matrimonium respicit consumatum, per quod fiunt Conjuges *una caro*, non item ratum, cujus imperfecta est firmitas, *ibidem*.

Pro dispensatione a matrimonio rato requiritur non consumatio, & justa causa, *pag.* 25. §. *Duo*.

Satis nonnulli censent moralem non consummationis certitudinem, *ibidem*.

Secundum alios vero evidentes requiruntur probationes, *pag.* 27. §. *Contendit*.

Negativam consumationis probant Testes, *p.* 25 §. *Duo*.

Non excludunt tamen contrariam possibilitatem, *pag.* 27. §. *Contendit*.

Valde etiam urget juramentum Conjugum, & septima propinquorum manus, *pag.* 26. §. *Juramentum*.

Licet certam non constituant probationem, *pag.* 27. §. *Contendit*.

Ac defectus tandem cohabitationis, & concumbitus, *pag.* 26. §. *Juramentum*.

Matrimonium non censetur consumatum cum infirma, *ibidem*.

Nisi infirmitas consistat in assuetis mulierum convulsionibus, quæ sæpe quiescunt, *pag.* 27. §. *Contendit*.

In quolibet consumationis dubio deneganda est dispensatio, *ibidem*.

Dispensari secundum aliquos valet ex privata causa, *pag.* 26. §. *Satis*.

Ac spirituali præsertim petentis utilitate, *ibidem*.

Secundum alios vero, causa esse debet gravis, & & necessaria, *pag.* 27. §. *De causis*.

Immo publica, *ibidem*.

Justam dispensationi præbet causam Conjugum aversio, & concors eorum petitio, *pag.* 26. §. *Mutuam*.

Secus si aversio subsequuta sit matrimonium, *pag.* 28. §. *Æque*.

Facilius conceditur dispensatio Nobilibus, *p.* 26. §. *Mutuam*.

Dissensus in matrimonium excluditur, ubi sponsus, vel sponsa nullum in eo contrahendo dederunt contrarii animi signum, & nullius opem ad illud impediendum implorarunt, *p.* 27. §. *De causis*.

MEDIA ANNATA.

Inducta per Italiam, & Insulas adjacentes a Benedicto XIII., usu recepta est, *pag.* 90. §. *Denuo*.

Contraria observantia infirmatur a clausula *sublata*, & decreto *irritanti* Constitutioni adjectis, *pag.* 90. §. *Casus*.

Solvi non debet, ubi peculiare est patrimonium fabricæ, vel onus reparandi Cathedralem Ecclesiam incumbit Patronis, & Communitati, *ibidem*.

Reditus in fabricam destinati, esse debent distincti, *ibidem*.

Bona donata Ecclesiæ patrimonium constituunt fabricæ, *pag.* 90. §. *Plura*.

Et hoc existente patrimonio absolvi consueverunt Beneficiati a solutione mediæ annatæ, *ibidem*.

MISSA.

Missæ sacrificium majus Animabus affert suffragium, quam pia alia onera, *pag.* 31. §. *Quæ in nostro*.

Missarum legatum absque designatione Ecclesiæ adimpleri valet ubi magis jubet heredibus, *pag.* 11. §. *Expressa*.

Ubi vero designata est Ecclesia, in ea Missæ, aliaque Divina Officia celebrari debent, *pag.* 35. §. *Duo*, *pag.* 194. §. *Ibi*.

Nisi aliter suadeat præsumpta Testatoris voluntas, vel justa, immo necessaria urgeat translationis causa, *pag.* 11. §. *Justa*, *pag.* 35. §. *Duo*, *pag.* 83. §. *Justa*.

Designata autem secundum aliquos censetur Oppidi Ecclesia per dictionem *di*, *pag.* 177. §. *Ex hoc*.

Contrarium tenent alii, *ibidem*.

Oppidi enim nomine continentur suburbia, *ibidem*.

Maxime ubi principaliter contemplatus sit favor Capellani, *ibidem*.

Et ita a Sacra Congregatione definitum, *pag.* 177. §. *Inopportunus*.

Missarum translatio, deficiente causa, denegatur, *pag.* 35. §. *Duo*.

Ea concurrente, indulgetur, *ibidem*.

Maxime ubi ad vitandas contentiones conveniunt interesse habentes, *pag.* 194. §. *Jam*.

Missarum translationem impediunt tumulatio Testatoris in designata Ecclesia, demandatum in ea anniversarium, & contemplata commoditas Populi, *pag.* 36. §. *Justa*, *pag.* 83. §. *Ponderandum*, *pag.* 194. §. *Ibi*.

Ex defectu causæ denegatur Missarum suspensio, *pag.* 8. §. *Tria*.

Conceditur vero pro reædificatione Ecclesiæ, *pag.* 241. §. *Deliberandum*.

Missarum obligatio inducitur ex diuturna celebratione, *pag.* 11. *De utroque*.

Hujusmodi obligationem fatetur, qui illarum translationem postulat, *ibidem*.

Plures in publico Oratorio celebrari valent Missæ, *pag.* 156. §. *Ex prolixa*.

Ab omissa Missarum celebratione excusat bona fides, *pag.* 75. §. *Quo vero*, *pag.* 97. §. *Si immunes*, *pag.* 187. §. *A resolutione pag.* 226. §. *Ad secundum*, & *pag.* 241. §. *Agitur*.

Bonæ fidei argumentum est assertio Nobilis Viri, qui mentiri non præsumitur in præjudicium

cium Animæ, *pag.*75. §. *Quo vero*.
Ob malam vero fidem denegatur absolutio, *pag.*187. §. *A resolutione*, & *pag.*241. §. *Agitur*.
Missa conventualis celebranda est in Cathedralibus, & Collegiatis, *pag.*97. §. *Inducta*, *pag.*144. §. *Ad Missam*.
Quacumque non obstante consuetudine, *pag.*144. §. *Ad Missam*.
Pars enim est Divini Officii, *pag.* 240. §. *Primo*.
Et in dubio judicandum est pro illius celebratione, *pag.*97. §. *Inducta*.
Ab applicatione Missæ conventualis immunes sunt Ecclesiæ non collegiatæ, licet canonicæ in eis recitentur horæ, & celebretur Missa cum cantu, *pag.*144. §. *Ad Missam*.
Missæ applicationem excludit in antiquis simplex celebrationis onus, *pag.*136. §. *Primum*.
Stare enim potest simplex celebratio ad meram Populi commoditatem, *ibidem*.
Contrarium verius; nam applicationem etiam voluisse censetur, qui celebrationem præstito emolumento demandavit, *pag.* 187. §. *Veriorem*.
Missa celebrari valet per alium, deficiente expressa obligatione celebrandi per se ipsum, *pag.*119. §. *Ea omnia*, *pag.*165. §. *Plurimi*.
Accedente potissimum consuetudine, quæ Fundatoris voluntatem interpretatur, *pag.*119. §. *Ea omnia*.
nus celebrandi per se ipsum non inducitur ab onere residendi, *ibidem*.
eque ex facultate celebrandi per alium in casu infirmitatis, *ibidem*.
Hujusce vero casus exceptio firmat regulam in contrarium, *ibidem*.
Vid. Legatum. Parochus, Reductio.

OBSERVANTIA.

Dubiam interpretatur dispositionem, *pag.* 11. §. *Justa*, *pag.*171. §. *Distinguit*.
Centenaria jus confirmat, *pag.*204. §. *Partitionis*.

PAROCHIA. PAROCHIANI. PAROCHUS.

Inopi Parochiæ unienda sunt simplicia beneficia, *pag.*123. §. *Ubi aliter*, & *pag* 245. §. *Ubi tenues*,
Et in eorum defectum transferri debet ad Matricem, aut viciniorem Ecclesiam, *pag.*17. §. *Permittit*.
In Parochia decedentes, nisi propriam habeant sepulturam, vel eam elegerint, in parochiali sepelri debent Ecclesia, *pag.* 128. §. *Paucis*.
Dummodo non obstet consuetudo, *pag.*129. §. *Jus*.
Parochiæ divisio non præsumitur; ubi contraria præsertim concurrunt argumenta, *pag.*138. §. *Quamvis*.
Satis tamen sunt indicia ad simplicem præsumendam curæ actualis separationem, *ibidem*.
Parochiæ divisio permittitur ob distantiam Parochianorum a parochiali Ecclesiâ, & itineris difficultatem, *ibidem*, & *pag.*156. §. *Ex prolixa*, *pag.*160. §. *Justa*, & *pag.*230. §. *Duo*.
Hujusmodi divisionem demandavit Sacra Congregatio, *pag.*160. §. *Justa*.
Ac per eam constituta censetur nova Parochia, *pag.* 138. §. *Quamvis*.
Unius Parochiæ consuetudo non constituit jus universale, *pag.*139. §. *Onera*, *pag.*144. §. *Liceat*.
Onera, quibus erga Rectores matricum gravantur Parochiani, sunt signa honoris, *pag.* 139. §. *Onera*.
Et confirmant in filiabus Ecclesiis parochialem qualitatem, *ibidem*.
Verus Parochus est, qui certam suo nomine administrat Parochiam, & ab eo Parochiani de necessitate recipiunt Sacramenta, *pag.* 144. §. *Agitur*.
Et cui certa assignata est congrua, *pag.* 138. §. *Quamvis*.
Parochus applicare tenetur Missam pro Populo, *pag.* 137. §. *Quilibet*, *pag.* 144. §. *Agitur*,
Non redituum causa, sed ratione officii, *pag.* 144. §. *Liceat*.
Neque excusatur ex amovibilitate, *pag.* 140. §. *Curionum*.
Eamque applicare tenetur per se ipsum, *ibidem*.
Parochi factum, aut culpa inferre nequit præjudicium successoribus, *pag.*32. §. *Num vero*.
Parochi jurisdictio pendet ab Episcopali, *pag.* 127. §. *Utrumque*.
Et ordinaria Episcopi auctoritate restringi potest, *ibidem*.
Ex justa tamen causa, *pag.* 126. §. *Tria*.
Parochi consensus in decretum Episcopi quæstionem dirimit circa administrationem Sacramentorum, *pag.* 127. §. *Utrumque*.
Parocho indigenti succurrendum est per mendicationem eleemosynæ diebus festis juxta Benedictum XIV., *pag.* 139. §. *Onera*.
Vel aliis modis, de quibus in cap. fin. de offic. Ordinar., & can. Ecclesiasticum 12. quæst. 1., *ibidem*.
Non item per abolitionem Missarum, *pag.* 245. §. *Ubi tenues*.
Quandóque tamen concessa ei fuit temporaria illarum suspensio, *ibidem*.
Parochiales functiones sunt Missa pro-Populo, & præsente cadavere; SS. Viatici delatio; assistentia Matrimonio, aliæque per gloss. in cap. Quia ex eo, vers. parochialibus de pact. in sexto, *pag.* 111. §. *De jure*.
Parochiale item est jus sepulturæ, *pag.* 236. §. *Jus*.
Extensum fuit per Benedictum XIII. ad Regulares, *ibidem*.

Et

Et acquiri etiam potest ex privilegio, & consuetudine, *ibidem*.
Illudque habet Parochialis Ecclesia independenter a Cathedrali, *pag.* 236. §. *Agitur*.
Quilibet tamen a jure non prohibitus, eligere valet sepulturam in alia Ecclesia, *ibidem*.
Parocho debetur de jure canonico emolumentorum portio, ubi sepulturam eligunt Parochiani in alia Ecclesia, *pag.* 237. §. *Hoc autem*.
Canonica autem portio statuta est a Benedicto XIII. in quarta funerali, *ibidem*.
Parochia Vid. Beneficiati.
Parochus. Vid. Functiones. Jus. Matrimonium. Xenodochium.

PRÆSENTATIO. PRÆSENTATUS.

Præsentatio nulla non impedit devolutionem beneficii ad Summum Pontificem, *pag.* 78. §. *Ad secundum*.
Secus legitima, & valida, *pag.* 81. §. *Sua*,
Ex præsentatione laici post quatrimestre beneficium devolvitur ad Episcopum, *pag.* 78. §. *Ad secundum*.
Tempus ad præsentandum non currit pendente recursu ad Superiorem, vel lite, *ibidem*.
Per legitimam præsentationem jus quærit præsentatus ad capellaniam, *pag.* 81. §. *Agitur*.
Eique concedenda est institutio, *ibidem*.

REDUCTIO.

Justa reductionis Missarum causa est inculpata redituum imminutio, *pag.* 48. §. *Quatenus*, *pag.* 131. §. *Oratoribus*.
Et sæpe ex hac causa auctum stipendium, *pag.* 48. §. *Quatenus*.
Oneri enim respondere debet emolumentum, *pag.* 31. §. *Quæ in nostro*, *pag.* 36. §. *Ea ratione*, *pag.* 48. §. *Si oneri*, & *pag.* 226. §. *Si Oratorum*.
Alia potius reduci debent onera, quam Missæ, *pag.* 48. §. *Si oneri*, *pag.* 85. §. *Quatenus*.
Ex justa tamen causa reducuntur potius Missæ; quam servitium chori, *pag.* 85. §. *Quatenus*.
Reducendæ sunt Missæ favore paúperum consanguineorum Testatoris ex præsumptâ illius voluntate, *pag.* 9. §. *Eis*, *pag.* 65. §. *De commutanda*.
Contemni tamen non debet interesse habentis contradictio, *pag.* 8. §. *Tria*.
Quandoque fit earum reductio ad augendas distributiones quotidianas, *pag.* 123. §. *Ubi aliter*.
Reduci etiam debent onera canonicatus, ubi imminuti sunt reditus præbendæ taxative relictæ, *pag.* 85. §. *Taxative*.
Taxative relicta censetur, si ab ea incipit fundatio, *ibidem*.
Eoque magis, si evenit imminutio absque culpa Canonici, *ibidem*.
Et præsumpta concurrit ejus voluntas, qui facultatem habebat a Testatore mutandi qualitates, & obligationes canonicatus, *ibidem*,
Reducitur Missa conventualis ad dies festos obtenuitatem præbendarum, *pag.* 240. §. *Primo*.
Reduci non debent Missarum onera per contractum assumpta, *pag.* 226. §. *Onerum*.
Eorum quoque reductioni obest acceptatio legati, ejusque diuturnum adimplementum, *pag.* 245. §. *Hoc etiam*.
Vid. Legatum.

REGULARES.

Assumere nequeunt perpetua Missarum onera absque Superiorum licentia, *pag.* 67. §. *Oratoribus*, *pag.* 94. §. *Assumere*.
Licentia irrationabiliter denegata suppleri valet a Sacra Congregatione, *pag.* 95. §. *Plura*.
Regulares privati per acceptationem legati Missarum non imponunt perpetuum onus Religioni, *pag.* 94. §. *Licentia*.
Eos etiam comprehendit Constitutio *nuper* Innocentii XII., *ibidem*.
Minores Observantes S. Francisci possidere nequeunt, *pag.* 58. §. *Propius*.
Eorum bona sunt in dominio Sedis Apostolicæ, *pag.* 57. §. *Sed posita*.
Retinere tamen valent in proprium usum pomaria, dummodo non distrahant fructus, *pag* 58. §. *Ad excludendam*.
Annuas etiam accipere præstationes pro eorum Sacrario, *pag* 58. §. *Propius*.
Neque capitulariter congregati stipulari possunt instrumenta, *pag.* 57. §. *Sed posita*.
Generalis Ordinis disponit in usum fabricæ de immobilibus de consilio Guardiani, & Discretorum conventus, *ibidem*.
Qui fuerit ortus, & progressus eorum conventus in Civitate Beneventi, *pag*, 54. §. *Recepti*.
Minoribus Reformatis interdicta est Animarum cura, *pag.* 15. §. *Vix hæc*.
Vid. Confessio. Syndicus Apostolicus.

SYNDICUS APOSTOLICUS.

Est procurator Sedis Apostolicæ, *pag.* 58. §. *Hisce*.
Ea omnia distrahere valet, quæ licite a Religiosis retineri nequeunt, *ibidem*.
Ac vendere stabilia, ut pretium convertat in eorum utilitatem, *ibidem*.
Præmittere tenetur alienationi bonorum edicta, *pag.* 59. §. *Asserta*.

THORI SEPARATIO.

Caute procedendum in Causa separationis thori ad vitandum periculum incontinentiæ, *pag.* 99. §. *Res porro*.
Et urgentissimæ requiruntur causæ, *ibidem*.

Ju-

Justa separationis thori causa est calumniosa adulterii imputatio, *pag.*99. §. *Tres*.
Sævitiæ insuper, earumque timor, *pag.* 99. §. *Tres*, & *pag.*100. §. *De inofficiosis*.
Et adversa valetudo, *ibidem*.
Calumniosè ab eo imputatum non censetur adulterium, qui Uxorem revocat ad obsequia matrimonialia, *pag.*100. §. *Uxorem*.
Sævitiæ non sunt verba in odium litis prolata, *ibidem*.
Etiam contumeliosa, *pag.* 100. §. *Ad secundam*.
Et quilibet ad separationem thori non sufficit morbus, ubi periculum abest vitæ, *pag.*100. §. *Ad opportunitatem*.
Bonam fatetur valetudinem, qui de loco certat præstandi obsequia matrimonialia, *ibidem*.

VENDITOR.

Ignorans bonorum onus, ejus nomine non tenetur, *pag.*189. §. *De necessitate*.
Sciens vero, præstare debet quanto emptor minoris empturus fuisset, *ibidem*.

UTENSILIA.

Pro sacris utensilibus constituere debent Capitulares distinctam massam, *pag.*110. §. *Quartum*.
Ornatiora utensilia Divinæ magis conveniunt Majestáti, *pag.*157. §. *Quoad*.

XENODOCHIUM.

Immune non est a jurisdictione Parochi, *p.* 126. §. *Tria*.
Nisi ex privilegio, & observantia, *ibidem*.
Acquirere potest ex observantia jus administrandi Sacramenta intra ejus septa, *pag.* 127. §. *Decretis*.
Hoc privilegium habet Xenodochium S. Spiritus in Saxia Urbis, *pag.* 128. §. *Animadversionem*.
Neque hujusmodi observantia infringitur ex contrariis actibus Parochi, contra decretum Episcopi expletis, *pag.*127. §. *Decretis*.
Xenodochii Sacerdotes gerunt vices Parochi, *pag.* 127. §. *Utrumque*.
Et aspergere valent præsente Parocho aqua lustrali in actu consignationis cadáverá sepelienda in parochiali Ecclesia, *pag.*129. §. *Tertium*.
Xenodochio aggregato communicantur exemptiones, & privilegia aggregantis, *pag.*128. §. *Animadversionem*.

F I N I S.

THESAURUS RESOLUTIONUM SAC. CONGREGATIONIS CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.

OBEUNTE

R. P. D. JULIO GABRIELLIO

Prodierunt in Causis sub annum 1790.

PROPOSITIS

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis, ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus apprimè utilis, ac necessarius.

TOMUS LIX.

TRIPLICI

INDICE LOCUPLETATUS.

ROMÆ MDCCXC.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sac. Congregatione Concilii propoſitæ fuerunt anno 1790. per Diæceſes diſpoſitus.

A

ABulen. Servitii Chori 23. Januarii *pag.*2.
Alatrina Viſitationis Sacr. Liminum 10. Julii *pag.*129.
Albinganen. Miſſæ Conventualis 23. Januarii, & 27. Februarii *pag.*16., & 26.
Alexandrina Servitii Chori 20. Martii, & 17. Aprilis *pag.*55. & 57.
Alexandrina Reductionis Miſſarum 27. Novembris *pag.*205.
Aquilana Irregularitatis 17. Aprilis, & 15. Maii *pag.*71. & 73.
Ariminen. Erectionis Parochiæ 21. Auguſti, & 18. Septembris *pag.*175. & 183.
Ariminen. Legatorum 27. Novembris, & 18. Decembris *pag.* 218. & 223.
Aſculana Capellaniarum 27. Februar., 20. Martii, & 31. Julii *pag.*30. 35. & 143.
Aſculana 5. Junii, & 10. Julii *pag.*94. & 121.
Aſculana Irregularitatis 19. Junii, & 10. Julii *pag.*119. & 121.

B

BAlneoregien. Eccleſiæ Cathedralis 18. Decembris *pag.*228.
Biterren. Ordinis Subdiaconatus 21. Auguſti *pag.*160.
Bononien. Commutationis Voluntatis 15. Maii *pag.*73.
Bononien. Exemptionis 10. Julii *pag.*125.
Brixinen. Canonicatus 18. Septembris *pag.*184.

C

CAlaritana Subſidiorum Dotalium 5. Junii *pag.*91.
Camerinen. Demolitionis Eccleſiæ 18. Decembris *pag.*215.
Canadien. Dispenſationis ab Irregularitate 18. Septembris, & 27. Novembris *pag.*200., & 204.
Cervien. 17. Aprilis, 19. Junii, & 18. Septembris, & 27. Novembris *pag.*57. 105. 197., & 203.
Cingulana Reductionis Miſſarum 18. Septembris & 27. Novembris *pag.*198. & 203.
Civitatis Caſtelli Reductionis Onerum 23. Januarii *pag.*1.
Civitatis Caſtelli Reductionis Onerum 17. Aprilis *pag.* 66.
Comen. Irregularitatis 31. Julii, & 21. Auguſti *pag.*155., & 159.
Conſentina Irregularitatis 20. Martii, & 17. Aprilis *pag.*54. & 57.

E

ÆSina Subſidiorum Dotalium 23. Januarii *pag.*1.
Eugubina Diſmembrationis 31. Julii *pag.*144.

F

FAnen. Capellaniæ 21. Auguſti, & 18. Septembris *pag.*171. & 183.
Fanen. Seminarii 18. Decembris *pag.*232.
Feretrana Juris Præſentandi Concionatorem 21. Auguſti *pag.* 168.
Firmana Diſtributionum 15. Maii *pag* 79.
Firmana Juriſpatronatus 19. Junii, & 21. Auguſti *pag.*107. & 160.
Firmana Servitii Chori 19. Junii, & 10. Julii *pag.*117. & 121.
Forolivien. 19. Junii *pag.*106.

H

HOrtana 5. Junii *pag.*99.

L

LAuretana 18. Decembris *pag.*223.
Lisbonen. Applicationis 27. Novembris, & 18. Decembris *pag.*220. & 223.
Lunen. Sarzanen. Diſpenſationis ab Irregularitate 23. Januar., & 27. Februar. *p.*20. & 26.

M

MAceraten. 17. Aprilis *pag.*69.
Marſicana Diſpenſationis ab Irregularitate 15. Maii *pag.*82.
Melevitana Tranſactionis 15. Maii *pag.*75.
Melevitana Irregularitatis 5. & 19. Junii *pag.* 103. & 105.
Montis Alti Canonicatus 27. Februarii *pag.* 27.

N

NArnien. 23. Januarii, & 27. Februarii *pag.*12. & 35.
Narnien. 15. Maii *pag.*81.
Narnien. 21. Augusti, & 18. Septembris *p.*180. & 183.
Nepesina Dotium 2. Augusti *pag.*164.
Nicien. 27. Novembris *pag.*216.
Nullius Sublacen. Reductionis Onerum 15. Maii, & 5. Junii *pag.*83. & 87.
Nullius S. Benigni Irregularitatis 15. Maii, & 5. Junii *pag.*85. & 87.
Nullius S. Ædisti Beneficii Sacristæ 19. Junii *p.*114.

P

PErusina Commutationis Voluntatum 18. Decembris *pag.*237.
Prænestina Capellaniæ 19. Junii *pag.*112.

R

RAgusina Eleemosynæ 10. Julii *pag.*131.
Romana 23. Januar., & 27. Februar *p.*23. & 26.
Romana Subsidii Dotalis 20. Martii *pag.*35.
Romana, seu Spoletana Subsidiorum Dotalium 20. Martii *pag.*45.
Romana Unionis Reditnum 17. Aprilis *pag.*64.
Romana 5. Junii *pag.*97.
Romana Capellaniæ 27. Novembris *pag.*204.
Romana Præcedentiæ 27. Novembris *pag.*211.

S

SAncti Severini, seu Septempedana Visitationis Sac. Liminum 10. Julii *pag.*122.
Sarsinaten. Translationis Ecclesiæ Parochialis 31. Julii, & 21. Augusti *pag.*152. & 159.
Sarsinaten. 10. & 31. Jul. *pag.*133. & 139.
Senogallien. 20. Martii *pag.*37.
Senogallien. Capellaniæ 17. Aprilis *pag.*61.
Senogallien. Emphyteusis 18. Septembris *p.*194.
Spoletana 23. Januarii, & 27. Februarii *pag.*17. & 26.
Spoletana 18. Decembris *pag.*227.
Sutrina 31. Julii *pag.*149.

T

TAurinen. Missæ Conventualis 10. & 31. Julii *pag* 136. & 140.
Terracinen. & Setina 23. Januarii *pag.*6.
Terracinen. seu Setina Capellaniæ 17. Aprilis, & 15. Maii *pag.* 71. & 73.
Tolentina Applicationis Beneficiorum 20. Martii *pag.*48.
Tyburtina Emphyteusis 27. Februarii *pag.*27.

V

VEliterna Residentiæ, & Servitii Chori 20. Martii *pag.*40.
Veliterna Suspensionis Missarum 5. Junii, & 18. Septembris *pag.*87. & 192.
Vercellen. Servitii Chori 5. & 19. Junii *pag.*102. & 105.
Vicentina Irregularitatis 18. Decembris *pag.*241.
Viterbien. Aperitionis Oris 27. Februar. *p* 28.
Viterbien. Reductionis, & Suspensionis Onerum 31. Julii *pag.*140.
Urbevetana Irregularitatis 20. Martii *pag.* 36.

Die Sabbathi 23. Januarii 1790. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

ÆSINA SUBSIDIORUM DOTALIUM.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

I. *An, & quomodo sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.*

Et quatenus in decisis.

II. *An, & ad quam summam distribuenda sint dotalia subsidia devoluta in casu &c.*

Ad I. In decisis ad formam testamenti.

Ad II. Affirmative in summa coram Vicario Capitulari liquidanda, exclusis expensis litis, & exemplationis testamenti.

CIVITATIS CASTELLI REDUCTIONIS ONERUM.

Sess. 24. cap. 13., & Sess. 25. cap. 4. de Reform.

I. *An, & quomodo sit locus abolitioni Legatorum, seu potius reductioni in casu &c.*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem juxta votum Episcopi, negative ad secundam, & provideatur indemnitati Parœciæ remediis à Sacro Concilio Tridentino præscriptis.

Ad II. Affirmative, imposito aliquo onere.

ess. 24. cap. 12. e Reform.

ABULEN. SERVITII CHORI. Posita est Abulæ Civitas in frigidiori Hispaniæ loco. Hac de causa variarunt primum Canonici Cathedralis anno 1759. ex auctoritate Abulensis Episcopi Velarde è Zienfuogos horam *nonæ*, ejusque recitationem à Nativitate Domini ad festum omnium Sanctorum per quadrantem *vesperis* præmiserunt. Pari hinc auctoritate successoris Episcopi Merino, *vesperarum* mutarunt cantum à pomeridiana hora secunda cum dimidiâ ad tertiam, à Paschate scilicet Resurrectionis ad octavam SS. Corporis Christi; iterumque anno 1772. *matutinum*, & *laudes* à media nocte, qua recitari consueverant, per sex menses ad quartam præcedentem horam, à die nempe omnium Sanctorum ad primam Maji, & pro reliqua anni parte ad tertiam. Satis tamen hæc non censuerunt eorum necessitati, & in aliam tandem convenerunt methodum, pro qua Beneplacitum flagitant Apostolicum. Proponunt itaque, orantque I.; ut recitare liceat *matutinum & laudes* post completorium præcedentis diei à Dominica prima quadragesimæ ad festum Sanctorum, & ad vespertinum Salutationis Angelicæ sonum reliquo anni tempore, exceptis primis diebus Paschatum Resurrectionis, & Pentecostis. II.; ut *nona*, quæ nonnullis anni tempestatibus post meridiem cani solet, canenda in posterum sit post sextam de mane. Ac III. tandem, ut *vesperæ & completorium*, ad justam cum *matutino* servandam proportionem, tertia incipiat pomeridiana hora à prima quadragesimæ Dominica ad octavam Corporis Domini, & hora tertia cum dimidio ab ea octava ad festum S. Michaelis 29. Septembris.

Supponit hodiernus Episcopus, *che in questa Chiesa non avvi alcuna Costituzione Pontificia circa l' ora, in cui possa dirsi il matutino, e ne pure Statuto, o determinazione Capitolare anteriore all'indicata del cambiamento. Per recitarlo alla mezza notte non vi era altra regola, se non che la costumanza. Non v' intervenivano però altri, fuori de' Cappellani, e Ministri, e questi in maniera molto sconcia. Nella Bolla della sa. me. di Leone X. de' 6. Maggio 1519., che conferma i Statuti, nulla dicesi di questo punto, come non compreso in quelli.* Refert præterea, quod = *dalla variazione dell'ora, non solo non ne risulterà alcun scandalo nel Popolo, che anzi rimarrà edificata per l'interessenza dei Capitolari, vedendo di presente, che si discaricano dell'*

dell'adempimento di una parte sì principale dell' Officio Divino , cioè del matutino e laudi , appoggiandolo a Cappellani , ed altri Ministri. Et simillima aliarum Ecclesiarum allegat exempla . In Segoviensi siquidem *più contigua a questa , e posta in una Regione consimilissima , da prima dicevasi il matutino e laudi alla mezza notte , ed indubitatamente per l' istessi motivi , che quì emergono , cambiossi l'ora , e diconsi alle cinque pomeridiane* . Hoc ipsum inductum est in aliis proximis Ecclesiis Salamanticæ , Valdoleti , & Legionis , *e per regola generale può dirsi , che nelle Chiese di Spagna dicesi il matutino e laudi o dopo la compieta , siccome in quelle del Regno di Granata , in parecchie di Castiglia , Galizia , ed Aragona , o vero al tocco dell'Ave Maria ; essendo molto singolari quelle , in cui siasi conservata l'antica prattica di dirlo alla mezza notte* .

Valde autem incommodam dicit matutini recitationem prima luce, monetque = *che questo clima è veramente di somma intemperie ; giacchè per fino nel maggior calore estivo sono generalmente fredde le mattine fin presso le due dopo lo spuntare del Sole , ed appena potranno eccettuarsi da tal regola quindeci giorni di ciascun anno* . Hac de causa inutile censet distributionum augmentum , *mentre tutti gli anziani , e quelli che avessero qualche indisposizione abituale non v' interverrebbero , ed anche li giovani v'interverrebbero poco per timore di qualche detrimento della salute* . Plures enim ob aeris inclementiam sunt *podagrosi , e sordi* . Haud facile de cetero fieri posset hujusmodi augmentum , *e l'Esponente considerando il tutto con vera brama di cogliere nel punto , non scorge altro mezzo per ottenere l'interessenza de' Capitolari al matutino e laudi , ed acciò si dicano col dovuto decoro , se non se quello che si cantino alle ore prefisse nella supplica . Questi è il suo parere , e spera che la Sagra Congregazione deferisca a suoi desiderj* .

A prima igitur exordientes Oratorum petitione : Prioribus Ecclesiæ sæculis recitabatur matutinum sub media nocte ; idque Antiochenis significavit S. Joannes Chrisostomus *Homilia* 57. his verbis = *initium illi dandum ad Galli cantum* = & ex *Concilio Agathensi* statuit *Gregorius IX. in cap. Presbyter de celebrat. Miss.* At defervescente Fidelium charitate , auctaque infirmitate humanæ naturæ , remissa deinde fuit prisca illa disciplina , & translata est matutini recitatio ad auroram ,

teste *Bened. XIV. Inst.* 107. §. 4. *sub num.* 10.; Illudque novissime inductum, ut expleri etiam valeat post vesperas & completorium præcedentis diei *Bened. XIV. loc. cit. num.* 21. Quoad recitationem enim Divini Officii, atque ecclesiasticas celebritates incipit dies à precedentibus vesperis, ex doctrina *Divi Thomæ*, quam sequuntur *Azor. instit. Moral. lib.* 10. *cap.* 9. *quæst.* 5. *tom.* 1., *Francol. de hor. canon. cap.* 19. *num.* 1., *Ceccoper. lucubr. canon. lib.* 2. *sub num.* 18.; Hoc tamen limitatur in Cathedralibus, & Collegiatis, in quibus præscribit *Clement.* 1. *de celebr. Miss.*, ut *debitis horis psallatur*, seu circa mediam noctem, secundum *Vega in summ. verb. horæ*, *num.* 1., & *Ceccoper. lucubr. canon. lib.* 2. *num.* 19.

Agitur quippe in nostro themate de Cathedrali; ideoque quærendum, num justa concurrat causa mutandi legitimam matutini horam. Ab ipsa forsan Ecclesiæ fundatione ad annum 1772., quo illam ex auctoritate Episcopi Merino variare ceperunt Canonici, servata fuit vetus disciplina, nec facile immutanda est consuetudo consentanea Legi, *Fagnan. in lib.* 1. *Decretal. cap. Consuetudines*, *de consuetud. num.* 14. Aeris contra inclementia; decentior matutini recitatio cum interventu Canonicorum post completorium præcedentis diei: bonum Populi exemplum: universalis fere Hispaniensium Cathedralium observantia; atque enixum Episcopi votum, propositam suadere possent variationem, *Brasch. in prompt. synod. cap.* 86. *num.* 18. & *seq.*, *Ceccoper. loc. cit. num.* 20., & *Benedict. XIV. Instit.* 107. §. 4. *num.* 22. Maxime, quia nulla est Constitutio, aut Statutum, quæ illam prohibeat; & quia commodius prima, quam media nocte accessurus erit Populus ad audiendum matutinum, juxta *Cap. Presbyter*, *ibique Innoc. num.* 2. *de celebr. Miss.* Utrum vero pro toto anni tempore, ut postulant Canonici, concedendum esset indultum, EE. Vestræ decernent. Pro hiemali tantum impertiri solet tempore, quod à prima accipitur die Novembris ad primam Maji, ut à Sac. Episcoporum, & Regularium Congregatione definitum testatur *Ceccoper. loc. cit. sub num.* 19., sed Abulæ, Episcopi testimonio, per integrum fere annum hiemat. Et hac Ipse de causa adversatur etiam recitationi matutini sub lucem, ac difficillimam dicit Canonicorum frequentiam in choro, etiamsi quotidianæ augeri possent distributiones.

Se-

Secunda Oratorum petitio respicit *nonam*. Hujusce siquidem horæ nomen ejus recitationem exigere videretur post *sextam* ante meridiem. Ex eo namque inducta est, quod hora nona *Dominus Noster JESUS CHRISTUS* in redemptionem humani generis emisit spiritum, *Azeved. de Divin. Off. exercit.*28. Hic etiam vero notanda consuetudo, ex qua plerumque recitarunt hactenus Canonici exiguam hanc Officii partem post meridiem. Laudabile forsan habuit initium, nec præter congruentiam, alia affertur ratio, cur ab ea recedi debeat; nisi tribuendum sit commodiori Horarum distributioni, si indulgenda erit recitatio matutini post vesperas, & completorium.

Ad præmaturam tandem quod attinet vesperarum, & completorii recitationem, ejusque proportionem cum matutino, & laudibus, obesse posset, quod completorium præsertim præcedere debet Solis occasum, quo spectant verba illa = *Te lucis ante terminum*= in memoriam sepolturæ CHRISTI, quæ ea accidit hora, *Francolin. par.* 1. *cap.* 18. Alia ex parte asperitas urget aeris, nè per seriorem illius celebrationem, in rigidam noctem protrahatur matutinum, eaque sequantur incommoda, quorum meminit Episcopus. Quid vero de quadragesimali statuendum sit tempore, ad EE. pertinet Vestras. Tunc sane, exceptis Dominicis, recitari solent in Cathedralibus, & Collegiatis vesperæ post matutinam concionem, *ex Can. Solet, de consecr. dist.*5., *Cajetan. in summ. verb. hora*, *Ceccoper. cit. lib. num.*22.

Dubium est:

An, & quomodo sit locus recitationi Divini Officii in choro in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi per Breve.

TER-

ess. 25. cap. 11. e Reform.

TERRACINEN., ET SETINA. Oblatarum Conservatorium sub invocatione Sacræ Familiæ in patria sua Setia fundavit clar. mem. Cardinalis Petrus Marcellus Corradini, ut spirituali Puellarum, ac temporali incumberent educationi. Pium opus approbavit primum anno 1717. Clemens XI., ipsique Fundatori, ab ordinaria jurisdictione exemptum, subjecit; deindeque Clemens XII. in perpetuum illius administratorem designavit anno 1731. Cardinalem pro tempore Protectorem Congregationis S. Ivonis, cum eadem privativa jurisdictione. Inter cetera bona, quæ vivens Cardinalis Corradinus Conservatorio assignavit, & per universalem institutionem moriens reliquit, ampla Setiæ erat domus. Pluries frustra ad eam comparandam contendit Joachim Benedictus Pacifici, qui proximam possidebat domum; sed anno tandem 1785., quo alter erat ex Deputatis Monasterii, impleta sunt ejus vota. De licentia enim cl. me. Cardinalis de Comitibus, & sub reservatione Beneplaciti Apostolici domum habuit Conservatorii, eique adnexum stabulum, oleariam molam, & domunculas pretio scutorum 2602. 72., suamque Monasterio permutationis titulo cessit domum, & molam pretio scutorum 1521. 30., solutis ad æquandam summam scutis 1081. 42., quæ promiserunt Moniales *di ritenere, ed impiegare giusta le saviissime determinazioni del sopralodato Emo, e Rmo Protettore.*

Post exequutionem contractus petita fuit Monialium nomine ab hac Sacra Congregatione illius approbatio, editoque sub die 18. Junii 1785. assueto rescripto = *Emo Protectori, qui dignetur Sac. Congregationem instructam reddere, & votum suum aperire, auditis &c.* = de illius informatione non constat. Renovatis precibus, aliud die 17. Junii sequentis anni prodiit rescriptum = *Emo Protectori, qui dignetur rem perpendere, & votum aperire, prævia Peritorum per ipsum deputandorum æstimatione, auditis &c.* = sed neque id ad obitum Cardinalis de Comitibus factum est. In ejus tandem locum Emus Dominus Cardinalis Antonius ab Auria suffectus, contractum in actu Visitationis Conservatorii improbavit, obtinuitque post reditum in Urbem, ut in ejus rescissionem conveniret Pacifici. Qua de re EE. Vestris supplicarunt Moniales pro facultate alienandi Loca Montium novem, & centesima 65. hereditatis

Cor-

Corradini, ut accepta redderent scuta 1081. 42.; sub obligatione deponendi in eorum reintegrationem annua scuta 67. 20. activi cujusdam census.

Precibus sub die 9. Augusti 1788. ad Emum Protectorem ablegatis, ut suum aperire dignaretur votum *auditis, transmisso supplici libello cum præcedenti rescripto, & referre de facultate pro alienatione scutor.* 1082., *vel de obtenta absolutione*, voluntatem Pacificus mutavit rescindendi contractum, obtulitque ad rem componendam alia scuta 160., quæ tamen ex infra dicendis, debita essent Conservatorio pro rata scutorum 100. ob errorem calculi in peritia ejus domus commissum. Hac igitur rejecta oblatione, ad EE. Vestras retulit vigilantissimus Purpuratus, ab ipsis Monialibus accepisse, contractum *initum fuisse ad extinguenda debita, quibus Monasterium ob captas hinc inde mutuo pecunias ad victualia comparanda gravabatur, nec non ad comparandum frumentum successive Monasterio necessarium*. Triplici deinde ex capite illius nullitatem desumpsit; ex quo scilicet de tempore stipulationis, Conservatorii deputatus erat Pacifici; ex neglecto, ac nonnisi post exequutum contractum petito Beneplacito Apostolico; & ex defectu utilitatis: pluraque de reintegratione Conservatorii, & restitutione addit fructuum. Quæ ex facto, & jure in id observabat, colligere poterunt Emi Patres ex disertissima ejus informatione per Defensorem Conservatorii circumferenda, atque ex iis etiam, quæ inferius notantur.

Ex eo præterea venditionem probavit Locorum Montium pro reddendis scutis 1081. 42., quod *pecuniis aliunde quæsitis suppleri nequeat*, quodque admodum sera non esset illorum reintegratio per annuum depositum scutorum 67. 20. ex fructibus activi census, *& ex amissione fructuum dictorum Locorum Montium, quæ vix reddunt annua scuta* 28., *aliquid certe deperit Monasterio, quod divitiis non affluit, sed aliunde satis suppletur ex majori reditu ædificiorum, quæ redeunt in Monasterium, quia ex his ipsi obvenient, dempto molendino, annua scuta* 86., *cum ab ædificiis Pacifici, dempto etiam Molendino, vix obvenirent annua scuta* 52. *circiter*. Ac de bona tandem dubitans fide Monialium, quæ contractum inierunt, *saltem*, inquit, *ad cautelam monendæ erunt, ut consulant conscientiæ suæ; meumque erit iisdem succurrere per organum Sa-*

cræ

cræ Pœnitentiariæ, Vestrumque pariter erit iisdem occurrere ob dispersas, & non investitas pecunias a Pacifico solutas, mediante absolutione ab omni pœna, in foro externo incursa. Duo itaque proponuntur Dubia.

Suadere ad primum contendit Pacificus sinceritatem contractus ex actibus antecedentibus, concomitantibus, & subsequentibus. In antecessum sane præmissam ait Domorum peritiam per Sacerdotem Pasqualetti, de consensu Partium electi, qui pejerare noluisse censetur in perniciem Conservatorii, *Cirocc. discept. 76. num. 10., & seq., Rot. coram Falconer. tit. de Miscell. decis. 18. num. 9.* Contractui deinde auctoritatem accessisse Cardinalis de Comitibus Protectoris, eamque per justam dati & accepti lancem servatam fuisse æqualitatem, quæ in contractibus requiritur; *Leg. bona fides 52. ff. de actio. empti.; Valent. de contract. vol. 2. num. 1. Zanchi de Læsion. part. 1. cap. 2. num. 60.* Ac subsequutam postremo esse observantiam, quæ bonam contrahentium fidem confirmat, *Urceol. consult. 76. num. 9., & 20., Card. de Luc. de Paroch. disc. 42. num. 4.*

Nec sibi ad valide contrahendum obstitisse censet decretum Congregationis deputatæ ab Innocentio XII., apud *Bass. de Sodalit. quæst. 6. sub num. 13.* in quo sub pœna nullitatis, reique amissione contrahere prohibentur Deputati, aliique Officiales cum Locis Piis, quæ administrant. Editum namque fuit pro Locis Piis Urbis, ac tanquam pœnale extendi non posse videtur ad Civitatem Setiæ extra Districtum, *Rot. in nuperr. dec. 261. num. 2. tom. 2., & in Melevitana, seu Avenionen. Commendæ 4. Maii 1749. §. 13. coram Clemente.* Ad removendum de cetero illius obicem, obtinuisse asserit *a Sanctissimo Domino Nostro* remissionem ejus supplicis libelli ad Sac. hanc Congregationem pro *sanatoria*. At supplex hic libellus cum asserto rescripto in positione Secretariæ non existit.

Hinc de Beneplacito agens Apostolico, ex pluribus illius defectum excusat. Nonnullos profert emphyteuticos, & venditionis contractus cum simplici Protectoris beneplacito, quasi privativa illius administratio facultatem contineat permittendi alienationes bonorum Conservatorii, *Summo Pontifici* reservatam. Notandum vero, quod alter ex quinque emphyteuticis contracti-

bus

bus de prædio fuit locari solito, *quod prius retinebatur in emphyteusim*, ut ille diei 29. Junii 1775., ideoque Apostolico non indigebat Beneplacito, per ipsam *Extravag. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alienan.*, *Fulgin. de jur. emphyt. quæst.* 9. *num.* 1. *Piton. discept. Eccles.* 131. *num.*23., alter diei 11. Julii 1777. de duobus *exiguis prædiis rusticis*,quæ ex iis fortasse erant,de quibus *in Can. Terrulas caus.* 12. *quæst.* 2., & alter diei 2. Septembris 1779. de activa emphyteusi, quæ acquisitio est, non abdicatio dominii *per Extravagantem Ambitiosæ* interdicta, *Navarr. in comment. alienat. rer. Eccles. in princ. num.*1., *Piton. discept. Eccles.* 102. *num.* 33., & *Rot. coram Bich. decis.* 415. *num.* 1.

Conservatorii denique utilitatem in hoc consistere ait, quod pecunia per ipsum soluta, erogata fuerit in dimissionem æris alieni, ejusque domus propinquior esset Conservatorio, nullisque reparationibus ex Testium dicto indigeret; ad differentiam Palatioli hereditatis Corradini, quod adeo (ut asserit) erat labefactatum, ut gravi cum sumptu refici debuerit. Hæc in summa quoad primum observat Dubium; enixeque EE. Vestras rogat, ne dimittere cogatur bona, quę absque dolo & fraude accepit, ac sub fide Protectoris, publicique instrumenti in optimum restituit statum.

Alia ex parte, qui Conservatorium tuetur, consistere non posse contendit permutationis, & respectivæ venditionis contractum cum illius Deputato. Tutoris enim instar, vetitum est Administratori, Loci præsertim Pii, sub pæna nullitatis & quadrupli, cum eo contrahere, cujus bona administrat, per *Text. in Leg.* 5. *ff. de auct. Tutor.*, *ac in Leg.*34. & 44. *ff. de contrahen. empt.*, *Altimar. de nullit. contract. rub.*1. *quæst.*14. *sess.*3. *tom.*5. *num.* 1., & *Rot. in Romana Læsionis*, & *Nullitatis Contractus* 26. *Junii* 1754. §.5. *coram Vicecomite*. Licet præterea decretum Congregationis particularis, ab Innocentio XII. deputatæ, respiciat dumtaxat Loca Pia Urbis, consentaneum tamen est dispositioni juris, ac ceteris etiam ex identitate rationis favere posset. *Constitutio enim emanata in casu particulari ad explicationem Legis universalis, facit jus quoad omnes, & universaliter locum habet*,ut per*Cap. ex multa,de vot. & vot. redempt.*

dempt., in hæc verba tradit *Piton. discept.* 61, *num.* 80.

Defectus accedit Beneplaciti Apostolici, quod ad validam bonorum Ecclesiæ, aut Loci Pii alienationem requiritur in Extravagante *Ambitiosæ*, cui omnes subiiciuntur Ecclesiæ, Monasteria, Conservatoria (quale est illud Setiæ) aliaque Loca Pia auctoritate Ordinarii (multoque magis Summi Pontificis) erecta, *Petr. ad dictam Constit. sect.* 3. *num.* 15., & 27. *tom.* 5., & *Sac. Congregatio in Romana diei* 29. *Maii* 1626. *lib.* 12. *Decret. pag.* 351., neque ex contraria suppletur observantia, *Abb. in Cap. Nulli, num.* 6. *de reb. Eccles. non alien.*, *Covarruv. lib.* 2. *var. resol. cap.* 17. *num.* 4., *Arias var. resol. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 16. . Reservatum quidem fuit in stipulatione instrumenti; sed priusquam superveniat, locus est favore Ecclesiæ, aut Loci Pii, post rem etiam traditam, pœnitentiæ, *Card. de Luc. de alien. disc.* 1. *num.* 56., & *seqq.*, *Petr. ad dict. Constit. Pauli II. sect.* 4. *sub num.* 4., & *sect.* 5. *num.* 37. *tom.* 5.

Potissimum vero nullitatis caput desumit Conservatorium ex defectu utilitatis, quæ in alienatione rerum Ecclesiæ evidens esse debet, & certa, per *Text. in Can. Sine exceptione* 12. *quæst.* 2., & *in Extrav. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.*, *ibique Card. Petra sect.* 5. *num.* 16. *tom.* 5. Erratum præ omnibus monet in calculando valore Domus Corradini; ejusque summam in scutis 100. imminutam: atque ita est secundum peritiam Pasqualetti in Positione existentem. Auctum contra arbitratur pretium domus Pacifici in scutis 60.: sed ex eadem Positione de hoc errore non constat. Ex relatione deinde Periti Architecti, Testibusque optimam probat Palatioli structuram, deterioremque domus Pacifici qualitatem. Ac de imprudenti tandem queritur solutione sc. 1081. 42. ad liberam Monialium dispositionem, quin certo de illorum constet erogatione. Asseruerunt enim Moniales Emo Protectori, *initum fuisse contractum ad extinguenda debita*; sed nullum de hac causa verbum in instrumento, ac nulla omnino de quantitate æris alieni, ejusque dimissione probatio.

Sequela rescissionis contractus esset reintegratio Conservatorii ad bona in permutationem tradita, ac respective vendita, iis redditis, quæ a Pacifico accepit, *Card. de Luc. de alienat. disc.* 1. *num.* 99., & *seqq.*, *Petr. ad Constitutionem Paulinam sect.* 4. *num.* 15. Tota igitur esse

esse posset difficultas de fructibus, & melioramentis. Integre quidem pro suis bonis deberentur fructus Conservatorio, tum ex fructifera illorum qualitate, cum ratione dominii *nunquam ab eo avulsi*, ut inquit *Rot. in Aversana Manutentionis super Fructibus 22. Junii 1757. §.3. coram Olivatio*. Nedum eos vero, sed damnorum etiam refectionem postulat Conservatorium, quæ ejus bonis illata refert Faber murarius. Si ita esset, locum obtineret vulgata illa juris regula, quod damnum, qui causam dat, reficere debet, *Cap. Damnum 86. de regul. juris in sexto, & Leg. Quod quis 203. ff. eod. tit.*

Licet contra compensandi viderentur Pacifico suorum bonorum fructus, & ob bonam fortasse fidem beneplaciti, a Cardinali de Comitibus obtenti, etiam melioramenta, de quibus contra Peritum Conservatorii nonnulli sunt Testes, *Leg. Paulus in fin. ff. de dol. excepti., Leg. Si in area ff. de condict. indeb., Garz. de expens., & meliorat. cap. 1. num. 24.*, res tamen expedita non est quoad fructus scutorum 1081. 42., quæ sterilis sunt pecunia, *Leotard. de usur. quæst. 33. sub num. 30., & quæst. 43. in append. num. 3.* Ponderandum rogat Pacificus, quod ad alienum æs dimittendum, creare forsan debuissent Moniales fructiferum censum, ita ut pecuniæ solutæ fructus quodammodo compensativi videantur. Satis tamen non videtur ratio possibilis census, ut fructiferam reddat pecuniam, quæ semper fuit sterilis. Potiori animadverti posset jure, quod si ratio haberetur favore Conservatorii de integris bonorum suorum fructibus, commodum sentiisset accepti pretii, & plenariam pro parte vendita consequeretur bonorum reintegrationem, contra æquitatem *Leg. Curabit Cod. de Action. empti*, cui plaudunt *Groenwegen. ad Leg. 12. Cod. de contrahen. empt. Voet in pandect. lib. 22. tit. 1. num. 12.*, & *Donnell. in Comment. Jur. Civil. tom. 8. pag. 1047. num. 6.*

Ad ea tandem Emi Patres advertant, quæ Emus Protector de absolutione Monialium proponit. Quoad forum internum, eis succurrere pollicetur per organum Sacræ Pœnitentiariæ; dummodo res in judicium deducta patiatur. Quo vero ad externum, ponderare dignentur, rem egisse Moniales de licentia Superioris, pecuniamque accepisse, ut erogarent *secondo le saviissime determinazioni dell'Emo, e Rmo Protettore*; quod

fortasse fecerunt. His omnibus itaque perpensis, deliberandum.

I. *An sustineatur contractus permutationis, & respectivæ venditionis, itaut sit concedendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo sit locus reintegrationi, & respectivæ solutioni fructuum in casu &c.*

Ad I. Negative in omnibus.

Ad II. Esse locum reintegrationi, & quoad restitutionem fructuum, & refectionem melioramentorum ad D. Secretarium pro liquidatione juxta mentem, nec non ad eumdem cum SSmo pro absolutione.

Sess. 22. cap. 6. & 9. de Reform.

NARNIEN. Laicalem anno 1704. instituit Capellaniam Comitissa Marta Scotti, pluraque ei sub administratione Comitum Mancinelli heredum assignavit bona. Loca vero reliquit Montium quatuor sub administratione Societatum SS. Sacramenti, & SS. Rosarii Castri S. Viti, ut in parvum Xenodochium, pro quo binas destinavit mansiones, infirmi reciperentur illarum Fratres, & Sorores, voluitque, ut deponeretur in Monte Pietatis Narniæ, ad effectum investiendi favore Xenodochii, quidquid ex annuis Locorum Montium fructibus superesset. Atque ita de redditione cavit rationis: *E perchè dalla retta revisione de conti dipende principalmente l'adempimento di quanto da me si è disposito circa quest' opera, ordino, che chi goderà l'usufrutto de' beni assegnati per le Messe, debba stringere gli amministratori di dd. Ospizj al rendimento de' conti avanti a qualsivoglia Giudice competente.*

Hujusce pii operis administrationem perniserunt Societates Comitibus ipsis Mancinelli, & sub ea crevit fundus ad Loca Montium 10. $\frac{5}{100}$ 54. In visitando tamen Xenodochio, deficientia novit Delegatus Narniensis Episcopi utensilia, excepitque, accedere ad illud desuevisse Societatum Fratres, & Sorores, ejusque sumptu Otricoli Medicum ad omnium incolarum curationem conduci. Societates hac de re ad redditionem rationis cogere tentavit; sed ob allegatam Com. Petri Mancinelli administrationem, re infecta discessit. Statim verò exhibuit Comes administrationis librum, syn-

gra-

graphasque de recepto Sodalibus, subductisque rationibus ab anno 1705. ad totum annum 1787., exitum introitus superavit in scutis 379. 15. 4., quæ ad formam Testamenti investire despondit. Episcopo deinde imperante, librum ei obtulerunt Sodales, ut rationes & ipse expungeret; sed ob denegata a Comite jura, quæ introitum exitumque comprobarent, rem aggredi non potuit.

Dum hæc coram Episcopo agebantur, *Sanctissimo* supplicavit Populus Castri, ut Xenodochii reditus in dotalia converteret subsidia pro filiabus Sodalium SS. Sacramenti; precibusque ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, EE. Vestras exorarunt utriusque Societatis Fratres & Sorores, ne Testatricis voluntas commutaretur. His potius, licet a Comite Mancinelli instigatis, favit Episcopus, censuitque, *adamussim esse exequendam voluntatem piæ Testatricis pro manutentione Hospitalis ad formam illius dispositionis*. Cogendum præterea dixit Comitem *ad exactam, ac integram redditionem rationis, non retardato deposito faciendo ad formam ejusdem testamenti in Monte Pietatis hujus Civitatis*. Ac fuit tandem in sensu, *ut eidem Comiti Petro Mancinelli interdicenda esset administratio hujusmodi redituum, ac respective deveniendum ad deputationem alterius exactoris per Confratres & Sorores Societatum cum mea approbatione, ne ulterius eveniat erogatio fructuum contra voluntatem Testatricis*.

Ea autem ad id movetur ratione, quod *ex libro administrationis constat, non solum penes Domum de Mancinellis usque ab anno* 1775. *extare conspicuam summam scutorum* 328. *usque nunc otiosam* (vel scutorum 379. 15. 4., juxta dispunctionem rationum factam a Sodalibus) *quæ ex Testatricis præcepto investiri debuisset in aliis stabilibus fructiferis* (*pro qua omissione Comes Petrus Mancinelli favore Loci pii damnandus esse videretur ad compensationem damnorum*) *verum etiam apparet, plures conspicuas summas erogatas esse in alias expensas, quibus equidem Hospitale non tenebatur. Proindeque ad indemnitatem Hospitalis omnino necessaria videretur tum exacta redditio rationis, tum deputatio novi administratoris: Quæ nisi demandentur supremæ istius Sac. Congregationis auctoritate, nullatenus exequi poterunt, tum quia Incolæ Castri*

S. Viti

S. Viti nunquam aliquid efficient contra voluntatem Comitis Petri Mancinelli, cui subjecti sunt tanquam condomino ejusdem Castri, tum quia idem Comes à quocumque decreto, quod a me ferretur auctoritate ordinaria, appellationem dubio procul interponeret, quin ejusdem appellationi legitimus contradictor inveniri posset. Post diuturnam igitur Comitis contumaçiam a mense Junio 1788., quo ei viginti dierum terminum ad deducenda jura sua in Sac. Congregatione præfixit Episcopus, infrascripta tandem proponuntur Dubia.

Res primum est de commutatione voluntatis. Justa sane in id, & rationabilis requiritur causa ex præscripto *Sacri Concilii Tridentini sess. 22. cap. 6. de reform.*, & ab ejus concursu, vel defectu pendet voluntatis commutatio, ut *in Interamnen. Commutationis Voluntatis* 8. *Maii* 1756., *& in Fulginaten. Applicationis* 22. *Decembris* 1781., vel illius exequutio, ut *in Romana* 24. *Martii* 1787. Eam desumit Populus Castri S. Viti ex tenuitate redituum, quos impares dicit manutentioni Xenodochii, & futuro Societatis SS. Sacramenti incremento, ob majorem, spe dotis, Sodalium numerum. Æqua porro commutandæ voluntatis causa est difficultas exequendi, quod Testator præscripsit, *Barbos. de potest. Episc. alleg.* 83. *num.* 3. & 8., *& Sac. Congregatio in Civitatis Plebis Legati* 28. *Augusti* 1756., *&* 15. *Aprilis* 1758., & commutatio etiam pii operis in aliud, ex sententia ipsius Sacræ Congregationis *in Camerinen. seu Fabrianen. Commutationis Voluntatis* 10. *Septembris* 1735.

Notandum contra, quod ob primævam redituum tenuitatem cavit Testatrix, ut reciperentur infirmi *secondo la capacità delli medemi*. Etiamsi ergo ad eam, quam vidimus, non crevissent quantitatem, semper tamen correspectivo infirmorum numero pares essent. Sua hinc prudentia Emi Patres decernant, num commutanda sit voluntas, quæ meliori exequi potest modo. Negativam tenuerunt I*n Viterbien. Translationis Missarum* 19. *Maii* 1787., *& in Firmana Commutationis Voluntatis* 14. *Martii elapsi anni* 1789. Perpendere insuper dignentur, num præferri debeant dotes Xenodochio, pro cujus conservatione supplicant Societatum Confratres & Sorores, quorum favore institutum est, atque enixum concurrit votum Episcopi.

Quan-

Quantum vero ad redditionem rationis, de qua sub secundo Dubio; semel eam a Comite Mancinelli exceperunt Sodales per exhibitionem libri administrationis, & syngrapharum de receptò; ideoque videri posset, non amplius reddendam esse, per *Text. in Leg. Cum servus* 81. *ff. de condit. & demonstrat.*, *Grat. discept.* 761. *num.* 3. & *Rot. apud Escobar de ratiocin. decis.* 18. *num.* 1. Adverti tamen debet, solutum ab eo non fuisse reliquatum, & adhuc testimonio Episcopi apud eum remanere otiosum, licet illius investimentum promisisset. Sufficienter siquidem absque reali reliquatus solutione reddita non censetur ratio, ad Text. in *cit. Leg. Cum servus*, & *Leg. Non solum*, §. *Liberationis verbo*, *vers. is*, *qui reddere ff. de libert. legat.*, *Menoch. de arbitr. lib.* 2. *cap.* 209. *num.* 21., & *Rot. apud Escobar. decis.* 19. *num.* 2. Gravissima illa accedit circumstantia, quod talem Comes properavit redditionem rationis, ut judicium vitaret Episcopi; eamque explevit coram Sodalibus, qui tamquam incolæ Castri S. Viti, ipsorum condominum venerantur.

Si hisce de Causis denuo reddenda videbitur ratio, de eo quærendum, qui illam excipere debet. Comitis deputatio in administratorem bonorum Xenodochii, *neque*, inquit Episcopus, *a Testatrice demandata fuit*, *neque a me*, *neque ab aliquo ex meis Antecessoribus*, ideoque tribuenda est Sodalibus. In hoc autem supposito, satis suo muneri facere videretur, si iis rationem redderet, a quibus deputatus fuit, per cit. *Leg. Cum servus ff. de condit. & demonstr.* Ei tamen obest canonici juris dispositio; nam administratores Hospitalium rationem reddere tenentur Episcopo, & ad eam singulis annis cogi possunt, *Sacr. Concil. Tridentin. sess.* 22. *cap.* 9. *de reform.*, *Fagnan. in lib.* 3. *Decretal cap. Ad hæc*, *num.* 31. *de religios. dom.*

De remotione tandem Comitis ab officio, & alterius administratoris deputatione agitur tertio. Ne turpiter ille post diuturnam administrationem removeatur, adverti posset, quod hæres est Comitissæ Scotti, auxitque Loca Montium Xenodochio relicta. Ejus vitio contra vertit Episcopus, quod plures per annos investimentum neglexerit insignis summæ, suoque arbitrio erogaverit *conspicuas summas in alias expensas*, *quibus equidem Hospitale non tenebatur*. Ad removendum profecto administratorem, nedum levis & levissima negligentia, sed simplex etiam sufficit suspicio, ut in similibus terminis

minis tutoris statuit *Text. in Leg. cum quem Cod. de suspect. Tutor*, & *Leg. 3. §. fin. ff. eod.*, *Montan. c. 36. regul. 3. num. 5.*

Dubia sunt

I. *An*, & *quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis in casu &c.*

II. *An constet de redditione rationis, seu potius sit reddenda, & cui in casu &c.*

III. *An sit locus deputationi alterius Administratoris in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 22. Decret. de observ. & evitan. in celebr. Miss., & Sess, 24. cap. 15 de Reform.

ALBINGANEN. MISSÆ CONVENTUALIS. Duo ad instantiam Capituli Portusmauritii proposita fuerunt Dubia in Congregatione die 9. Augusti 1788. I. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum*; II. *An*, & *quomodo sit locus reductioni Missæ Conventualis quoad futurum*; & ad primum EE. Vestrę rescripserunt, *Affirmative*; ad secundum, *Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem, nempe referat de remediis a Concilio Tridentino propositis*. Hæc igitur quoad secundum rescribit Albinganensis Episcopus: *Primo Concilii Tridentini remedio, unione scilicet beneficiorum simplicium, rem expediri non posse autumo, cum nulla in prædicto loco Portusmauritii sint simplicia beneficia, tenuitati distributionum unienda.*

Secundo autem Tridentini remedio, suppressione scilicet aliquorum canonicatuum, & præsertim præbendæ possessæ a Canonico Arnaldi annui reditus scutorum triginta quatuor, (hæc est major. Quę enim in Folio 9. Augusti 1788. per errorem typi enuntiantur scutorum 60., reipsa sunt scutorum 6.) *alteriusve possessæ a Canonico Fabre annui reditus scutorum identidem Romanorum undecim; consuli quidem posse censerem; præsertim cum post porrectas Oratorum preces, & antequam commissionem obtinuerint, de anno 1788. die 4. Junii fere omnium Missarum in cantu auctoritate Apostolica, eas juxta reditum moderando atque reducendo, eleemosynam in quinque denarios monetæ Genuæ taxa-*

ve-

verim, ceterorum vero Legatorum juxta reditum pro unaquaque Missa in solidos viginti; & sic diminuta onera, auctique reditus. At hoc remedium forsan jurgia, & dissensiones excitaret; quapropter sanissimo EE. Vestrarum judicio negotium hoc relinquo.

Si vero in hisce rerum circumstantiis Oratores a Missa Conventuali quoad futurum aliqualiter levandos esse EE. Vestræ arbitrarentur, putarem tamen, relicto onere pro diebus festis, ferialibus vero in lectam commutandam, hac etiam adjecta conditione, quod si augeantur reditus, iterum ipsis incumbat onus celebrandæ dictæ Missæ Conventualis. Iterum ergo quæritur.

An, & quomodo sit locus reductioni Missæ Conventualis quoad futurum in casu &c.

SPOLETANA. In commodum præsertim, utilitatemque suorum Civium Femitris, fundationem designavit Sacerdos Joannes Femi perpetuæ Capellaniæ ex tenui, quod in Patria possidebat, Beneficio, fructibusque scutorum 400. per ipsum donanda, ut Sacrum nempe singulis diebus festis faceret Capellanus, Parocho coadjuvaret, puerosque tanquam ludimagister erudiret. Manus ei præbuit adjutrices Communitas Castri, cessitque anno 1707. *al detto Maestro da eleggersi e che in infinitum si eleggerà la rata dell'affitto della Montagna del Castelluccio ad essi liberamente spettante, e che ogni anno dagli affittuarii della medesima ad essi vien pagata in somma di sc. 9. moneta, e quando più, e quando meno*; Idque Sacra Boni Regiminis Congregatio confirmavit. Præter unionem Beneficii, quæ nullum habuit effectum, adimpleta sunt omnia, suoque nomine locare consueverunt Capellani pascua per Communitatem cessa, quorum annui affictus ad scuta paullatim creverunt 34. *Sess. 25. cap. 5. de Reform.*

Ad dimittendum collectarum cameralium debitum, quo ab anno 1760. ad annum 1773. præmebatur Nursia, collectam anno 1779. per quindennium imposuit obolorum 35. singulis dependentium Universitatum Familiis, sol-

vendam ex fructibus & pascuis *del Castelluccio*. Suam igitur partem rejecerunt Fematrini in Sacerdotem Jacobum Antonium Buccetti Capellanum, qui ad mensem Februarium 1787., animo tamen repetendi, annua hoc nomine solvit scuta 8. 75. EE. tandem Vestris supplicavit pro restitutione indebiti, eoque defuncto, instantiam prosequuntur illius heredes, & hodiernus Capellanus. Jam a præfixo Communitati Fematris unius mensis termino ad deducenda jura sua in Sac. Congregatione secundus labitur annus; ideoque in ejus contumaciam infrascriptum proponitur Dubium. Hæc autem Spoletinus habet Episcopus: *Pascua prædicta cessa fuerunt, & donata integre cum integro annuo fructu scutorum* 10., *vel* 12., *quæ expressio apposita in d. cessione demonstrationem præsefert, non taxationem, ita ut ad interesse Capellani omnino spectarent, sive crescerent, sive decrescerent. Reipsa fructus ultra prædictam summam Universitas nunquam ausit repetere. Tandem Focis, sive Familis consiliariis non parva commoditas, ac utilitas obvenit a Capellani, sive Magistri muneribus. Quare satis intelligitur, nedum utilissimum esse, sed omnino necessarium, ibi Capellanum permanere, qui non permanebit, nisi honeste sustentari valeat. Maxime perspectis temporis, & loci circumstantiis; temporis, quo, idonei Sacerdotes hoc sequiori sæculo difficili conatu inveniuntur; loci, humilis videlicet locus rigidioris situationis, ubi duo tantum Sacerdotes, Parochus & Capellanus extant, & quidem extranei, nam naturales deficiunt. Igitur non videtur prudens consilium, ut post Sacerdotum imminutionem, imminuantur Capellaniæ reditus, qui ducto calculo, non excedunt quantitatem scutorum* 60. *circiter. His recensitis, in sententiam venio, justum ac conveniens esse Capellani instantiæ indulgere.*

Duplicem Publici Representantes Castri exposuerunt Episcopo rationem, cur solvi a Capellano debeat nova collecta, quod nempe Familiæ consiliares, quibus reservata erant pascua, *nullum percipiunt commodum, & utilem compensationem onerum Communitatis, quæ sustinere coguntur*; quodque *Capellano donata fuere pascua pro annuo fructu scutorum* 10. *vel* 12., *& nunc ascendunt ad scuta* 34. Prior siquidem ratio omnino despicienda non est, quum præter alia communitativa onera, solvere etiam tenerentur consiliares Familiæ collectam pro pascuis, quæ amplius non possi-

sident, contra regulam *Text. in Leg. Imperatores 7. ff. de Publican. & Vectigal.* de qua *Claper. in centur. caus. fiscal. claus. 37. quæst. 7. num 5.*, *Gail. pract. observ. lib. 2. cap. 52. num. 16.*

Quoad alteram vero notandum, quod licet Communitas assignaverit Capellano pascuorum reditum cum indicatione summæ in annuis scutis decem, vel duodecim, ea tamen addidit verba = *quando più, e quando meno*. Indefinitè ergo assignatus dici potest illorum reditus, & quantitas *demonstrativè* adjecta. Dum quis enim *quantitatem, vel aliud quidpiam ponit, per quod res cognosci potest, demonstrandi causa id fieri dicitur*, ut per *Text. in Leg. Demonstratio 17. in princ. ff. de condit. & demonstr.*, in hęc verba monet *Camarell. de Legat. lib. 9. quæst. 2. num. 8.*, & *Ant. Gomez. tom. 2. tit. de Legat. num. 74.*, *Card. de Luc. de donat. disc. 52. n. 2.*. Et in hoc supposito pascuorum augmentum in commodum cederet Capellani, *Cyriac. contr. 418. n. 26.*, & *Rot. cor. Lancett. decis. 1074. num. 2.*, ita ut nec potuisset, nec posset extraordinaria Communitatis collecta gravari.

Mens alia ex parte urget cedentium, qui eam assignare voluisse censetur reditus partem, quam cum fructu scutorum 400. ad mediocrem Capellani sustentationem in scutis decem, aut duodecim sufficere posse arbitrabantur; ac in id etiam concurrere videtur Sacræ Cougregationis Boni Regiminis voluntas, quæ cessionem approbavit = *della rata della Montagna del Castelluccio, dalla quale lei* (Cancellarius Fematris) *asserì poter ricavarsene un' anno per l' altro di frutto scudi dieci in dodici*. In his porro terminis *taxativè* assignata videri poterit expressa quantitas, per *Text. in Leg. Certum est ff. si certum petat.*, & *Leg. Si is, qui nummos ff. de solut.*, quas exornat *Cujac. in Comment. tom. 5. pag. 393. litt. D.*, & *tom. 7. pag. 968. litt. E.*, ideoque exigi potuisse. & posse collectam ratione augmenti. Dum hæc rectissimo EE. Patrum Judicio subiiciuntur, ponderare etiam dignentur ex informatione Episcopi, num gravari expediat emolumentum Capellani simul, & Ludimagistri, qui annua tantum pro utroque munere percipit scuta circiter 60., maximæque utilitatis est Fematrinis; nec ante impositionem collectæ quidquam ex augmento Communitati persolvit.

Etiamsi vero solvenda esset collecta a Communitate, om-

nino adhuc explorata non videretur restitutio summæ per decessorem Capellanum solutæ. Expleta quidem fuit hujusmodi solutio animo repetendi, ex quo salvum dici posset jus solventis, per *Text. in Leg. Si debitor §. 1. ff. Quib. mod. pign. vel hypoth. solv.*, *Rot. in recen. decis. 70. num. 14. part. 14.*, ex illius tamen iteratione ad annum 1787. protestatio repetendi adversari videtur facto, *Sanch. resp. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 33. num. 4.*

Respondere igitur placeat.

I. *An, & ad quem spectet onus solvendi collectam, in casu &c.*

II. *An sit locus repetitioni indebiti, in casu &c.*

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

LUNEN. SARZANEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Dum Sacerdos Terentius Gervasi de Casula Florentini Dominii, pomeridianis horis diei 17. Februarii elapsi anni ad proximum Lucanæ Ditionis oppidum Minucciani dimissam alloquebatur Ancillam, ac de ejus rebus penes se relictis agebat, supervenerunt Franciscus Perniciotti, Archangelus Sarteschi, & Antonius Garzonotti, nocte jam ingruente. His igitur Minuccianum versus euntibus, comitem se Mulier addidit Garzonotto, qui a Sacerdote rogatus, suppressit iter, eique permisit, ut seorsim adhuc illam alloqueretur. Quum longius secreta procederet sermocinatio, moræ Garzonottus impatiens, altercari cepit, eoque mutua processerunt convicia, ut lapide Sacerdotis tempora cum sanguinis effusione percusserit. Ira hac de re percitus, in percussorem citato gradu contendebat Sacerdos; sed ab interposito detentus Archangelo Sarteschi, cum eo colluctatus est, acceptoque in femore pugionis ictu, cum ipsomet Sarteschii ferro, eum in renibus vulneravit. Paullo hinc circa locum pugnæ versati, alter ut ereptum reciperet ensem, alter ut delapsum colligeret pileum, per diversa itinera discesserunt. Quinto autem die ex vulnere Sarteschius occubuit. Con-

Condito per Episcopalem Sarzanæ Curiam processu, definitum ab ea fuit = *in casu pro homicidio Sacerdotem Gervasi non esse ulterius molestandum*. Nuper vero EE. Vestris supplicavit homicida pro dispensatione ab irregularitate; reique gestæ rationem addit Sarzanensis Episcopus promulgatæ sententiæ, *quod cum plenior, veriorque facti cognitio haberi non potuerit, attentisque omnibus circumstantiis, vulnus ab eodem Sacerdote ut supra inflictum, mortemque Archangeli Sarteschi inde sequutam, primo impetu, sine advertentia, atque involuntariè, prout etiam ex offensivo processu evincitur, deficiente præcipuè in ipsomet Sacerdote qualitate auctoris rixæ, evenisse dicendum sit*. Compositum insuper dicit Fiscum; *nec occisus, nec ejus Pater quidquam petiit, vel se in offensivo processu, aut in defensionibus opposuit. Unde aut juri suo, quatenus competiisset, renunciasse tacite censetur, vel saltem ejusdem juris incompetentiam agnovisse in claris circumstantiis involuntarii homicidii*. De emendatione testatur vitæ Oratoris. Scandalum excludit, *tum quia etiam in Patria occisi justa omnino creditur absolutoria sententia, tum quia per octo circiter miliaria distat a loco originis, & domicilii ejusdem Sacerdotis, & sub diverso Principe*. Atque ex his censet, *præfatum Sacerdotem Gervasi imploratam ab EE. Vestris gratiam promereri posse, dummodo in occisi Patria non celebret*.

Immunis est Sacerdos homicida a gravissima censura *Sacri Concilii Tridentini Sess. 14. cap. 7. de Reformat.* quum de Clerico dumtaxat loquatur promovendo, teste *Fagnano in lib. 5. Decretal. Cap. Henricus de Cleric. pugnan. in duell. num* 23., & *seqq.*. Irregularis tamen est ex dispositione *Cap. Suscepimus* 10. *de homicid. volunt.*. Ei quidem priores Canones spem non adimunt dispensationis, ne mendicare cogatur, *Cap.* 2. *de Cleric. pugnan. in duell.*, *Hostien. in Cap. Sicut de homicid.*, sed graves requiruntur dispensandi causæ, ut censuit Sacra Congregatio in *Sabinen. Irregularitatis* 28. *Julii* 1787., & *in Marsicana Dispensationis ab Irregularitate* 30. *Augusti* 1788., maximeque spectandum, *an tantum tempus excesserit a die perpetrati homicidii, ut illius memoria sit obliterata in loco, & sic cesset scandalum*, ut in hæc verba monet *Fagnan. in cit. Cap. Henricus de Cleric. pugnan. in duell. num.* 3., & statuit Sacra Congregatio *in Lemovi-*

vicen. Dispensationis ab Irregularitate 12. *Julii* 1788.

Rixæ auctor, juxta relationem Episcopi, non fuit Sacerdos Gervasi: homicidium primo impetu, & involuntariè patravit: Fiscum composuit, infensamque non habet Partem: vitam emendavit; nullumque adesset scandalum, si in ejus Patria, a loco patrati criminis dissita, celebraret. Hæc autem omnia justæ videri possent dispensandi causę, ut *in Murana Irregularitatis* 12. *Martii* 1763., *& in Melevitana Irregularitatis* 12. *Decembris* 1787. Secum vero reputent Emi Patres, quisnam fuerit rixæ auctor; Sacerdos ne, qui Sarteschium, ipsius Episcopi testimonio, *dejecit in terram*, ut liberè Garzonottum insectaretur, vel qui ad hanc vindicandam offensam, eum in femore percussit. Nondum unus prętera a die commissi delicti lapsus est annus; & ad delendam illius memoriam requiritur decennium, juxta Rotalem decisionem *Melevitana Pecuniaria* 8. *Februarii* 1751. §. 15. *cor. cl.me. Elephantutio*; vel saltem cum notabili emendatione vitę triennium, ex doctrina *Abb. in Cap.* 21. *num.* 2. *de accus.*, *Antonell. de Regim. Eccles. lib.* 1. *Cap.* 6. *num.* 17. Ex eo hujusmodi memoriam deletam censet Episcopus, quod *etiam in Patria occisi justa omnino creditur absolutoria sententia*. Sed ponderare dignentur EE. Vestrę absolutionis formulam, quæ non fuit ex capite innocentiæ. Clausula enim = *in casu non esse ulterius molestandum* = non excludit delictum, ut de simili clausula, *ex hactenus deductis*, tradunt *Pignat. consult.* 93. *num.* 3. *tom.* 6.; *Ferrar. verb. Irregularitas num.* 49., *Monacell. tit.* 13. *form.* 3. *n.* 37. *tom.* 2.

Deliberandum itaque,

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione, in casu &c.

RO-

ROMANA. Sacerdos Joannes Fornici, possessor Canonicatus Amidei in Collegiata Ecclesia S. Eustachii de Urbe, ex verbis illis Fundatoris = *quanto alle funziani, ed obblighi del Coro, voglio, che il medesimo Canonico ne sia esente, e soltanto possa obbligarsi ad intervenire nelle solennità del SS. Natale, di Pasqua, e di S. Eustachio* = sex in Congregatione diei 9. Julii 1784. disputavit dubia. Secundum, de quo agitur, ita erat conceptum: *An sub nomine solemnitatum SS. Natalis, & Paschatis comprehendantur illi tres, & respective duo dies, qui primum consequuntur, & interessentia incipere debeat a primis Vesperis solemnitatum in testamento præscriptarum, & Sabbatho Sancto*; ac EE. Vestræ rescripserunt: *Affirmativè ad primam partem quoad duos dies consequentes festum Paschatis; quo vero ad dies consequentes festum Natalis, negativè ad primam partem, & quoad secundam partem affirmativè*. Huic igitur acquiescens rescripto, in ejus declarationem postulat Canonicus, num priorum vesperarum nomine veniat Sabbathi Sancti Missa, & integrum etiam illius diei servitium. *Sess.* 21., & 22. *cap.* 4., & *Sess.* 24. *cap.* 12. de *Reform.*

Ex ore Emi Diaconi de Alteriis *Capitulum censet, cogendum non esse Oratorem ad interessendum Sacris Functionibus Sabbathi Sancti, quæ nil commune habent cum festo Paschali*. Hæc autem Emus ipse Diaconus habet: *Intimius re perspecta, statuendum videtur, in die Sabbathi Sancti interessentiam incipere debere vel ab initio Missæ solemnis vigiliæ, quæ per anticipationem de Paschatis festivitate celebratur, prout tradit Hurtad. de interdict. differ.* 7. *num.* 24., ibi = Incipiunt singuli dies festivi a primis vesperis, quia inde incipiunt eorum solemnitates quoad celebrationem, exceptis festivitatibus Resurrectionis, & Pentecostis, quæ incipiunt a Missa vigiliæ, quia in earum vigiliis Missa per anticipationem fit de ipsis festivitatibus: *vel saltem* a Gloria in excelsis *ejusdem Missæ solemnis, quia tunc Ecclesia festum Resurrectionis inchoat, gaudiumque solemnitatis per sonitum tintinnabulorum evulgat, quemadmodum expendit Diana Concil. tom.* 5. *tract.* 4. *num.* 3. Atque hinc notat, quod = *in alterutro ex præmissis interessentiæ actibus submota remanent Populi admiratio, atque etiam obtrectatio, ubi Canonicus, ejusque successores ad chorum accederent dum finem habet Missæ solemnis celebratio; ac vicissim satisfactum videtur Testatoris voluntati, quæ interes-*

sen-

sentiam Canonico præscripsit nella solemnità del SS. Natale, di Pasqua &c., *quæ quidem verba latiorem exigunt interpretationem.*

Præter Missam solemnem, aliæ plures in Sabbatho Sancto celebrantur functiones a sequenti Paschatis solemnitate distinctę, ut notum perspectumque est, & observat *Benedictus XIV. de Fest. D. N. Jesu Christi lib. 1. cap. 8. num. 1.*, ibi = *Hoc die* (Sabbathi Sancti) *sacram illam, & mysteriis plenam Christi quietem in sepulchro, ejusque descensum ad inferos, seu statum illum Jesu Christi, quandiu Anima a corpore fuit sejuncta, recolit Ecclesia. Sed ex ea, quæ viget disciplina sacræ complures aliæ hoc Sabbatho peraguntur cæremoniæ, quæ Resurrectionem Domini respiciunt, & ipsa Missa hac die celebratur de Resurrectione.* Resumpto igitur folio diei 9. Julii 1785. deliberare dignentur Emi Patres.

An sub primis vesperis Paschatis comprehendi debeat Missa solemnis Sabbathi Sancti, & omnes etiam ejusdem diei functiones, in casu &c.

Deinde

Die Sabbathi 27. Februarii 1790. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

Ad quintam sequentes Causæ ex præcedenti sunt Folio diei 23. Januarii.

NARNIEN. Querebatur in sua informatione Narniensis Episcopus de neglecto per Comitem Mancinelli investimento scutorum 328. favore Hospitalis Castri S. Viti. De eo nunc docet Comes in Locis 3. $\frac{35}{100}$ Montis S. Petri quartæ erect., quæ ex Literis patentibus acquisita apparent die 27. Februarii 1788., post rationes nempe per Sodales dispunctas die 13. præcedentis Januarii, licet in majori contineantur numero Locorum 10. $\frac{35}{100}$, in quibus auctus est Hospitalis fundus. Ac sua in reliquis deducit jura, benigne per EE. Vestras ex ejus Scriptis colligenda. *Sess. 22. cap. 6. & 9. de Reform.*

Quæritur itaque.

I. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis in casu &c.*

II. *An constet de redditione rationis, seu potius sit reddenda, & cui in casu &c.*

III. *An sit locus deputationi alterius administratoris in casu &c.*

Ad I. Negative.

Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, & rationem reddendam esse Episcopo.

Ad III. Affirmative ad formam testamenti arbitrio Episcopi.

Sess.22. Decret. de observ. & evitan. in celebr. Miss.,& sess.24. cap.15. de Reform.

ALBINGANEN. MISSÆ CONVENTUALIS.

An, & quomodo sit locus reductioni Missæ Conventualis quoad futurum in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi.

Sess.25. cap.5. de Reform.

SPOLETANA.

I. *An, & ad quem spectet onus solvendi collectam in casu &c.*

II. *An sit locus repetitioni indebiti in casu &c.*

Ad I. Spectare ad Universitatem Fematris.

Ad II. Affirmative.

Sess.14. cap.7. de Reform.

LUNEN. SARZANEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

Negative.

Sess.21., & 22. cap.4.,& sess.24. cap. 12. de Reform.

ROMANA.

An sub primis vesperis Paschatis comprehendi debeat Missa solemnis Sabbathi Sancti, & omnes etiam ejusdem diei functiones in casu &c.

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

TYBUR-

TYBURTINA EMPHYTEUSIS. Santarellio primum in Congregatione diei 29. Augusti elapsi anni, deindeque sub die 29. Decembris Statio decrevernnt EE. Vestræ emphyteusim bonorum pii operis de Romanis. Tertio nunc ad examen redit Causa, Vestraque etiam animadversione dignæ sunt novissimæ preces Pauli Cicola dd. bonorum usufructuarii. Tot Santarellius pro securitate canonis indefinite obtulerat Loca Montium; magisque aperte *sub* §§. 5. 14., & 16. ejus allegationis distributæ in Congregatione diei 29. Augusti declaraverat, talem futurum illorum numerum, ut annui eorum fructus canoni responderent. Hoc ipsum Cicola facturum autumabat Statium, qui præter olearíam molam, suam fecit Santarellii oblationem. At ex illius jactationibus, ejusque investigata conditione in suspicionem venit, tot eum obligare dumtaxat velle Loca Montium, quot ad unius, vel alterius annui canonis solutionem in eorum sorte sufficiant; neque aliter ob illorum defectum facere posse. Valde igitur hac de re timens sibi, qui pacifice hactenus, præ Statiorum cupiditate, bonorum pensiones consequutus non fuit, valdeque de pejori dubitans pii operis infortunio, si absque justa annui canonis cautione ad ejus manus perveniant bona, qui sibi suisque debitum censet pium legatum, EE. Vestras rogat, ut Statium cogant ad tot obliganda Loca Montium, quorum fructus respondeant canoni, vel emphyteusim Santarellio, qui hanc offert perutilem cautionem, benigne concedant. *Sess.25. cap.11. de Reform.*

Deliberandum igitur.

An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu &c.

In secundo loco decisis, & amplius.

MONTIS ALTI CANONICATUS. Prævio recessu a decisis sub diebus 25. Aprilis, & 18. Julii elapsi anni 1789., rescripserunt EE. Vestræ in Congregatione diei 19. subsequentis Decembris, institutionem ad Ca- *Sess.25. cap.9. de Reform.*

nonicatum Cathedralis Montis Alti dandam esse Sacerdoti Francisco Agnelli, Ad instantiam modo Sacerdotis Aloysii Ferrari quæritur.

An sit standum in primo & secundo, vel tertio loco decisis in casu &c.

In tertio loco decisis, & amplius;

Sess.22. cap.6. de Reform.

VITERBIEN. APERITIONIS ORIS. Licet hujusce Causæ species fuse lateque exposita fuerit in Folio diei 17. Junii 1780., pauca tamen excipere non pigeat. Post lapsum quinquagenariam, Congregationi Scholarum Piarum a Porphirio Fantozzinio præfinitam pro fundatione Collegii in Oppido Vetrallæ, ab hac Sacra Congregatione obtinuerunt Religiosi die 30. Augusti 1766. prorogationem termini ad aliud decennium. Proposito enim Dubio: *An sit locus expetitæ prorogationi, seu potius factus sit locus vocationi, & erectioni Canonicatuum*; prodiit, contradicente Vetrallensi Clero, rescriptum: *Affirmative ad primam partem ad decennium, negative ad secundam, & amplius*. Hoc pendente decennio, decrevit anno 1774. Emus Corsini, uti a Clemente XIV. delegatus, reditus hereditatis Fantozzini, & cujusdam legati Guidacci erogandos esse in dimissionem alieni æris, ad summam scutorum 45. millium contracti pro constructione Collegii *Calasantii* Urbis, firma remanente celebratione Missæ quotidianæ à Fantozzinio præscriptæ, & Anniversarii Guidacci; ejusque decretum Apostolico confirmatum fuit Brevi. Hinc ex rescripto *Signaturæ Justitiæ loco gratiæ* quæsitum fuit ad instantiam Cleri in Congregatione diei 15. Julii 1780. *An intret arbitrium pro aperitione oris*, ac responderunt Emi Patres: *Negativè*. De hac modo resolutione post diuturnum annorum decem silentium queritur Clerus,

Rem esse ait de aperitione oris adversus Clementinum Breve, quæ ad simplicem etiam læsionis, aut subreptionis, & obreptionis fumum conceditur, *Pitoni discept. 22. num. 1., & discept. 108. num. 7.*; *Rot. cor. Mo-*

Molin. decis. 871. *num.* 1. *& seqq.*, *& in Romana Locorum MM. super Aperitione Oris* 4. *Maii* 1759. §. 3. *coram clar. mem. Card. Elephantutio*. In eo læsionem reponit, quod annua scuta 400. hereditatis Fantozzini nec pro fructibus sufficiunt scutorum 45. millium, ac nulla idcirco spes est erectionis Collegii in Terra Vetrallæ. A voluntate ergo Summi Pontificis alienam dicit gratiam Religiosis concessam; quum omnino tollere noluisse censeatur jus tertii, *Molin. de just. & jur. disp.*24. *concl.*4. 5. *&* 7., *Valent. de ult. volunt. vot.*27. *num.*91. *& seqq.*

Plura insuper proponit subreptionis, & obreptionis capita. Silentio enim Clementi XIV. præterierunt Religiosi oblatam a Vetrallensi Communitate subministrationem scutorum 200. in singulos annos, quæ faciliorem reddebat Collegii fundationem: jus Vetrallensis Cleri pro erectione Canonicatuum, si post annos quinquaginta non perficeretur Collegium, pro quo jure citari etiam debuisse asseritur: & onus erudiendi Pueros Doctrina Christiana. Si hæc, inquit Clerus, exposita fuissent Pontifici, vel gratiam denegasset, vel difficilius concessisset, quod satis est ad inducendam illius subreptionem, per *Text. in cap. Postulasti*, *& cap. Super Literis de Rescript.*, *ibique Fagnan. num.*8.

Editum contra affirmant Religiosi decretum Emi Delegati; ejusque confirmatorium Breve post accuratum Testamenti, aliorumque jurium examen, neque idcirco de utriusque validitate, & justitia dubitari posse, *Text. in Leg.* 1. *&* 3. *ff. de offic. ejus cui mandat. est jurisdict.*, *ibique Brunneman. num.* 5., *& Rot. in Romana Legati*, *& Multiplicorum* 20. *Januarii* 1758. §. 2. *cor. de Canilliac*. Perpetuam non esse contendunt gratiam, licet de insigni agatur dimittendo debito scutorum 45. millium; nam duratura erit quousque aliter providebitur = *substentationi*, *& manutentioni dicti Collegii* (Calasantii) *vel per obvenienda Legata, seu hereditates, vel per quamcumque alium modum*. Eamque ab impictis tandem vindicant subreptionibus.

Reticita quidem fuit oblatio Communitatis; sed destituta erat necessario Sacra Congregationis Boni Regimini Beneplacito, ac tanquam simplex tractatus, absque subreptionis vitio omitti poterat, *Felin. in cap. super literis, de Rescript.*, *num.* 6. *Rot. coram Molin. decis.* 1217. *num.* 20. Remotum præterea Vetrallensis

Cle-

Cleri jus desumi potuisse ajunt Religiosi ex testamento Fantozzinii, quod exiberi debuit Emo. Delegato, neque in re gratiosa, qualis est voluntatis commutatio, opus fuisse citatione Cleri, *Ubert. de citat. cap.* 8. *num.* 234., *Rot. coram Crescent. decis.* 299. *num.* 25. De onere tandem docendi Doctrinam Christianam ex se ipso Summus Pontifex cogitare potuit, quum consentaneum esset Scholarum Piarum instituto; quod ad excludendam sufficit subreptionem, *Ros. de execut. Liter. Apostolic. cap.* 6. *num.* 53., *Card. de Luc. de benefic. disc.* 42. *num.* 11.

De aliis Collitigantes certant subreptionibus, & obreptionibus, quæ paullulum ab expensis distant. Eas igitur Emi Patres ex respectivis illorum scriptis colligere ac perpendere dignentur, ut assueta æquitate respondeant.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Delata, & reproponatur citata etiam Communitate.

ess.22. cap.6. & sess.25.cap. . de Roform.

ASCULANA CAPELLANIARUM. Heredem scripsit anno 1693. Dorothea Fiaschetti Joannem Mancini ejus virum in usufructu, suosque speratos filios in proprietate. His deficentibus, filios ad usumfructum ex secundis illius nuptiis vocavit; tributaque viro facultate alienandi bonorum dimidiam, pium ex dimidia altera, vel integra etiam hereditate, quatenus non alienasset, tot Missarum reliquit legatum, quot ad rationem obolorum decem pro quolibet reditus ferrent. Eum quoque, ejusque filios, & nepotes usufructuarios instituit anno 1698. Catharina Rufini secunda uxor, & hebdomadalis Sacri capellaniam post obitum novissimi heredis imperavit. Dorotheæ hereditas ex dotali constabat domo, quæ scutis in origine valebat 400., modo 250., annuique est reditus scutorum octo, & ex dotalibus pariter scutis 300., quorum debitor erat vir. In uno altera Catharinæ consistebat credito scutorum 270., quæ in suos usus Mancinius ex dotalibus venditis prædiolis erogavit. Præsens vero ipsius Mancinii hereditas juxta Folium ab Episcopo transmissum

sum, scuta in tot prædiis attingit 374., annui reditus scutorum 11. 21.

Mancinio defuncto, universæ delatæ fuerunt hereditates ad Antonium, & Ritam ejus ex secundis nuptiis filios. Post Antonium decessit anno 1776. Rita, nominavitque ad capellaniam Rufini Michaelem Lattanzi, ejus ex prædefuncto Petro nepotem, qui, Asculani Episcopi testimonio, *pro capellano se gessit tam in judicio, quam extra, bona retinendo, ac Missas in aliquali parte adimplendo, prout in precibus narratur* (ad numerum scilicet circiter 300) De legato autem Fiaschetti nec cogitatum unquam. Conscientiæ tandem stimulis agitatus, iteratam Lactantius quoad præteritum impetrasse asserit compositionem sub annum 1787. a Rev. Fabrica S. Petri. Sed animo nondum tranquillus, EE. Vestris deinde supplicavit pro absolutione quoad futurum ab utroque Missarum onere, vel facultate solvendi ad effectum investiendi aliquam summam, ut hereditaria Mancinii bona ab uno, & altero solvat dotali debito.

Exposita confirmat Episcopus, & hæc habet; *Ne diutius suffragiis defraudentur Animæ piarum mulierum, congruum esset, si ita videbitur, EE. Patribus, certum numerum Missarum decernere, juxta ratam fructuum determinandum, tam relate ad domum, quam ad prædia, quæ capellaniis obligata dici possunt, illasque celebrare in peculiari Ecclesia eligenda, ut inde de oneris constet implemento. Annuendo vero precibus Oratoris cum solutione summæ valori bonorum correspondentis ad effectum illam reinvestiendi cum onere fixo celebrationis Missarum pro recensitis capellaniis, periculum certe cessaret litium, & exceptionum, quæ in aliqua portione prædiorum in folio descriptorum dari possent a creditoribus Ritæ Mancini.*

Quæritur itaque primo de abolitione, vel reductione Missarum, quæ onus respicit hereditariis infixum bonis Joannis Mancini pro respectivis Fundatricium creditis; nam viget adhuc domus Dorotheæ. Æqua profecto videri posset quoad primum legatum ex facultate alienandi medietatem bonorum; sive quia legitimi heredes Mancinii, in quos universa transierunt illius jura, per *Text. in Leg. Nihil aliud, ff. de verb. signific.*, quantitatem retinere valent, de qua disponere poterat, *Mantic. de conject. lib. 7. tit. 7. num. 14.*, *Rot. in*

Re-

Recent. decis. 17. *num.*38. *part.*5. *tom.* 1., sive quia ea quodammodo utens facultate, accepit Mancinius anno 1703. in causam dotis Dorotheæ scuta triginta, nedum tanquam illius *usufructuarius*, sed veluti etiam *legatarius*. Si habenda igitur non esset ratio scutorum 300., quæ ab ejus hereditate debentur, jam pro hac summa, in quibus dimidia fere Dorotheæ hereditas consistit, deficeret fundus capellaniæ, & locus esse posset abolitioni oneris, *Monacell. form.* 19. *tit.*20. *part.*1. *num.* 25., & *Sacra Congregatio in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783.

Ne quid contra ex hæreditate Dorotheæ a Mancinio distractum, vel ad ejus heredes transmissum dicatur, receptior urget *Doctorum* sententia. Non aliter enim ad actum deducta censetur alienandi facultas, quam per expressam declarationem, *Mans. consult.* 429. *num.*2. & *seqq. tom.*5., *Card. de Luc. de fideicomm. disc.*58. *num.* 7., *Polit. eod. tit. dissert.* 18. *num.* 26. *tom.*1., & *dissert.*105. *num.*27. *tom.*2. Quatenus igitur debitrix videretur Mancinii hereditas scutorum 300. favore legati pii Fiaschetti, majori ex parte deficeret fundus capellaniæ Rufini; quum vix hereditas illa summam attingat scutorum 374., & anteriore affecta sit hypotheca hereditarii crediti Dorotheæ, quæ ab anno incipit 1693., quo stipulatum fuit dotale ejus instrumentum, ut communiter tradunt Doctores *in Leg. Assiduis* 12. *Cod. qui potior. in pignor. habean.*, *Card. de Luc. de dot. disc.* 166. *num.* 21., *Polit. eod. tract. dissert.*1. *num.*14.

Nisi pro respectivis mulierum creditis adversus hereditatem Mancini aboleri debeant Missarum onera, deliberandum erit de illorum reductione. Quoad legatum Fiaschetti pendet resolutio ab altera de credito scutorum 300. Si reipsa per Mancinium de medietate hereditatis Dorotheæ dispositum censeatur, locus esse posset reductioni Missarum ad fructum domus. Si aliter in id EE. Vestræ sentiant, nulla videretur ratio, cur tot juxta voluntatem Testatricis celebrari non debeant Missæ, quot integræ hereditatis reditus capiunt. Major est difficultas quoad capellaniam Rufini. Quatenus enim detrahenda essent ab hereditate Mancini scuta 300. pro legato pio Fiaschetti, adimpleri non posset ex reliquo capitali scutorum 74. hebdomadalis Missa per Catharinam Rufini demandata, & in-

dul-

dulgenda forsan esset reductio, eo quod emolumentum non responderet oneri, ut cæteris omissis, novissimè censuit Sacra Congregatio *in Brictinorien. Reductionis Onerum* 19. *Decembris* 1789. *ad* 1. *Dubium*. Quoties vero denegaretur illius summæ detractio, decrescerent Missæ Fiaschetti, integrumque remaneret Capitale Rufini scutorum 270., & par esset oneri Capellaniæ.

Notandum tamen, quod descendit Orator a Joanne Mancini, & Catharina Rufini, eorumque hereditaria bona cum illis Dorotheæ Fiaschetti absque Inventasio possidet, *& pro Capellano se gessit tam in in Judicio, quam extra*. In his sane terminis non excusatur fortasse ex illorum insufficientia, quin de proprio etiam ante redditam rationem utriusque Testatricis voluntatem adimpleat, *Jo. Bap. de Thor. privileg.* 203. *apud Tiraquell. de privileg. caus. piar.*, *Rot. in Romana Capellaniarum* 27. *Junii* 1725. §. *Porro*, *& seq. coram Garnaches*, *& Sacra Congregatio in Camerinen. Subsidii Dotalis* 27. *Junii* 1761. *ad* 11. *Dubium*, *& in Januen. Legati* 15. *Decembris* 1787. *ad* 1. *Dubium*.

Secunda quæstio est de subrogatione pecuniæ numeratæ in locum bonorum Mancini pro ea summa, quæ EE. Patrum judicio, utrique debetur mulierum hereditati. Utile quidem non videtur novum quærere investimentum, dum in ipsis haberi posset fructiferis prædiis Debitoris. Alia ex parte advertendum, hereditatem Mancini debitricem esse quantitatis, non speciei. Præter domum sane valoris semel scutorum 400., nunc 250., pecuniam recepit Mancinius in scutis 300. a Dorothea, pecuniam in scutis 270. a Catharina; quum vendita fuerint dotalia ejus prædiola *auctoritate Judicis* in dimissionem passivi census, quo gravabatur. Tradere enim non tenetur speciem, qui debitor est quantitatis, *Text. in Leg. Plerumque interest* 10. §. *ult. ff. de jur. Dot.*, *Voet. in Pandect. lib.* 45. *tit.* 1. *num.* 22. Per liberam insuper pecuniæ solutionem declinarentur lites, quę juxta relationem Episcopi institui possent a creditoribus Ritæ Manciniæ super hereditariis bonis ejus Patris. Ad vitandas profecto lites permissa etiam fuit ab hac hac Sacra Congregatione subrogatio pecuniæ in locum prædii pro fundo capellaniæ assignati, *in Ravennaten. Legati* 25. *Aprilis* 1789. *ad* 1. *Dub.*

Dubia sunt :

I. *An, & quomodo sit locus abolitioni onerum Missarum, seu potius reductioni in casu &c.*

II. *An, & in qua summa sit locus solutioni pecuniæ numeratæ, seu potius assignationi prædiorum in casu &c.*

Non proposita.

Die

Die Sabbathi 20. *Martii* 1790. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

ASCULANA CAPELLANIARUM. *Sess.22. cap.6 & sess.25.cap 4. de Reform.*

I. *An, & quomodo sit locus abolitioni onerum Missarum, seu potius reductioni in casu &c.*

II. *An, & in qua summa sit locus solutioni pecuniæ numeratæ, seu potius assignationi prædiorum in casu &c.*

Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem

ROMANA SUBSIDII DOTALIS. Ad Dubium hujus Causæ; *An, & cui sit dandum subsidium dotale in casu &c.*, rescripserunt EE. Vestræ in Congregatione diei 28. Novembris elapsi anni 1789. = *Affirmativè juxta votum Emi Protectoris*. Utraque nunc Parte in circumferendis scriptis informante, quæritur. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 14, *cap.* 7. *de Reform.*

URBEVETANA IRREGULARITATIS. Igniario elato, Ficullis nemus venandi causa ingressus fuit anno 1772, Thomas Brocchetti e Villa S. Cristophari, ac inopinato igneæ ballistæ ictu Angelum Francisci interfecit. In contumaciam hac de re ad quinquennem triremem damnatus, Fiscum elapso quinquennio, Partemquè composuit, & in libertatem rediit. Integram deinde inter Tertiarios Patrum Conventualium, & Canonicorum Regularium SS. Salvatoris per decennium duxit vitam, pieque nunc in Castro vivit Fabri. Post octodecim tandem annos dispensationem postulat ab irregularitate, eique Emus favet Urbevetanus Episcopus. Remittendum enim censet homicidium *casualiter commissum ab Oratore, dum annum duo de viginti agebat*. Licet præterea ejus testimonio, *necessitas, aut utilitas plurium Sacerdotum in Terra Ficulli, ubi adsunt Sacerdotes viginti duo; non urgeret; est tamen in locis conterminis, & præsertim in Castro Fabri, pariter meæ Diœcesis, in quo moram nunc trahit Orator*.

Agitur quippe de promovendo ad ordines, eique rigidissima obesse posset censura *Sacri Concil. Tridentini Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*, ut perpetuo scilicet arceatur ab Altari. Hujusce vero *Conciliaris Sanctionis*, limitationem præbet Emus Episcopus, dum homicidium casu ab Oratore patratum affirmat; nam expresse *in cit. sess.* excipitur *homicidium non ex proposito, sed casu commissum*. Redargui valet Orator, quod igniarium non demiserit, cum periculis plenum ingressus fuit nemus. Quandoquidem ex opere etiam licito, & absque dolo operantis datur causa ad homicidium ordinata, ex qua voluntarium fit, quod est casuale, per *Text. in cap. continebat, & cap. Suscepimus, de homicid.* Notandum tamen, id imperitum duo de viginti annorum juvenem non fecisse, quod provecti dumtaxat venatores solent. Levissima siquidem hæc negligentia censeri forsan nequit causa ordinata ad homicidium, quæ voluntarium reddat effectum, *cap. quæsitum de pœnit., & remiss., Fagnan. in cap. si constiterit num.* 40. *de accusat.* In simillimo casu irregularitatem EE. Vestræ remiserunt Clerico homicidæ *in Cadurcen. dispensationis ab Irregularitate* 16. *Maii elapsi anni* 1789.

Post tot insuper annos deleta presumitur memoria delicti, *Rota in Melevitana Pecuniaria* 8. *Februarii* 1751. §. 15, *coram Elephant.* Quod in concedenda dispensatio-

satione ab irregularitate præcipue spectandum est, *Fagnan. in cap. Henricus, de Cleric. pugnan. in duell. num.* 3., & *Sacr. Congregatio in Lemovicen. Dispensationis ab Irregularitate* 12. *Julii* 1788. Fisco item, & Parti satisfecit Orator, pluribusque deinde annis, Emi Episcopi testimonio, tum inter Regulares, cum in sæculo *bonis spectatisque moribus se ostendit*; quod sedulo ponderandum monet *Fagnan. loc. cit. num.* 35. Et favor tandem accedit ipsius Emi Episcopi, ex quo indulgentiam adhibuit Sac. Congregatio *in Murana Irregularitatis* 12. *Martii* 1763.

Dubium est: *An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.*

Affirmative.

SENOGALLIEN. Antonius Bruni è Castro Peticuli hæredes instituit anno 1708. filios masculos Josephi ejus fratris, ceterosq. in perpetuum substituit illorum masculos. His omnibus deficientibus, ex integra erigi jussit hereditate *un Juspatronato colla direzione delle Messe, che parerà al Signor Pievano pro tempore del sudetto Luogo*. Purificato sub annum 1778. hujusce erectionis casu, in possessionem ivit bonorum hodiernus Castri Parochus Joseph Caterini, quæ tamen cepit esse pacifica post actam in Tribunali A. C., & Sacra Rota sumptuosam litem cum descendentibus Josephi per lineam fœmininam. Ad impediendam tamen causæ prosequutionem, vendere promisit Parochus hereditaria bona adversariis pretio scutorum 847. 65., pro quibus solvendi essent fructus compensativi scutorum quatuor in singula centum. Ab EE. Vestris deinde transactionis approbationem imploravit, unicoque contextu Pontificium adiit Solium pro facultate statuendi ex fructibus hereditatis duplicem dumtaxat menstruam Missam, ut tenues Paræciæ suæ reditus augeret. Juxta activum porro & passivum ejus statum, novissime ab ipsomet Parocho confectum, vix detractis oneribus, annuam attingunt summam scutorum 36. 61., eique ex fructibus pii legati, quos sta-

Sess. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

statuunt Periti in annuis scutis 33. 86., scuta accrescerent 31. 48., dempto Missarum onere, & integrum constituerent Parœciæ reditum scutorum 68. 09.

Hisce etiam precibus ad Sac. Congregationem ablegatis, prior supervenit Emi Senogalliensis Episcopi informatio *super concordia*; acceptoque etiam eruditissimo voto, de quo rogatus fuit Emus Salviati, rescripserunt EE. Vestræ sub die 16. Maii elapsi anni 1789. *Pro facultate arbitrio Emi Episcopi pro scutis mille, cum onere investiendi cum solitis clausulis solutis fructibus compensativis juxta morem Regionis, donec idoneum reperiatur investimentum, & reservato dominio; nec non translatis super novo investimento oneribus ad formam testamenti*. Sic absoluto concordiæ negotio, retulit secundo Emus Episcopus de Missarum numero, cumulateque Oratori præ inopia Parochiæ favens, hæc habuit: *Cum ex testamento, EE. Vestris jam cognito, constet, Parocho pro tempore tot Missas pro ejus arbitrio ex reditibus legati Antonii Bruni celebrandi facultatem factam fuisse, ut ex iterata Sacræ Rotæ decisione etiam evincitur, qua cautum fuit, ad Parochum legati dispositionem ex integro spectare, opinor, quoniam nulla alia sperari posset, ut sufficiens, & necessaria sustentatio Oratori suppeditetur, eum ut a paupertate aliquatenus redimatur, gratiam in supplici libello expetitam promereri. Eo vel magis, quod cum Testatori Parochiæ paupertas nota esset, jure præsumi potest, liberam numeri Missarum determinationem Parocho reliquisse, ut ejus egestati aliquo modo succurreret; ex qua reditus accessione non ditescit Parochus, sed tantum ejus tenuitas pro honesta sui sustentatione minuitur*. Admodum vero tenue visum fuit Emo Salviati *onus Missarum viginti quatuor, quas Orator annuatim exhibet celebrandas*; ideoque ampliandum *ad annuas Missas centum ad minus*. De hac igitur re sub infrascripto agitur Dubio.

Inopiam Emus Episcopus memorat Parœciæ, cui succurrendum statuit *Tridentina Synodus sess. 21. cap. 5., sess. 24. cap. 13. de Reform.*, valdeque arbitrium urget disponendi de Missarum numero, quod datum supponit Parocho verbis illis: *colla direzione delle Messe, che parerà al Signor Pievano*. Qui de re enim aliqua arbitrium habet, eam voluntate sua moderare potest, neque necessitati subiicitur juris, *Leg. non quidquid, ff. de judic., Rot. in recen. decis. 576. nu. 5. part. 5.*

part. 5. tom. 1. Idque eo magis procedere ait Emus Episcopus ex præsumpta Testatoris voluntate, qui non ignorans inopiam Paræciæ, *liberam numeri Missarum determinationem Parocho reliquisse censetur, ut ejus egestati aliquo modo succurreret.*

Ut recte alia ex parte Emi Patres de paupertate judicent Oratoris, pauca super activo, & passivo Paræciæ statu, per eum exhibito, notanda sunt. Præterit in activo emolumenta stolæ, aliaque omnia incerta, & annuus tamen reditus summam attingit scutorum 115.05. In passivum vero scutorum 78. 44. Missas refert pro Populo in scutis 8. 30., quas tamen applicare tenetur non reditnum causa, sed ratione officii, *Concil. Trident. sess.23. cap.1. de Reformat.*, *Benedict. XIV. in Constitut. Cum semper Oblatas* §.4., & 5., & *de Synod. Dioces. cap. final. num.4.*, & *seqq.*, *Ferrar. verb. Missæ Sacrificium artic.3. num.8.*, *Clericat. discord. forens.29. de Benefic. num.43.*, & *hæc Sacra Congregatio in Neocastren. Missæ pro Populo ad I. Dubium 26. Januarii* 1771. Aliaque vel minima in certa addit quantitate, quæ minora quandoque esse possunt, ut cibaria quædam, utensilium, ædiumque manutentio, & similia. Sed posita inopia, ponderandum adhuc, num levanda sit ex reditibus destinatis in celebrationem Missarum, vel aliis potius modis à *Sacro Concilio Tridentino* præscriptis.

Expendere tandem dignentur Emi Patres verba = *colla direzione delle Messe, che parerà al Signor Pievano* = suaque prudentia deliberent, an Missarum *directio*, quam appellat verbum *parerà*, arbitrium præseferat disponendi de Missarum numero, qui substantiam tangit legati, vel potius celebrationis *modum*, & num liberam disponendi facultatem sibi asserere posset Orator ex arbitrio, quod regulari deberet à jure, *Bart. ad leg. fin.* §. *Sed etsi*, *num.16. Cod. comm. de legat.*, *Barbos. claus.10. num.2.*, & *Rot. in Recent. decis.323. num.1. par.16.* At si celebrandæ erunt Missæ juxta integras hæreditatis vires, statui quoque oportebit illarum taxa. Nihil in id Testator. Quum autem de perpetuo agatur Missarum onere, ejusque initio, locus fortasse erit celebrationi ad taxam perpetuæ, ut sæpissime definivit *Sacra hæc Congregatio*, & præsertim *in Nepesina Reductionis Onerum 24. Julii* 1734., *in Lucana Applicationis Missæ quotidianæ 12. Februarii*

rii 1755., *& in Albinganen.* 12. *Decembris* 1778. Hoc enim pacto emolumentum etiam, medietatem reditus attingens, ex administratione Pii Operis consequeretur.

Vestræ igitur, Emi Patres, deliberationi proponitur.

An, & quomodo sit locus celebrationi Missarum in casu &c.

Affirmative ad taxam perpetuæ.

Sess.22. cap.3. & sess.24. cap. 12. de Reform.

VELITERNA RESIDENTIÆ, ET SERVITII CHORI. Quinque in Velitrarum Ecclesia S. Mariæ de Trivio ab immemorabili tempore sunt beneficia, seu *clericatus*. Eorum deficit fundatio: sed juxta Sacras Visitationes, onus Beneficiatis est Missæ quolibet die Dominico, ac SS. Petri, & Pauli, feriaque secunda; nec non hebdomadæ per turnum, & chori diebus Dominicis & festis, vigiliis, sabbatho, octava Corporis CHRISTI, & majori hebdomada. Uni ex hisce Beneficiatis, Sacerdoti nempe Josepho Crucio, cui *tam auctoritate ordinaria, quam vigore quorumcumque privilegiorum, & indultorum Apostolicorum* beneficium contulit anno 1673. clar. mem. Cardinalis Barberinus, Ostiensis tunc & Velitrensis Episcopus, superaddidit onus inserviendi Ecclesiæ Cathedrali, quæ sufficientibus carebat Ministris, eumque jurisjurandi religione, pœnæque timore ad exequutionem adegit novi instituti per hæc verba: *Considerantes, quod nostra Ecclesia Cathedralis S. Clementis Ministris inibi in Divinis inservientibus careat, & ut ejus decori, & illius Ministrorum augmento provideatur, statuimus, & ordinamus, quod in posterum dictum beneficium pro tempore obtinens teneatur, & obligatus sit perpetuis futuris temporibus inservire dictæ majori Ecclesiæ ad instar aliorum Beneficiatorum ibidem residentium; quodque Tu, antequequam ad exequutionem præsentium procedas, & possessionem assequaris, te obligare debeas medio juramento, in manibus Vicarii Nostri Generalis præstando, de in dicta majori Ecclesia personaliter residen-*

dendo ; aliàquin reditus , & fructus beneficii &c. Sacristiæ Ecclesiæ applicamus . Non intendimus tamen oneribus adhuc dicto beneficio injunctis in aliquo præjudicare .

Post obitum Cardinalis Barberini absolvi curavit Crucius à præstito juramento , judiciumque instituit anno 1690. super novi oneris nullitate . Liti vero ante exitum cessit , ultroque Cathedralis servitium continuavit . Hoc ipsum deinde ad annum 1784. fecerunt illius Successores ex adjecta in respectivis beneficii collationibus annorum 1715. 1726. & 1756. ejusdem servitii obligatione . In prima siquidem , & secunda , quæ *Pontificiæ* fuerunt, vacatum enunciatur beneficium , *cujus servitium ad majorem Ecclesiam Velitern. canonice translatum fuit* ; iterumque *perpetuum simplex , personalem tamen residentiam requirens , & servitium Chori in Ecclesia Velitern. adnexum habens beneficium Clericatus in Parochiali Ecclesia S. Mariæ de Trivio* . In tertia vero clar. mem. Cardinalis de Ilcio jam Ostiensis & Velitrensis Episcopi , *Ecclesiæ Cathedrali unitum & incorporatum* dicitur *ut numerus Presbyterorum , & Clericorum in eadem Cathedrali Ecclesia deservientium augeretur* .

Eodem sub annum 1784. vacato beneficio , Emus D. Cardinalis Albani Sacri Collegii Decanus , qui Ostiensem nunc & Velitrensem regit Ecclesiam , illud contulit Sacerdoti Nicolao Romani *cum illius adnexis , & omnibus juribus , honoribus , & oneribus , & pertinentiis suis universis* . At eo accepto , Cathedralis servitium & residentiam respuit novissimus hic Beneficiatus . Actum idcirco fuit cor. R.P.D. Albani tanquam Generali Emi Episcopi Vicario , deindeque in gradu appellationis coram R. P. D. Pelagallo , ac duæ favore Capituli prodierunt conformes sententiæ super manutentione exigendi servitium , & residentiam . Renunciavit Romanus possessorio , ac petitorium prosequens , Sacram istam adiit Congregationem pro sua ab utroque onere vindicanda libertate . Rem Emus Episcopus in disertissima sua expendit informatione , malumque Oratoris jus tum in possessorio , cum in petitorio ex centenaria desumit observantia . Qua ei mente beneficium contulerit, in hæc exponit verba: *Cum beneficium à me Oratori collatum est = cum omnibus juribus , honoribus , oneribus , & pertinentiis universis = nec mihi mens*

esse poterat, nec plane fuit, ut omnia onera cohiberentur ad normam fundationis, quæ non extabat; sed fuit, & esse debebat, ut novus Beneficiatus beneficium ita haberet, uti habuerunt ejus immediati prædecessores; quæ mea mens satis expressa haberi poterat per verba = cum omnibus oneribus - quibus verbis onera cum vetera, tum nova satis comprehenduntur; ac multo magis comprehensum intelligi debebat onus impositum = perpetuis futuris temporibus = ut statutum fuit à clar. mem. Card. Barberino.

Ex eo insuper in aucto Beneficiati servitio potestatem vindicat Cardinalis Barberini, quod processerit *tam auctoritate ordinaria, quam vigore quoruncumque privilegiorum, & indultorum Apostolicorum*, quodque probatum fuerit illius factum in Apostolicis collationum Literis, in quibus *non de beneficio, quod revera hactenus extat apud S. Mariam de Trivio, sed de servitio tantum proprie & vere enunciatur, quod translatum fuerit ad Ecclesiam Cathedralem, idque canonice factum affirmatur.* Atque in id ponderat, quod *hujusmodi assertio decem tantum annos post obitum Crucii profertur, dum illius immediatus successor beneficium resignaret; cum nimirum recentior erat memoria judicii intentati ab eodem Crucio, & notior ratio, ob quam ille ipse sibi acquiescendum esse censuerat. Nempe ex hoc ipso magis magisque confirmatur quæ centenariæ vis & efficacia tribuitur, ut si ad convalidandum titulum Apostolica auctoritas necessaria videatur, ipso lapsu centum annorum hæc supervenisse præsumatur.* Neque cessatum censet onus ex cessata causa, ob auctum scilicet numerum inservientium Cathedrali. *Cum enim onus impositum fuerit pro perpetuis futuris temporibus, nec oneris impositio limitata fuerit ad durationem causæ, quæ imponendo oneri ansam præbuit, ejusdem oneris continuatio non amplius pendere videtur à causæ duratione, cum ità onus adjectum fuerit, ut nullis temporis limitibus esset circumscribendum.* Duo igitur in acerrimo Partium conflictu disputantur Dubia.

De viribus sub *primo* agitur oneris; ac regulam urget Orator, quod ei Beneficiatus inservire debeat Ecclesiæ, cui adscriptus est, *cap. ex parte* 8., *& cap. inter quatuor* 10. *de cleric. non residen.*, *Pignatell. consult. canon.* 92. *num.* 1., *& 2. tom.* 10., *Rigant. ad regul.* 24. *Cancell.* §. 5. *num.* 1., ne servitium & ipse præstare co-

ga-

gatur Cathedrali, dum suæ inservit Ecclesiæ S. Mariæ de Trivio, & duplici gravetur onere, contra regulam alteram, de qua *Rocc. disput. jur. cap.*77. *num.*7., *& seq.*, *Card. de Luc. de Regular. disc.*26. *num.*11. Neque aliter utrique Ecclesiæ servitium præstare debere contendit, quam si injunctum demonstretur in fundatione beneficii, vel a legitima potestate. Fundatio deficit; & ex Sacris Visitationibus limitatum est ad Ecclesiam de Trivio. Ordinaria vero Cardinalis Barberini auctoritas satis fortasse non fuit ad novum superaddendum onus beneficio jam erecto, quum requiratur in id Pontificia, *Text. in clement. quia contingit, de religios. domib.*, *Fagnan. in cap. significatum num.*2. *in fin. de præben.*, *Ventrigl. in prax. for. Eccles. part.*2. *annot.*28. §.1. *num.*47. Atque ea verba = *tam auctoritate ordinaria, quam vigore quorumcumque privilegiorum, & indultorum Apostolicorum* = adhibita non fuerunt per Cardinalem Barberini in adjectione oneris, sed in collatione beneficii. Sæpe autem *Sacra hæc Congregatio* Beneficiatos absolvit ab onere, quod neque impositum in fundatione, neque Apostolica inductum fuerat auctoritate, ut *in Tudertina Capellaniæ* 12. *Martii* 1718., *in Montis Falisci* 31. *Maji* 1721., *& in Urbevetana* 24. *Novembris* 1787.

Vix præterea ascendere asserit Orator Beneficii reditum ad annua scuta triginta, neque justam idcirco inter tenue hoc emolumentum, ac duplex servitium esse proportionem, quam in id requiri dixit *Sacra Congregatio in cit. Montis Falisci* 31. *Maii* 1721., *in Urbevetana* 24. *Novembris* 1787., *& in Romana Commutationis voluntatis* 14. *Martii* 1789.. Nilque cum turbat centenaria observantia; sive quia independenter a suis Decessoribus possidet beneficium, *Fagnan. in cap. conquerente num.* 24., *& seqq. de Cleric. non residen.*, *Garz. de benefic. part.* 7. *cap.* 1. *num.* 11., *Monacell. formul.* 7. *num.* 21. *par.* 3. *tit.* 2., sive quia de infecto constat oneris initio ex ordinaria Card. Barberini potestate, *Genuen. in prax. Archiepisc. cap.*63. *n.*5., *Card. de Luc. de Jurepatr. disc.*57. *num.*29., sive quia intercessit judicium anni 1690., ex quo centenaria interrumpitur, per *Text. in Leg. Cum notissimi* 7. *in princ.*, *& §. immo Cod. de præscript.*, *Rot. in Romana Laudemii*, *& Quindeniarum* 5. *Maii* 1781. §. *Verum cor. Ratta*.

Ex annosis Testibus contra probat Capitulum, Decessores omnes Oratoris ab immemorabili tempore inservire consuevisse Cathedrali: vimque memorat hujusce observantiæ, *ex cap. cum olim de consuetud.*, & *Leg. si de interpretatione ff. de Legib.* Licet immo onus illud initium habuisse dicatur ab anno 1673., quo reipsa per Cardinalem Barberini inductum fuit, adhuc tamen beneficio tuetur centenariæ, ex qua titulus etiam infectus in alium converti potuit legitimum, *Trobat. de assert. immemor. quæst.* 15. *art.* 4. *num.* 13., & 24., *Lotter. de re benefic. lib.* 2. *quæst.* 46. *num.* 20. 2 Ei namque accessisse præsumitur Beneplacitum Apostolicum, *Gratian. discept.* 867. *num.* 50., & *seq.*, *Piton. discept.* 17. *num.* 45., *Card. de Luc. de Canon. disc.* 19. *num.* 14. Reque vera in Apostolicis Literis anni 1715. *canonicè* translatum dicitur servitium ad Cathedralem Ecclesiam.

Factum additur ipsius Oratoris. Ei namque beneficium contulit Emus Episcopus *cum omnibus oneribus*, sub quibus comprehendere voluisse declarat servitium Cathedralis *uti habuerunt ejus immediati prædecessores*, illudque sub hac lege collatum, absque ulla protestatione accepit. Quasi ergo contraxisse videtur, nec facile ab assumpto onere eximi valet, *Card. de Luc. de Canon. disc.* 20. *num.* 14., & *Sac. Congregatio in Bononien. Servitii Chori* 16. *Junii* 1787. Ob auctos Cathedralis Ministros cessata quidem est causa, ob quam Cardinalis Barberinus novum onus Beneficiato imposuit. Sed ponderare dignentur Emi Patres, num *impulsiva* potius dicenda sit ex demandato servitio *perpetuis futuris temporibus*, qualem his terminis reputari debere statuit *Text. in Leg.* 1. §. *Senum ff. de postul.*, *Bartol. in Leg. generaliter num.* 5. *Cod. de Episcop.*, & *Cleric.*

Si a præstando servitio absolvi deberet Orator, nec juxta *secundum Dubium* locus esset ejus coactioni. Alias in eum contumacem procedi posset ad formam *Sacri Concilii Tridentini Sess.* 22. *cap.* 3., & *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*, per privationem scilicet medietatis fructuum primo anno, omnium secundo, & ipsius tandem beneficii.

Ex his igitur, aliisque rationibus hinc inde deducendis, decernere dignentur EE. Vestræ.

I. *An, & quomodo Sacerdos Nicolaus Romani Beneficiatus Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ de Trivio Civitatis Ve-*

Velitrarum teneatur præstare servitium, & residentiam in Ecclesia Cathedrali S. Clementis, in casu &c.

Et quatenus affirmativè.

II. *An, & quomodo sit cogendus ad dictum servitium, & residentiam, in casu &c.*

Ad I. Affirmativè juxta votum Emi Episcopi.

Ad II. Affirmativè ad formam Sacri Concilii Tridentini.

ROMANA, SEU SPOLETANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Augustinus de Augustinis hæredem instituit anno 1629, Mariam ejus filiam, eique in Domino nubenti (quod non evenit) congruam per Tutores, & Curatores præstari voluit dotem, sub lege investiendi reliquam summam ad scuta 6000. in locis montium, censibus, aut stabilibus, ut ex illius fructu vitalitium caperet, idemque post eam fructus inter pauperes puellas Oppidi Montis Præcini nuncupati *il Castelluccio*, quæ religiosum quoque assumere vellent statum, in pium subsidium partiretur. Præ ceteris vero legavit Sodalitio SS. Benedicti, & Scholasticæ Nursinorum Urbis scuta mille eodem modo investienda, ut ad nominationem primum suorum heredum, deindeque Præciniæ Communitatis, unum Sodales in singulos annos conferrent dotale subsidium scutorum 25. oppidanæ puellæ, *e del restante dei frutti la detta Compagnia ne possa disporre a suo piacere per farne quello, che le pare, e piace*. *Sess. 22. cap. 6 de Reform.*

Defecta Testatoris familia, puellam nominare consuevit Communitas, dotem Sodales conferre. *Sanctissimo* nuper supplicarunt Sodalitii Antistites, ut nonnullas ei applicare dignaretur dotes, quas morte præventæ, consequi non potuerunt innuptæ puellæ, aliasque ex eadem causa in posterum caducandas. Re ad Sacram hanc Congregationem ablegata, editoque rescripto, *Emo Protectori, qui dignetur S. Congregationem instruere, & votum suum aperire, auditis heredibus, vel Communitate*, cumulatissimè eximius Purpuratus, audita Communitate, Sodalitio favit. *Communitas*, inquit, *non alio pollet jure super fructibus legati Soda-*

dalitia investimenti, nisi eligendi singulis annis una Zitella, *neque pauperibus illius Oppidi puellis jus aliud est, quam consequendi* una dote. *Injuria itaque Communitas permota zelo succurrendi pluribus egenis puellis, novam urget collationem revertentium subsidiorum dotalium ad sui ipsius nominationem, quæ pernecesse excederet unitatem cum dotis conferendæ, tum puellæ anno quoais nominandæ.*

Quædam hinc contraria interpretatur Sacræ Congregationis decreta, de quibus agunt etiam Sodalitii scripta; satisque aliter a pio Testatore consultum ait oppidanis puellis. *Siquidem Communitati reliquit fructus omnes colligendos ex investimento summæ monasticam dotem superantis relativè ad quantitatem scutorum 6000., quam propriæ filiæ reliquit, eosque omnes jussit per eamdem Communitatem in totidem distribui subsidia dotalia totidem inter pauperes puellas supradicti Oppidi sese Deo dicaturas; id quod vi quodammodo sua excludit revertentium dotium applicationem favore Communitatis, inducitque novæ distributionis obligationem. Nec quia evanuit prævisus casus nuptiarum filiæ Testatoris in Domina, evanescit ideo promanans voluntatis argumentum. Quare si Testator alibi scivit exprimere omnium fructuum erogationem in subsidia, consectariamque necessitatem novæ distributionis in casu illorum reversionis, arbitrandum idcirco mihi videtur ex obvia regula juris, eamdem novam distributionem noluisse ubi non expressit integrorum fructuum in dotes erogationem. Quod si ex diverso ad Confraternitatem oratricem oculos convertimus, perspicua plane est ejusdem Testatoris voluntas, quod ipsi oratrici fructus obveniant excedentes annuum subsidium scutorum 25., de iisque = possa disporre a suo piacere = Quamvis autem revertentia subsidia propriè dici non mereantur fructus annuum subsidium excedentes, pars tamen sunt ipsorum fructuum.*

Atque ex his concludit, quod *cum pii Testatoris voluntas ex universo testamenti contextu desumenda, parte ex una Communitati, & puellis Oppidi Castelluccii adversari, & altera ex parte Confraternitati oratrici favere videatur, proclivis idcirco essem imploratæ per eam declarationi, cui tamen adjicerem prohibitionem, reversa, & revertenda subsidia dotalia in usus profanos convertendi.* Præfixo Communitati termino ad de-

du-

ducendum jura sua in S. C. , ea nunc contradicente, infrascriptum proponitur Dubium .

Sub hac conditione relictum affirmant Sodales controversum subsidium , quatenus puellę nubant , per *Text. in Leg.* 22. *ff. de jur. dot.*, *Fachin. controv. lib.* 5. *cap.* 48., *Amostaz. de caus. piis lib.* 4. *part.* 1. *num.* 6. , eaque idcirco deficiente , legatum extingui , *de Luc. de justit. disput.* 24. *sect.* 13. *num.* 309. , *Amost. de caus. piis in specie cap.* 7. *num.* 41. *part.* 1. , & *Rot. in Romana Fideicommissi super reintegratione* 9. *Januarii* 1784. *cor. R. P. D. Soderino* . Maxime , quia de relicto agitur extranei , quod omnino requirit , ut nuptiæ sequantur , *Gomez. ad Leg. Tauri* 50. *num.* 29. , *Amost. de caus. piis lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 8. Caducatam autem dotem accrescere contendunt legatario , qui respectu rei legatæ quodammodo heres est , *Cujac. in Leg. in conventionibus ff. de verb. signific.* , *Rot. in Recen. decis.* 293. *num.* 7. *part.* 9. *tom.* 1.

Jus præterea Communitati esse ajunt unam quotannis nominandi puellam ; onus Sodalitio unam conferendi dotem : ideoque per iteratam nominationem , & respectivam caducati subsidii collationem neque unius beneficium , neque alterius onus duplicari debere . Jus enim nominandi puellas ad certum dotale subsidium primo consumitur actu , *Rot. in Romana Subsidiorum Dotalium* 11. *Decembris* 1758. §. 4. *cor. Ubaldo* . Argumentum insuper regerunt Emi Protectoris , a discretiva desumptum dispositione inter subsidium prestandum a Sodalitio , aliaque ex fructibus investimenti demandati pro filia Testatoris . Et urgent postremo consuetudinem , dum nunquam aliis puellis devolutas dotes contulisse asserunt , nunquam hac de re questam fuisse Communitatem ; quam observantiam plurimi ad rem fecit *Rota in cit. Romana Subsidiorum Dotalium* §. 10. , *& seq. cor. Ubaldo* .

Scrupulose hinc , qui eos tuetur , *Folia* expendit resolutionum Sacræ Congregationis , quæ pro iterata prodierunt devolutarum dotium collatione , ac præsertim *in Romana Dotium* 24. *Septembris* 1718. , *Viterbien. Subsidiorum Dotalium* 2. *Maii* 1739. , *Ravennaten. Subsidiorum Dotalium* 11. *Januarii* 1766. , *Romana Subsidiorum Dotalium* 20. *Januarii* 1770. , *in Lucana* 21. *Maii* 1784. , & *Æsina Subsidiorum Dotalium* 27. *Novembris ejusdem anni* . Quanti faciendæ sint illius animadversiones , dijudicare poterunt Emi Patres ex ejus libel-

libello. Notanda tamen distinctio in Causis illis firmata, inter dotes scilicet ante, & post contractum matrimonium devolutas. Priori enim, in quo versamur casu, quum adimpleta per solutionem non sit finalis præstandarum dotium causa, pro non facta idcirco habetur prima collatio, atque explerl debet secunda. Non ita vero in secunda, in quo jam sequutus fuit effectus.

Ponderandum contra rogat Communitas, nil aliud juxta expressam testamenti literam consequi Sodalitium debere, quam *il restante*, seu quod annuo detracto dotali subsidio, superest. Ex quo fit, ut simplicem habeat subsidiorum administrationem, quæ jus ei non tribuit ad id, quod administrat, *Rota in Romana Distributionis Dotium 9. Martii 1761. §.8. coram Emo Zelada*. Potissimum, quia ad certam Testator non respexit puellam *in specie*, sed ad pium dotationis opus *in genere*. In his porro terminis sibi per Locum Pium addici non posse, sed iterum caducatas dotes conferendas esse firmant *Card. de Luc. de dot. disc.10. num.5.*, *Constantin. vot.298. num.12. tom.2.*, *de Nigr, de nominat. part.1. quæst.49. lib.1. num.49.*, *Rot. coram*, *Buratt. decis.500. num.2.*, *& Sacra Congregatio in cit. resolutionibus*, quas Communitatis defensor maximopere urget, & ad præsentem concinnat casum.

Respondere igitur placeat.

An sit locus applicationi subsidiorum dotalium, seu potius sint iterum distribuenda in casu &c.

Negative ad primam partem, affirmativè ad secundam, & amplius.

ess. 23. cap. 18.
& sess. 25. cap. 4.
e Reform.

TOLENTINA APPLICATIONIS BENEFICIORUM. Heredem instituit anno 1708. Rodulphus Valtieri Jo. Baptistam ejus fratrem, eoque absque filiis decedente, tot in Collegiata Ecclesia S. Jacobi Tolentini erigi jussit canonicatus, quot ad mensuram præbendarum *Fidi*, *& Somni*, hereditatis reditus ferrent. Sine prole decessit anno 1743. Jo. Baptista, sibique heredes scripsit Fratres Orselli in proprietate, suamque Uxorem Ro-

Rosam Gasperini in usufructu. Orta hinc inter Equitem Orsellium, & Collegiatam lite super erectione canonicatuum ad formam testamenti Valtieri, quædam anno 1776. per concordiam accepit Collegiata hereditaria bona valoris scutorum circiter decem millium, ac duo potissimum convenit, ut vindicare deberet Orsellius a Rosa Gasperini fructus ex hereditate Viri perceptos, ac tertiam sibi illorum partem in casu victoriæ traderet; utque e duobus simplicibus beneficiis de jurepatronatus Familiæ Orselli, altero nempe sub titulo SSmi Corporis Christi, & S. Mariæ Pietatis annui reditus scutorum 23. 40. cum onere Missarum 52., altero S. Mariæ Suffragii annui reditus scutorum 17. 85. *cum* onere Missarum 104., erigeretur in Collegiata mansionaria, initamque concordiam die 13. Maii 1778. per Pontificium Chirographum *Sanctissimus* confirmavit.

Ob gravem Tolentinatis Seminarii necessitatem, ei primum *Sanctitas Sua* per aliud Chirographum diei 25. subsequentis Julii partem addixit hereditatis Valtieri, deindeque sub die 25. Junii 1779. integrum assem cum onere solvendi ex reditibus præbendas quatuor pro totidem erigendis canonicatibus, aliaque in singulos annos scuta 50. Orphanotrophio recenter Tolentini instituto. Satis tamen non fuit Pontificia hæc providentia indigentiæ; iterumque anno 1784. *Clementissimo Principi* supplicavit Seminarium pro applicatione vacantium beneficiorum Orselli, ut binas philosophiæ, & theologiæ erigeret cathedras. Petitioni favebat Episcopus; assentiebatur Patronus, dummodo cederet Seminarium juribus reservatis in concordia anni 1776. super bonis Rosæ Gasperini: sed de mansionariatu solicita, restitit Collegiata, jamque ex Supremo rescripto = *ad Congregationem Concilii pro Aperitione Oris* (adversus Chirographum diei 13. Maii 1778.) *cum facultatibus necessariis, & opportunis* = agenda erat lis, cum Partes convenerunt de uno in stipendium Cantorum addicendo beneficio Collegiatæ, altero pro Cathedraticis Seminario; ac de impetranda Missarum reductione.

Nihil adversus secundam hanc concordiam habere dixerunt Ministri Datariæ. At clar. mem. Cardinalis Riminaldi in requisito ejus voto censuit, utrumque Seminario præ utilitate operis applicandum esse benefi-

cium, eorumque onera ad annuas dumtaxat Missas centum reducenda. Per errorem tamen arbitrabatur, beneficio SSmi Corporis Christi, & Pietatis Missas incumbere 152., quum reipsa sint 52. Emi Relatoris voto non acquiescentes, litem in Sac. Congregatione prosequi decreverunt Canonici in Capitulo diei 28. Aprilis 1788. Quidam vero ex ipsis nullam apud EE. Vestras dixerunt capitularem illam resolutionem, prodiitque sub die 24. Maii rescriptum = *Ponatur in Folio, & Oratores utantur jure suo in Sac. Congr.*, Sed alia ad sedandas illorum voces coacta fuerunt die 21. sequentis Junii comitia, & in sententiam tandem convenerunt Capitulares permittendi utriusque beneficii applicationem Seminario sub conditione erigendi designatas cathedras, & reintegrandi Capitulum de sumtibus litis. Utraque igitur per Deputatos Seminarii emissa obligatione, cum ipsis Canonici EE. Vestris supplicarunt pro approbatione novissimæ hujus concordiæ, & reductione Missarum, quibus unienda beneficia gravantur.

Necessariam quodammodo unionem dicit Episcopus, optimumque *juxta votum Emi Riminaldi onera Missarum utriusque beneficii minuere, eaque ad centum singulis annis redigere*. Quo vero ad reficiendas litis expensas, duo proponit media, *alterum petendi a Thesaurario Principis condonationem fructuum eorumdem beneficiorum, quæ vacant ab anno* 1783., *& hæc via non est ceteris difficilior, cum idem Thesaurarius aliquam jam dederit condonationis spem, ubi contingat, beneficia Seminario applicari. Alterum suspendendi ad annum Præceptorum electionem, quo fructus in manus administratoris pervenientes, expensas prædictas absolvant*. Atque ita concludit: *Hinc omissis, quæ de cessione jurium Seminarii super bonis Rosæ Gasperini alias retuli, simulque omissis, quæ super reliquis delibavi, hoc unum affirmare audeo, quod EE. Vestræ possent Oratorum precibus favere, novumque contractum inter eos initum approbare, ne studiosi juvenes hoc unum medium, quo scientias addiscere sperant, sibi præreptum lugeant*. Hæc autem de reservato jure adversus bona Gasperini notaverat; *quod cum prædictum jus ex una parte gravibus implicetur difficultatibus, litisque incerto eventu dependeat, ex alia haud grave interesse respiciat, ac insuper depu-*

rari

rari debeat expensis, etiam extrajudicialibus in casu victoriæ, tanti faciendum non est, ut mereatur ab EE. Vestris pro aliquid magni reputari.

Primum concordiæ caput applicationem respicit beneficiorum Orselli. Permittit *Sacrum Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 18. de Reform.*, *ut ad mercedem præceptoribus, & ministris solvendam*, Episcopali Seminario applicentur *beneficia aliquot simplicia cujuscumque qualitatis, & dignitatis fuerint, etiam ante vacationem, sine cultus Divini, & illa obtinentium præjudicio*. Ne id tamen in casu nostro fiat, obesse posset transactio anni 1776., per Chirographum Pontificium confirmata. Jus enim ex ea quæsitum Collegiatæ Ecclesiæ pro erectione mansionariæ, renunciari fortasse a Canonicis non potuit per novissimam concordiam, ex qua nihil, præter expensas litis, in correspectivitatem acquireret, *gloss. in cap. sicut vobis, de test.*, *Rot. coram Ansald. decis. 258. num. 13.*, & *coram Molin. decis. 865. num. 9.* Se præterea Eques Orsellius beneficiis abdicavit, ut correspectivam acquireret cessionem jurium super bonis Rosæ Gasperini. Hac igitur non purificata conditione, perinde habetur, ac si consensum illorum applicationi non præstitisset; *Text. in leg. cum te fundum 6. Cod. de pact. inter empt. & vendit.*, *leg. fin. ff. de acceptilat.*, *& in leg. adigere 6. §. Quamvis ff. de jurepatr.*

Obstaculum contra transactionis anni 1776., ejusque confirmatorii Chirographi, ab EE. Vestris removeri valet ex rescripto illo, *pro aperitione Oris cum facultatibus necessariis, & opportunis*, quoties applicationis necessitatem deprehendant. Ex informatione siquidem Episcopi 27. Martii 1784., hæ sunt Tolentinatis Seminarii circumstantiæ. Arbitrabantur Deputati, nedum illius inopiæ, sed erectioni etiam utriusque cathedræ consultum esse per applicationem hereditatis Valtieri; *Verum manu ad messem admota, compertum fuit, annuum reditum ejusdem Seminarii, comprehensis fructibus hereditariis Rodulphi Valtieri, annua scuta 370. circiter non excedere, ex quibus detractis oneribus* (canonicalium præbendarum, annuæque præstationis Orphanotrophio) *vix superesse annua scuta biscentum pro ipsius Seminarii regimine, ac propterea unicum tantum coacti sunt grammaticæ, & humanitatis Præceptorem adhibere, quod in causa est, ut*

ipsi Alumni ad majora studia ascendere nequeant, ac una cum Clero nimis illiterato, ac rudi, ignorantia otioque tabescant.

Neque suppleri posse ajebat per impositionem taxæ, aliisque modis a Tridentina Synodo præscriptis. *Beneficia enim, cum tenuissima sint, & pleraque taxam Synodalem non attingant, imparia sunt ad nova onera sustinenda. Nec juvari posse Seminarium compertum est augendo annuas præstationes ab Alumnis solvendas. Si enim augerentur, attenta generali pauperiæ, quæ in tota viget Civitate, vix unus fere inter Alumnos posset adnumerari.* Ubi inopia autem concurrit Seminarii, aliaque desunt media, per unionem beneficiorum provideri debet, ut Conciliarem exornantes dispositionem *in cit. Sess. 23. cap. 18. de Reform.*, tradunt *Garz. de Benefic. part. 12. cap. 2. num. 190.*, & *seqq.*, *Monacell. form. legal. part. 1. tit. 2. form. 9. num. 11* & *sequen.*, *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib. 9. cap. 7. num. 2.* & *seq.*, & dixit *Sac. Congregatio in Amerina Applicationis 23. Noaembris 1776. ad I. Dub.*

Dimittunt quidem Canonici jus quæsitum ex concordia anni 1776. pro erectione mansionariæ; sed id dimittunt, quod facile exequi non posset, parumque utile esset. Erigi namque deberet mansionaria juxta primam concordiam ex alterutro beneficio, vel scutorum 17. 85., vel scutorum 23. 40., neque præ tenuitate forsan redituum esset, qui eam cum Missarum etiam onere accipere vellet. Haud multum præterea unus Mansionarius servitium levaret Canonicorum 17. ex quibus componitur Capitulum, quum vix ad tertiam Missam, & Vesperas teneantur diebus festis. Atque his demum accedit, quod juri suo renunciant Canonici ad succurrendum Seminario, quod magis fortasse pium est opus; pro quo applicata etiam fuerunt bona Orphanotrophii *in cit. Amerina Applicationis.*

Adhuc contra adimpleta non est conditio, sub quo Patronus consensum præstitit, iterumque interpellatus prestat applicationi; sed jura Seminarii adversus bona Gasperini, quum judicio Episcopi nullius sint momenti, renunciari possent. Explorata insuper non videtur utilitas Seminarii per applicationem beneficiorum ad formam concordiæ; nam ob annua scuta 25.; quot detracta Missarum eleemosyna, ex utroque super-

persunt beneficio, vel integrum etiam reditum scutorum 40., onus assumeret instituendi duplicem majorem cathedram philosophiæ, & theologiæ, pro quibus vix annua sufficiunt sc. 100., aut 150. Ac offendit tandem respectiva sumptuum litis petitio, & promissio; nam *in beneficialibus actus reciproci, videlicet facio ut facias, vel do ut facias, inducunt simoniam*, ut in hæc verba monet *Redoan. de simon. part. 2. cap. 11. num.* 16. Recessus vero a lite, licitum forsan reddit pactum, ipsomet teste *Redoano loc. cit. cap. 2. n.* 14. Ejus vero adimplendi modum in novissima informatione proponit Episcopus, ut notatum est in facto.

Hæc ad primum Dubium. Quo vero ad secundum, parum utilem Seminario dicunt Oratores unionem beneficiorum, nisi Missarum onera quam maxime reducantur. Tenues enim illorum reditus scutorum circiter 40., nec integri, ut notatum est, pro stipendio duplicis Cathedratici sufficiunt. Haud facile quidem volitis fraudari debent suffragiis Defuncti, *Sacr. Concil. Trident. Sess.* 25. *cap.* 5. *de Reform.*, & si justa quandoque urget causa succurrendi Loco pio, ac indigenti etiam Parochiæ, fieri solet illorum reductio ad tempus, ut in *Spoletana* 16. *Junii* 1785., & in altera *Spoletana* 27. *Junii elapsi anni* 1789. Præ maxima tamen Cathedrarum utilitate, gravique Seminarii inopia, perpetuam clar. mem. Cardinalis Riminaldi proponebat reductionem ad Missas centum ejusque sententiam sectatur Episcopus. Hæc fuerunt illius verba: *Etsi deletioni onerum Missarum pro effectu erigendæ inutilis mansionariæ nequaquam annuere valeam; annuerem tamen deletioni ejusdem oneris e conspectu utilitatis non modicæ, quæ certo certius obventura erit Ecclesiæ, si qui eidem addicti sunt, præ cæteris theologiæ moralis præcepta bene calleant. Ne igitur, salvis adhuc oneribus Missarum, saluberrima ejusmodi providentia suo frustraretur effectu, illud etiam suaderem, ut ex iisdem Missarum oneribus utrique beneficio inhærentibus, centum dumtaxat Sacra pro omni & toto quotannis celebrarentur.* Non desunt profecto in levioribus terminis hujusce reductionis exempla, ad augendas nempe quotidianas distributiones in Collegiata, ac præ ceteris *in Siracusana Missarum* 10. *Martii* 1759.

Quæritur ergo.

I. *An*

I. *An, & quomodo sit locus applicationi beneficiorum in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & ad D. Secretarium cum SSmo.

Ad II. Affirmative pro Missis centum ad quinquennium.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

CONSENTINA IRREGULARITATIS. Post rescriptum *negative*, & *expectet* diei 30. Julii 1785., in Congregatione tandem diei 20. Maii 1786. concessa fuit Sacerdoti Augustino Frezza dispensatio ab irregularitate, in quam, ob patratum in defensionem ejus Fratris homicidium, inciderat, altero mediante rescripto; *Attentis peculiaribus Archiepiscopi precibus pro gratia, peractis spiritualibus exercitiis per mensem in aliqua Domo religiosa arbitrio Archiepiscopi, & dummodo non celebret in loco commissi delicti, per Bullas*; ut ex respectivis liquet utriusque anni *Foliis*. Supplicat modo pro facultate celebrandi in loco commissi delicti, eique Consentinus ipse favet Archiepiscopus. Testatur enim, nedum Oratorem spiritualia egisse exercitia, *verum & vitæ suæ rationes ad Clericalis perfectionis normam tam bene exegisse, ut dignus profecto sit, cui Apostolica Sedes tandem indulgeat Sacra in sua Patria facere, in quam ejus affecta valetudo regredi cogit.*, additque, *ejus Patrem senio confectum Filii sui opem expostulare, cui nisi in propria Patria opitulari non potest; nec timendum, ne si is in sua Patria Sacris operam navet, scandalum inde sit exoriturum*. A Vestra igitur, Emi Patres, deliberatione pendet.

An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 20. Maii 1786. quoad prohibitam celebrationem in loco commissi delicti in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

ALE-

ALEXANDRINA SERVITII CHORI. Assiduam hactenus residentiam, Chorique servitium in Collegiata Ecclesia S. Dalmatii Oppidi *Quarquinto* præstiterunt Canonici. Ut quodammodo igitur ab hoc leventur onere, bimestrem saltem ab EE. Vestris flagitant vacationem, ad exemplum Alexandrinæ Cathedralis, aliarumque trium Collegiatarum Diœcesis. Non constare ait Alexandrinus Episcopus de erectione Collegiatæ, inductamque affirmat consuetudinem residendi, & inserviendi Choro sub initium sæculi XVII., quo Episcopus illius temporis Archipresbyterum, & Canonicos septem, *nullo residentiæ Choralis onere repertos*, in Sac. Visitatione hortatus fuit, *ut Choro etiam inservirent quotidiana recitatione Divini Officii, prout Collegiatæ solent. Cui quidem exhortationi morem gerentes, ex tunc onus hujusmodi susceperunt, eique perrexerunt satisfacere.* Deesse quoque refert Constitutiones Capitulares, recteque idcirco præsumi debere, *more tantummodo inductum fuisse, ut continue absque ulla vacationum intermissione* (Canonici) *resideant.* *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

Causam deinde expendens petitionis; *non aliunde*, inquit, *peti hæc causa potest, quam (omissa quidem refrigescente hisce temporibus charitate, vel etiam humana infirmitate in dies ingravescente) a tenuitate nedum præbendarum, sed etiam quotidianarum distributionum, quæ vix uno vel altero denario obolos duos quoque die excedunt, itaut, si uti merces quotidiani laboris possent jure æstimari, labori eidem quotidianæ residentiæ choralis non responderent.* Quæ etiam *causa dignos Oratores superioribus annis effecit, quod ab applicatione Missæ Conventualis quotidie EE. VV. Rmæ eximerent, exceptis festis tantum diebus.* Atque hinc concludit, quod si eis quoque EE. Vestræ pro vacationibus indulgeant, haud ipse adversaretur, immo acquiesceret, *ut par est, integerrimo earumdem judicio.*

Quotidie ex veteri disciplina recitare tenebantur Beneficiati Officium in Choro, ut *ex can. ult. dist. 92.* testatur *Benedictus XIV. Instit. 107. §. 1.* At humanam miserans infirmitatem, absentiam per tres anni menses Canonicis permisit *Sacr. Concil. Tridentinum sess. 24. cap. 12. de Reform.*, *salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.* Exceptio quidem hæc obesse posset Oratoribus,

ribus, qui diurnum ad hæc tempora præstare consueverunt servitium. Maxime, quia Episcopi testimonio, inducta fuit hujusmodi consuetudo ineunte sæculo XVII., post *Tridentinam* nempe *Synodum*, quæ jam medio XVI. sæculo celebrata fuerat. Dum se enim accomodare voluerunt Canonici antiquioribus illis quarumdam Ecclesiarum constitutionibus, de quibus *Tridentini Patres* loquuti sunt, tacite Conciliari beneficio renunciasse censentur; quod ipsis licebat per *Text. in Leg. Si quis in conscribendo, Cod. de Episc. & Cleric.*, & *Leg. penult. Cod. de pact.* Qui modo præterea Canonicatus obtinent, eos cum onere quotidiani servitii acceperunt; idque fortasse impedimento esse posset, ne vacationes eis concedantur, ut superius probatum est *in Veliterna Residentiæ*, & *Servitii Chori sub* §. *Factum*, Indulgentiam contra mereri possent ob tenuitatem *nedum præbendarum*, *sed etiam quotidionarum distributionum*, de qua testatur Episcopus; quum respondere debeat onus emolumento, ex deductis *in dicta Veliterna* §. *Vix præterea*. Nec raro ex hac causa chorale servitium reduxit Sac. hæc Congregatio, ac præsertim *in Romana Reductionis Servitii Chori*, & *Missarum* 18. *Aprilis* 1722., & *in Vigilien. Decanatus* 23. *Julii* 1729. Advertere etiam dignentur Emi Patres ad voluntarium quotidiani servitii principium. Ad illud porro neque ex fundatione, de qua non constat, neque ex Capitularibus Constitutionibus tenebantur Canonici, ultroque *exhortationi Episcopi morem gerentes*, *onus hujusmodi susceperunt*, *eique perrexerunt satisfacere*. Licet namque actuum multiplicitas, temporisque diuturnitas obligatorium reddat, quod ab initio fuit voluntarium, *Rip. in cap. Cum Ecclesia Sutrina num.* 55. *de caus. poss.* & *propr.*, non desunt tamen, qui nunquam ex actibus voluntariis obligatoriam consuetudinem induci arbitrantur, *Bart. in Leg. Viam publicam*, *vers. Et ideo huic facultati*, *ff. de via public.*, *Mantic. de tacit. lib.* 13. *tit.* 15. *n.* 63., *Rocc. disput. jur. cap.* 167. *num.* 46.

Deliberandum igitur,

An, & *quomodo sit concedendum indultum vacationum in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 17. *Aprilis* 1790. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

CONSENTINA IRREGULARITATIS. *Sess.* 14. *cap.* 7 *de Reform.*

An ſit ſtandum, vel recedendum à decisis ſub die 20. *Maji* 1786. *quoad prohibitam celebrationem in loco commissi delicti in casu &c.*

Prævio recessu à decisis, pro gratia arbitrio, & conscientia Archiepiscopi, dummodo celebret in Oratorio privato, aut etiam in publica Ecclesia, hora tamen minus à Populo frequentata, & ad Secretarium cum SSmo.

ALEXANDRINA SERVITII CHORI. *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*

An, & quomodo ſit concedendum Indultum vacationum in casu &c.

Affirmative pro duobus anni mensibus, excepto tempore Quadragesimæ, Adventus, & solemniorum anni Festivitatum.

CERVIEN. Proceres quatuor Societatis Consortii Massæ Fiscaleæ, quorum unum vocant *Massarium*, tres *Misericordes*, ex antiquissimis tabulis Joannis Fabri jus habent eligendi canonicum nuncupatum S. Sebastiani Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri. Qui pendente lite cum canonico Ambrosio Casoni, de qua *in Folio* 24. *Maii* 1788., ea exercebant munera, Gaspar scilicet Luccoli, Vincentius Fabri, Albanus *Sess.* 22. *cap.* 8. *& sess.* 25. *cap.* 9. *de Reform.*

Vecchiatini, ejusque filius Joseph, a Vicario impetrarunt Episcopi (ut asserunt Sodales, *Generali*, ut inquit Episcopus, *Foraneo*) prorogationem Congregationis, in qua novi de more eligendi erant Officiales, ut ad tuenda Societatis jura in officio permanerent. Casonio interim die 13. Martii elapsi anni 1789. defuncto, affigi curarunt ad novum eligendum canonicum edicta. At hujusce electionis loco, alteram Episcopus demandavit Officialium. Comitiis igitur die 10. Maii coactis, electus fuit Aloysius Casoni in *Massarium*, & in alterum *ex Misericordibus* Joseph Vecchiatini. Reliqui erant *Misericordes* duo; jamque Dominicus Vecchiatini, & Antonius Bergonzini paria obtinuerant suffragia, cum dubitantes Sodales, quin de Vecchiatinia omnes eligerentur familia, ulteriorem solemni protestatione morati sunt electionem.

Re ad Episcopum delata, Oppidum occasione Visitationis petiit Massæ, & generali coram se in propriis ædibus die secunda Junii coacta Congregatione, electionem confirmavit Aloysii Casoni, & Josephi Vecchiatini; idemque fecit quoad Antonium Bergonzini, licet paria cum Dominico Vecchiatini habuisset suffragia. Eligi vero prohibuit Dominicū uti nepotē Josephi, decrevitque, ne plures simul ejusdē familiæ Societatis munia obtinerent, neve consanguinei in posterū consanguineis ad secundum suffragarentur gradum; ac in tertium electus fuit *Misericordem* Alexander Benincasa. Officiales autem isti ad canonicatum nominarunt die 12. ejusdem mensis Sacerdotem Honoratum Vaccari, causamque nonnullis Sodalibus dedit, ut post judicialia quædam acta coram Episcopo, Sacram hanc adirent Congregationem ad vindicandum illorum Decessoribus jus eligendi canonicum ex integro.

Hactenus exposita in sua relatione confirmat Episcopus, suamque præ ceteris potestatem removendi ex justa causa, in actu præsertim Visitationis, Officiales Societatum, ex jure tuetur, & facto. Ex jure, quia sarctam tectamque in similibus circumstantiis eam servavit Sacra Congregatio *in Asculana* 24. *Martii* 1725. *ad IV. Dub.* Ex facto, quia removit Episcopus *antiquos Officiales Luccoli, Fabri, Vecchiatini ejusque Filium, jam ob finitam litem suo munere functos*; rejecitque Dominicum Vecchiatini ob confirmatam electionem ejus consanguinei, ut scilicet *decretum à Nobis hac in re latum inciperet exequutioni mandari*. Plura alia

in

in relatione, per Sacerdotem Vaccari distribuenda, ad rem addit, valdeque eum in separata informatione commendat.

Honoratum, inquit, *Vaccari. quem novi Officiales Consortii elegerunt, esse Sacerdotem omni exceptione majorem, adeont ipsemet Archiepiscopus Ravennæ me supplicavit, ut tanto Viro suam Diœcesim non privarem, cum ipse & legali disciplina, & sacræ theologiæ scientia sit insignitus, & maxime utilis esse poterit Oppido Massæ Fiscaleæ, ubi Viri eruditi vel unus, vel nullus invenitur. Ultra quam quod advertendum est, necessarium esse, ut cito Ecclesia illa de novo canonico provideatur. Siquidem unus graviter decumbens, choro interesse minime potest; alter studiorum causa Ferrariæ moratur; tres alii curam Animarum exercent, & ut plurimum sunt impediti: unde duo, vel tres Divinis laudibus absolvendis interesse in Ecclesia possunt.*

Nullam Sodales dicunt, & injustam electionem Vaccarii. Primum nullitatis caput ex illegitima desumunt electione Officialium, qui ei suffragati sunt. In utrisque enim comitiis diei 10. Maii, & 2. Junii nonnulli interfuerunt Sodales sine alba Societatis veste, licet ex hujus statuto neque activam, neque passivam haberent vocem. Statutariam Episcopus inficiatur legem, eo quod coram se de illa doctum non fuit. At ejus particulam modo EE. Vestris exhibent Sodales, & ex vitiosis paucorum suffragiis nullitatem inferunt comitiorum, in quibus novi electi fuerunt Officiales, *cap. Messana* 56. *de elect.*, *Sperel. decis.* 181. *num.* 11. Secundum in extrinseca constituunt circumstantia loci, in quo celebrata fuerunt comitia 2. Junii, in ædibus nempe Episcopi; nam ad illorum validitatem præ ceteris requiritur, ut in loco habeantur solito, *Gloss. in cap. In nomine Domini*, §. *Quod si pravorum*, *verb. fieri in Urbe* 13. *dist.*, *Altograd. consult.* 97. *num.* 82. *lib.* 2. *Conciol. ad Stat. Engub. lib.* 1. *rubr.* 21. *per tot.*

Injustitiæ etiam notant confirmationem Antonii Bergonzini, & exclusionem Dominici Vecchiatini ab officio *Misericordiæ*. Paria enim in Congregatione 10. Maii obtinuerant suffragia, nec unus potius, quam alter confirmari poterat absque sortitione, juxta Motum proprium *Leonis* X. apud *Garz. de benefic. part.* 5. *cap.* 4. *sub num.* 169., & *num.* 212., *Guttier. cons.* 31. *num.* 21. & *seqq.* Non prohibetur de cetero consangui-

neus in eodem cum consanguineo esse collegio. In curiam sane admittebant prisci Romani Senatorum filios, ut rectius negotia paterno gererent exemplo, ut ex *Gell.* refert *Tholos. syntagm. jur. par.* 3. *lib.* 47. *cap.* 9. *sub num.* 23. *vers. bene consultum*, cautumque voluerunt *leg.* 5. & 6. *ff. quod cujusque Univers. nom.*, ut invicem suffragari possent. Idque nostris etiam temporibus plerisque servatur in locis, & ad novam Episcopi legem in more fuit Societati Massæ.

Quoad secundam vero Dubii partem, vindicare contendunt electionis jus decessoribus Officialibus, eo quod Societatem ex venia Vicarii administrabant, cum vacavit canonicatus, suoque jure ad candidatos evocandos affigi curarunt edicta. Qui enim sunt in possessione officii, ea omnia, quæ ad illud pertinent, ex innata sua potestate explere valent, *Menoch. de retinen. remed.* 3. *num.* 585., *Pacific. de Salvian. inspect.* 1. *cap.* 6. *num.* 33.

Ad excludendam comitiorum nullitatem, a Statuto Societatis desumptam, observat Vaccarius ex jure, hujusmodi statuta moderari, & corrigi posse ab Episcopo, *Monacell. form. legal. par.* 2. *tit.* 13. *in adnot. ad form.* 1. *num.* 49., *Bass. de Sodalit. quæst.* 4. *num.* 1., idque de facto Cerviensem Episcopum fecisse, dum nonnullos ex Sodalibus sine assueta veste inter electores admisit. Quoad alterum vero de celebratis comitiis 2. Junii extra solitum locum, *Fagnan. in lib.* 5. *decretal. cap. Cum ex injuncto. de nov. oper. nunt.*, haud veram putat sententiam *glossæ in cap. In Nomine Domini*; *quia electio debet quidem in Ecclesia celebrari, sed tamen si alibi fiat, non propter hoc est nulla, nec etiam annullanda; quoniam secundum Tancredum locus non est de substantia electionis, nec usquam reperitur jus proditum, quod propter locum electio debet vitiari; nec Decretalis, quam inducit glossa, probat id quod dicit, sed factum recitat, prout contigit.*

Recteque exclusum dicit ab officio *Misericordis* Dominicum Vecchiatini, quia certum ad illud ex paribus suffragiis non quæsierat jus, & quia Episcopus, in actu præsertim sacræ Visitationis, ac tanquam Delegatus Apostolicus, eum legitimè etiam electum ad tollendas dissensiones removere potuisset, *Monacell. form. legal. part.* 1. *tit.* 11. *form.* 14. *in adnot. num.* 8., *Azeved. in syn. ap. Bened. XIV. tom.* 4. *instit.* 105. *not.* 5., *Pellegr.*

in

in prax. Vicar. quæst. 1. *sect.* 2. *subject.* 6. *num.* 5., *Marchett. de Vicar. Capitul. tit.* 17. *num.* 15.. Latam hinc legem de non admittendis ad eadem comitia pluribus consanguineis, ex consentanea tuetur resolutione Congregationis deputatæ anno 1699. ab Innocentio XII. pro reformatione Locorum piorum Urbis, quam ob identitatem rationis ad reliqua omnia Sodalitia extendendam censet *Bass. de Sodalit. quæst.* 14. *num.* 12., eamque omnino servandam, quia ab officiis Societatis obvenire posset Officialibus insigne canonicatus lucrum, *Monacell. formul. legal. part.* 2. *tit.* 14. *form.* 8. *num.* 4., *Bass. de Sodalit. loco cit.*

Merito tandem denegatam censet decessoribus Officialibus electionem canonici, quum longe ante vacationem expirasset illorum officium, neque legitime in eo continuarent absque licentia Episcopi, vel ejus Vicarii, non foranei, a quo Episcopus ipse prorogatam affirmat novorum Officialium electionem, sed Generalis, *Ricciull. lucubr. can. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 9., *Pignatell. consult. can.* 47. *num.* 8. *tom.* 2., *Bass. de Sodalit. in Miscell. num.* 14. *pag.* 125.

Respondere igitur dignentur Emi Patres:

An sit valida electio Beneficiati S. Sebastiani, seu potius nova, & a quibus sit facienda in casu &c.

Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam.

*Sess.*24. *cap.*12. *& sess.*25. *cap.*5. *de Reform.*

SENOGALLIEN. CAPELLANIÆ. Sacerdos Petrus Bracci heredem anno 1771. instituit Ecclesiam, quam in honorem extruxerat S. Catharinæ Virg., & Mart. Alexandriæ, jussitque, ut duplicem in ea hebdomadalem Missam, & annua celebraret anniversaria quinque Sacerdos per lineam masculinam descendens a Luca Angelo ejus patre, cum facultate celebrandi per alium *qualvolta volesse attendere, e portarsi in qualche Università di studj per avvantaggiarsi nelle scienze, o esercitarsi in qualche onorevole impiego anche vitalizio, come sarebbe di Parroco*; & sub prohibitione constituendi capellaniam in patrimonium sacrum *per motivi, che giustamente muovono l'animo mio a fare simile proibizione*. Post extinctam vero masculinam

linam Lucæ Angeli lineam, capellaniæ jūspatronatus detulit ad Societatem SSmi Rosarii Oppidi-Tumbæ, sub obligatione nominandi Sacerdotem descendentem per lineam fœmininam.

Sacerdoti Felici Catalani, quem Fundator ipse in primum designavit capellanum, successit anno 1787. Sacerdos Joachim Montanari ex provisionali nominatione Lucæ Angeli Bracci jun., quousque clericus Joseph ejus filius ad Subdiaconatum ascenderet, vel ætatis dispensationem obtineret. Decimum septimum enim agebat annum. *Sanctissimo* hinc supplicarunt Lucas Angelus, ejusque fratres, ut capellaniam quoad agnatos declarare dignaretur clericalem, & facultatem sibi tribueret nominandi clericum Josephum; precibusque ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, cumulatissime Emus Senogalliæ Episcopus iis favet.

Non injusta, inquit, *neque damnosa cuiquam postulare videntur Fratres de Braccis*; *nempe iniquum non est, quod ad hanc capellaniam a Testatore vocati, ceteris omnibus præferantur, si de proximioribus Testatori sanguine conjunctis agatur, etsi sacerdotali charactere non præfulgeant. Justum quinimmo est, ut ex fructibus eorum bonorum gaudeant, quæ magnus Patruus acquisivit, neque ulli detrimentum affertur, si Sacrificia per alium offerantur. Igitur cum ex eadem continenti familia de Braccis Clericus adsit, qui infra trienni spatium ad Subdiaconatum* [rescribebat die 27. Martii 1788.] *& intra quinquennium ad Sacerdotium promoveri possit, & liberalibus disciplinis, non sine profectus spe, in præsentia incumbat, æquum sane est, quod Testatoris voluntati derogetur*; *idque pro futuris etiam temporibus statuatur, dum clerici adsint ex masculis descendentibus a Luca Angelo sen: de Braccis. Quod si Sacerdotes ex eadem linea sese offerant, clericus iisdem omnino concedat.* Ex permissa de cetero studiorum causa celebratione per alium inferebat, admodum sollicitum non fuisse Testatorem de celebratione per se ipsum. Spernique tandem arbitrabatur contradictionem Societatis SS. Rosarii, cui *nil deperit, si clericali tantummodo charactere insignitus admittatur*, & Sacerdotis Montanari, utpote *extranei, & familiæ de Braccis nulla necessitudine conjuncti*. Oratoribus obsistere ceperunt Societas, & Montanarius; sed ob violentam hujus mortem excessit illa judicio; ac Bracciis dumtaxat informantibus, concordata proponuntur Dubia.

Quæ-

Quæritur primo de qualitate capellaniæ, eamque Oratores censent clericalem, quia expressum deest præceptum celebrandi per se ipsum, *Fagnan. in cap. ut Abbates num.* 65., *& seqq. de ætat.*, *& qualit. ordinand.*, *Antonell. de jur.*, *& oner. Clericor. lib.* 1. *cap.* 29. *num.* 11. Neque obesse contendunt, quod iterum atque iterum Testator capellanum nuncupaverit Sacerdotem; nam hoc nomine simplex etiam venit clericus, *cap. si quispiam de cohabit. cleric.*, *& mulier.*, *ibique gloss. verb. Sacerdotum*. Contrarium vero suadere posset facultas celebrandi per alium ubi studiis vacet capellanus. Casus enim exceptus firmat regulam in contrarium, volitamque ostendit sacerdotalem qualitatem, *Card. de Luc. de benefic. disc.* 62. *num.* 7., *& Sac. Congregatio in Romana Capellaniarum* 27. *Junii elapsi anni* 1789. *ad* 1. *Dub.*

Quatenus ita EE. Vestræ censeant, deliberandum erit secundo de dispensatione ætatis favore clerici Josephi Bracci, qui annum modo attingit decimum nonum cum dimidio. Ei quidem obstat regula, quod in capellania etiam habitu sacerdotali, habilitas requiritur ad assumendum Sacerdotium intra annum, *Fagnan. in citat. cap. ut Abbates num.* 52. *de ætat.*, *& qualitat. ordinan.*, *& in cap. conquerente num.* 29. *de cleric. non residen.* Sed res alia ex parte est de clerico agnato, quem Testator prædilexit; neque ullus ejusdem familiæ concurrit Sacerdos. In his porro terminis, ex præsumpta Testatoris voluntate impuberi etiam tresdecim annorum clerico indulsit Sacra hæc Congregatio *in Anconitana Capellaniæ* 12. *Junii* 1762.

Quæritur itaque:

I. *An capellania, de qua agitur, sit clericalis, seù potius sacerdotalis in casu &c.*

Et quatenus sacerdotalis.

II. *An sit locus dispensationi ætatis favore clerici Josephi Bracci in casu &c.*

Ad I. Negative ad primam partem, affirmativè ad secundam.

Ad II. Affirmativè, & ad D. Secretarium cum SSmo.

RO-

Sess.22.cap.6., & Sess.24. cap. 15. de Reform.

ROMANA UNIONIS REDITUUM. Hipolytus Collot heredem bonorum Urbis instituit anno 1671. Ecclesiam SS. Martyrum Laurentii in Fonte, & Hipolyti sub lege conficiendi ad annuum reditum scutorum 706. multiplicum, de quo ita disposuit. Sex in ea ex scutis 600. institui jussit capellanos cum eodem Divini officii, & Missæ conventualis onere, quo ii gravantur S. Mariæ de Anima; ac simplicium Missarum 244. pro quolibet in singulos annos; aliud vero ex reliquis scutis 100. confici multiplicum, ut decens cum sumptu scutorum 100. extrueretur capella, aliique ad decimum quintum adderentur capellani; quibus constitutis, perpetuo eadem summa scutorum 100. in dotalia subsidia, aliaque pia erogari deberent opera. Voluit tamen, ut annua singulis capellanis retineret Ecclesia scuta 34., eisque vicissim præstare teneretur sacra utensilia, cubicula instructa, ignem, barbitonsorem. Annua nunc hereditas attingit scuta 871. 41., & septimo addito capellano, omnibusque detractis expensis, scuta supersunt 100. 91.

Ecclesiam regit nobilium Aulicorum Congregatio, quæ dicitur Urbana. Redundantes igitur reditus hereditatis Collot in sacra ab anno 1762. erogavit utensilia, Imagines, Ecclesiæ restaurationes, lites ad scut. 1017. 96.; idque necessario fecisse ait ob tenues Ecclesiæ reditus, qui secundum ejus Ratiocinatorem in annuis consistit scutis 508. 34., ac superantur in scutis 136. 29. ab exitu scutorum 644. 63.. Re cognita, eam in jus vocavit Rev. Fabrica S. Petri, ut de consumptis hereditatis reditibus rationem redderet. *Sanctissimo* supplicarunt illius Administratores pro absolutione quoad præteritum, & perpetua quoad futurum Collotianorum redituum unione; precibusque ad EE. Vestras remissis, *prævia avocatione Causæ a Tribunali Rev. Fabricæ, perpetuoque super expositis indicto illi silentio*, arduam Emus Urbis Vicarius redituum præsertim unionem fatetur, sed ob gravem Congregationis paupertatem, auctosque capellanorum causa ejus sumptus, utrique favet instantiæ. *Hac*, inquit, *tanta pauperie, summum Congregationis discrimen & interitum male auspicante, profecto nisi quid insperatæ opis veniat aliunde, nunquam fiet, ut ex adeo tenui obæratoque instantis patrimonio redigi queant tum enunciata scuta* 1017., *tum quidquid opus deinceps fuerit ad cultum nitoto-*

toremque servandum Ecclesiæ. Pietas proinde imploratur EE. Vestrarum, uti duarum Instans petitionum compos fiat, nimirum absolutionis a restitutione scutorum 1017., *unionisque amborum Institutorum. Quæ tamen unio, si perpetua displicebit, nihil decernere vetabit, ut ex reditibus capellaniarum Congregatio ab hereditate capiat vel certum quid annuum jam nunc arbitrandum, vel incertum pro modo expensarum, in Ecclesiam, ejusque nitidiorem supellectilem faciendarum.*

Sub primo itaque ex infrascriptis Dubiis de uniendis quæritur Collotianis reditibus. Expressa quidem obstat Testatoris voluntas, adeoque enixa, ut non admodum usitato exemplo Summos rogaverit Pontifices *di non mutare in cosa veruna questa mia volontà sotto qualsivoglia pretesto, che si potesse addurre dalli Signori Officiali*. Caute enim, ac nonnisi ex justa & necessaria causa commutanda est hujusmodi voluntas ex præscripto *Sacri Concilii Tridentini sess.*22. *cap.* 6. *de Reform.* Eoque magis, quia exequi cepit Congregatio demandatum multiplicum, septimamque erexit capellaniam; ac satis ei fuit ad annum 1762. annua capellanorum contributio in compensationem onerum. Utrum vero Ecclesiæ paupertas, de qua Emus Vicarius ex recentiori testatur calculo, justa & necessaria sit unionis causa, EE. Vestræ decernent. Ubi reditus profecto deficiunt Ecclesiæ, supplere tenentur ejus Beneficiati, *Louvrex dissert. can.*16. *num.*13., *& Rot. in Viterbien. Contributionis Onerum, & Expensarum* 15. *Junii* 1745. §. 10. *coram clar. mem. Card. Elephantutio*.

Quoad absolutionem a restitutione scutorum 1017. 96., de qua agitur sub secundo; excusari non posset Congregatio, quod eam summam contra voluntatem Testatoris in alios usus convertit, *cap. Tua nobis de Testam.*, *Pignatell. consult.*50. *num.*1. *tom.*6., *Scarfanton. ad Ceccoper. lucubr. can. lib.*4. *tit.* 5. *tom.* 2. *in animad. num.* 1., sed ponderare dignentur Emi Patres, num cogi debeat ad restitutionem, insignis summæ, quæ nec propriis par est oneribus. Ob impotentiam sane absolutionem concessit *Sac. Congregatio in Syracusana* 7. *Februarii* 1705. *lib. decret.* 55. *fol.*44.

Deliberandum igitur.

I. *An*

I. *An, & quomodo sit locus quoad futurum unioni redituum in casu &c.*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Dilata, & expectetur electio Emi Protectoris, & deinde providebitur.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

CIVITATIS CASTELLI REDUCTIONIS ONERUM.

Supranumerarios canonicos duos, totidemque perpetuos capellanos instituit anno 1626. Simon de Barboglis in Cathedrali Ecclesia Civitatis Castelli. Hereditatis suæ bessem assignavit canonicis, trientem capellanis; & hæc utrisque imposuit onera. Pœnitentiarii munus canonicorum uni, omnibusque canonicis, & capellanis Divini Officii recitationem in choro; Sacramenti pœnitentiæ administrationem diebus festis, feriisque sextis quadragesimæ; trin cuilibet hebdomadalia Sacra; Missam cum cantu, aliasque *totius Familiæ Cathedralis* in die Præsentationis Beatæ Virginis; Officium sequenti die mortuorum cum Missis quinquaginta, & manutentionem capellæ SSmi Sacramenti.

Primævum fundum capellaniæ, quam Sacerdos possidet Antonius Leonardi, in scutis constitisse fertur 2000., sed vix anno 1717. scuta attingebat circiter 1307., & modo ad relationem Episcopi scutorum est 1190., sive juxta publicum catastrum, & novissimam ipsius capellani attestationem, scutorum 1214. 20., quæ annua reddunt scuta 44. 50. Ob imminutum igitur reditum, EE. Vestris supplicavit Leonardus pro reductione onerum; ac exposita confirmans, retulit primo Episcopus, quod *Canonici, & Dignitates, quibus pro duabus partibus, mihi tertia relicta, pertinet istiusmodi juspatronatus, plenissimum, præstiterunt assensum, ut juxta petita, ea diminuantur onera Missarum, quæ placuerint EE. Patribus, firmis tamen remanentibus omnibus, ac singulis aliis supra indicatis obligationibus, quæ a capellaniæ institutore de primario intelliguntur, & in commodum hujus Cathedralis principaliter redundant*; atque ita con-

clu-

clusit : *Quæ quidem Sacrificiorum imminutio si forte capellano supplicanti concedatur a Sacra ista Congregatione, tunc poterunt indubitanter, aliquo ab eodem percepto lucro, & capellæ stabilia bona in melius reduci, ejusque etiam reditus annui tractu temporis augeri.*

Iterum, de decenni requisitus redituum calculo, & num per locationem ad longum tempus, vel emphyteusim ad tertiam generationem masculinam augeri possent, perniciosam in secunda informatione ab exemplis dixit locationem, difficilem emphyteusim, eo *quod petia terræ ad dictam capellaniam pertinentia valde dissita sint inter se, & in diversis locis collocata, quorum aliqua natura sua parum fructifera. Eo vel maxime, quod introitus scutorum circiter quadraginta quatuor proveniunt capellano in magna parte tam ex censibus, quam ex petiis terræ, quæ propterea ad rem reducuntur parvi momenti*, calculoque ex documentis confecto, annuum capellaniæ reditum in scutis statuit 44. 50., onera in scutis 51. 55.. Ob neglectam vero demandatam edictorum affixionem, tertio in id opus fuit rescripto, ac tertio tandem de expleta retulit affixione, & oblatorum defectu. Res itaque sub infrascripto proponitur Dubio.

Præcipua reductionis onerum causa est redituum imminutio, juxta *Sac. Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 4. de Reform.*, & monitum *Benedicti XIV. de Synod. Diœces. lib. 13. cap. ult. num. 28.*. Maxime *si taxative* constitutus sit pii operis fundus, ejusque fructus absque possessoris culpa decreverint, *Felin. in C. super literis n. 4. de rescript., Tondut. quest. benefic. t. 2. part. 3. cap. 162. num. 5., & seqq., Benedict. XIV. loc. cit. num. 38.* Tales ne sint præsentis casus circumstantiæ, a recto pendet EE. Patrum judicio. Imminuti quidem dicuntur capellaniæ reditus; sed antiquus deficit status, unde hoc desumi valeat. Prædiorum, & censuum capitale erat anno 1717. scut. 1307., sed non multo hodiernum superabat, eoque contentus, capellaniam accepit Orator, onera implevit. Exitus contra scutorum 51. 55. pro summa duntaxat scutorum 10. 95. ad realia pertinet onera, pro reliqua ad personalia. *Taxativa* de cetero est assignatio fundi, quum ab ea incipiat dispositio, *leg. Quidam ff. de legat. 2.*, & *leg. Non aliter §. 1. ff. de legat. 3.*, & si quæ est redituum imminutio, evenit, teste Episco-

po, ob nonnullos amissos census, & deteriorem prædiorum statum, absque ulla capellani culpa. Sua etiam æquitate ponderare dignentur Emi Patres, num habenda sit ratio in exitu de oneribus personalibus, quibus respondere debet emolumentum, *Card. de Luc. de fideicomm. disc.* 195. *num.* 9., & *Sac. Congregatio in Urbevetana* 24. *Novembris* 1787. Hoc enim casu minor esset introitus in scutis 7., & ob. 5. juxta calculum Episcopi.

Si aliqua autem indulgenda videbitur reductio, de reducendis quoque deliberandum erit oneribus. Alia prius reduci debent, quam Missæ, *Fagnan. in cap. Ex parte num.* 34. *de Constit.*, *Benedict. XIV. de Synod. Diœc. lib.* 13. *cap. ult. num.* 23., & *Sac. Congregatio in Romana Reductionis Servitii Chori*, & *Missarum*. Majus enim, quod ex his obvenit suffragium, præ omnibus voluisse censetur Testator, *Bordon. de legat. cap.* 15. *num.* 35. & *seq.* Regula tamen hæc fallit, ubi contrarium ex illius verbis, ejusque dispositione colligitur; nam tunc fit potius Missarum reductio, *Passerin. de stat. homin. tom.* 2. *quæst.* 187. *num.* 1101., *Monacell. form.* 19. *tit.* 10. *part.* 1. *num.* 25. In nostro sane themate *voluit Testator, in Divini cultus augmentum, & pro majori magnificentia dictæ Cathedralis, & ut eidem in spiritualibus tanto magis in dies inserviatur, & in illa plurium preces fundantur, constitui, creari, & ordinari à Capitulo duos canonicos supranumerarios, quorum unus sit & esse debeat Pœnitentiarius, nec non duos capellanos perpetuos*; suamque deinde dispositionem a chorali servitio, & Sacramenti pœnitentiæ administratione incepit. Et in his terminis Missas potius, quam pia alia opera principaliter contemplata reduxit *Sac. Congregatio in Aquen. Reductionis* 19. *Decembris* 1772., & *in Urbanien.* 30. *Augusti* 1788., licet quandoque utrumque imminuerit onus, ut *in Bracharen. Reductionis Onerum* 11. *Septembris* 1717. *lib.* 67. *Decret. pag.* 373.

Dubium est: *An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.*

Affirmativè pro reductione ad unicam Missam hebdomadalem ad decennium, firmis remanentibus reliquis oneribus ad formam Testamenti.

MA-

MACERATEN. Duo in Cathedrali Ecclesia Maceratæ sunt Parochi, auxiliares Vicarii tres. Assistunt omnes matrimoniis, eaque in respectivis notant diariis, ut in unum deinde referant codicem. Maceratensis nuper Antistes intermissam novit hujusmodi descriptionem ab anno 1783., nullaque interposita mora exhibitionem indixit diariorum in Episcopali cancellaria, ut fieret. Mandatis paruerunt Parochus Gregorius Sgherzi, & Vicarii; non item Parochus Emigdius Granella. Post iteratas igitur monitiones in contumacem animadvertit Episcopus per suspensionem a Cura, & Missa, licet hoc fecisse dixisset ex causis sibi notis. Provocavit Granellius ad A.C., sed remissa ad Sac. hanc Congregationem appellationis Causa, supersedit judicio. Interim vero EE. Vestras exorat Parochus Sgherzi, ut neglectæ occurrant descriptionis malo; omniaque confirmans, ait Episcopus, nihil sibi *tam grave esse in Ecclesiæ regimine, quam Parochum Granella, immo solum, qui obsistendo in iis, quæ necessaria sunt ad rectum Ecclesiæ gubernium, lædendoque Episcopalia jura, me continuo graviter pungit*. Vestro hinc judicio in distinctis foliis subiicit utriusque Parochi jura, monetque, quod *principalis Causa* [suspensionis] *nil obesse poterit, quin EE. Vestræ culpæ, & omissioni, de qua in precibus, occurrant, cogendo Granellium, ut suas matrimoniorum exhibeat notulas, quibus tandem liceat contractus prædictos in legalem librum una cum aliis referre*. *Sess.24. cap. 1. de Reform. Matrim.*

Christianæ potissimum interest Reipublicæ, ut perpetuum de contractis matrimoniis sit monumentum, ne ex humana inconstantia in quæstionem veniant, maximoque Sacramento illudatur, *Sanch. de Matrim. lib. 3. disput. 15. num.22.*, *Gutier. eod. tract. cap.60. n. 9.*, pluribusque collectis *Barbos. de offic. & potest. Paroch. part. 1. cap. 7. num. 6.*, *& seqq.* Provide idcirco *Tridentina Synodus* statuit *Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.*, quod *habeat Parochus librum, in quo conjugum, & testium nomina, diemque, & locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat*. Hoc namque pacto quælibet removetur dubitandi occasio; quum plene quoad celebrata matrimonia parochiali libro deferatur, *Gen. de script. priv.*

priv. lib. 5. quæst. 6. tit. de lib. Plebanor., *Borrel. in summ. decis. part. 2. tit. 22. num. 27.* Legalis autem ad Conciliarem implendam legem requiritur codex, satque non est simplex diarium, cui minor adhibetur fides, secundum *Bald. in rubr. Cod. de fid. instrum.*, *Jas. in leg. Admonendi num.81. vers. 5. ff. de jur. jur.*

Singuli quidem Parochi *diligenter apud se* hujusmodi librum custodire debent: sed tot fortasse in nostro themate non requiruntur, quot in Maceratensi Cathedrali sunt Parochi, & Vicarii, quum unam omnes regant Ecclesiam, idemque curent Gregem. Qua de re unus pro omnibus in communi retineri consuevit archivio, ut quilibet in eum matrimonia coram se contracta referret. Recens namque Episcopi præceptum de exhibendis diariis in cancellaria, est occasionale, ac emendationem respicit negligentiæ a Parochis commissæ. Ex pluribus autem Parochus Granella suam excusat contumaciam. Missis porro, quæ de aliis mortuorum, & baptismatum libris; decessoribus cogendis Parochis ad conficiendas illorum rubricas, eorumque prohibenda extractione ab archivio; & de sua suspensione a Divinis extra præsentem observat quæstionem; neglexisse ait matrimoniorum adnotationem ob inexistentiam libri in archivio, sibique ad rectum scripturæ ordinem denegatas Vicariorum notulas; & ne suum Sgherzio exhiberet diarium, ac parochiale læderet jus describendi proprio charactere matrimonia. His igitur remotis difficultatibus, promptum se paratumque dicit ad referendas diarii sui partitas in codicem.

Nunquam contra Sgherzius amotum asserit librum ab archivio, & unius Granellii pervicacia factum esse, ne reliqui in eo matrimoniales describerent contractus. Nihil Parochiali illius juri detrahere velle, ultroque ei proprium, & Vicariorum diaria exhibiturum fore, ut describendi incommodum pro omnibus ferret, nisi obstaret suspensio ab exercitio Curæ. Ac ceteras tandem excusationes nolentis appellat diffugia. Cui in hac assertionum pugna credendum, EE. Vestræ decernent. Notandum tamen, quod unius Granellii facto deest ab anno 1783. matrimoniorum codex; nam mandatis Episcopi *primus obtemperavit Orator*; *aliique auxiliares Vicarii id ipsum peregerunt*.

Quæ-

Quæritur ergo ...

An, & a qua tempore sit cogendus Parochus Granella ad exhibendum diarium matrimoniorum in casu &c.

Affirmative ab anno 1783. juxta votum Episcopi, & Episcopus procedat juris, & facti remediis contra Parochum Granella.

TERRACINEN., SEU SETINA CAPELLANIÆ. Duo in hac Causa die 28. Novembris elapsi anni 1789. proposita fuerunt Dubia. I. *An Literæ Apostolicæ sint servandæ*. Et quatenus negative, II. *An, & cui sit danda institutio*. Et ad primum EE. Vestræ rescripserunt, *Negative*; ad secundum, *Institutionem dandam esse Francisco de Bellis*. De Viribus quæritur modo utriusque rescripti, ac deliberandum proponitur. *Sess. 25. cap. 9. de Reform.*

An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

AQUILANA IRREGULARITATIS. Ad sedandum Virum, qui nocturnas inter tenebras 9. Decembris 1787. cum Sacerdote Nicolao de Stephano ejus fratre de re domestica rixabatur, pugnæ se immiscuit uxor, & fratria Theresia, & sive ab uno, sive ab altero inconsiderate impulsa, graviterque in occipite ad mensulæ cuspidem contusa, post triduum occubuit. Re per formalem inquisitionem perpensa, nedum ab ipso defunctæ mulieris Patre querelante, sed ab ecclesiastica etiam Aquilæ curia, declaratum fuit homicidium casuale, & involuntarium, libereque dimissus est mense Julio 1789. Sacerdos Nicolaus. Pro dispensatione nunc ab irregularitate, quatenus in eam inciderit, EE. Vestras exorat; ac exposita confirmans, ita Aquilanus Vicarius Capitularis in sua informatio- *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

tione concludit: *Quin scandalum inducat irregularitatis, si quæ contracta est, dispensatio, Populus ipse* (Terræ Cambiani, ubi commissum fuit homicidium) *miserans, ab eadem dispensandum postulat, & anhelat.*

Ubi de homicidio agitur *non ex proposito, sed casu* commisso, indulgendum est etiam promovendo, ex *Sacr. Conc. Tridentino sess. 14. cap. 7. de Reform.*, multoque magis promoto, cui ab ecclesiastico recedere non licet statu, *Hostien. in cap. sicut de homicid.* Hoc autem in nostro themate quærendum, utrum evenerit casu, omnique Orator vocaverit culpa. Voluntarium dici posset in causa ob illicitam rixam; ideoque imputandum ad irregularitatem, *gloss. 1. in cap de cetero, de homicid., Div. Tom. 2. 2. quæst. 64. art. 8., Fagnan. in cap. quidam, de homicid.* Ad illud contra ordinata non erat rixa, neque prævidere potuit Orator, licet rixaretur in tenebris, mortem se aut fratrem sine armis fratriæ, aut uxori illaturos. In his sane terminis voluntarius in causa non censetur effectus, *cap. quæsitum, de pœnit., & remiss., Fagnan. in cap. si constiterit num. 40., de accusat.*, & ex sequuto homicidio vel non contrahitur irregularitas, *cap. quantum, dist. 50., ibique gloss. verb. culpabilis*, vel facilius remittitur, *Sacr. hæc Cogregatio in Elboren. Irregularitatis 16. Martii 1737. ad II. Dub., in Cadurcen. Dispensationis ab irregularitate 16. Maii 1789., & in Urbevetana Irregularitatis 20. elapsi Martii.*

Teste insuper Vicario Capitulari, rixæ auctor fuit Oratoris frater, nec certo affirmari valet, unum potius, vel alterum infelicem mulierem impulisse. Ex hoc siquidem procliviores esse possent Emi Patres ad indulgendum Oratori, licet in dubio haberi debeat pro irregulari *cap. significasti, & cap. petitio tua, de homicid., Fagnan. in cap. ad audientiam, num. 5., & seqq. eod. tit.* Et accedit denique, quod illius dispensationem ab irregularitate *Populus ipse miserans postulat, & anhelat.*

Deliberandum igitur:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Die

Die Sabbathi 15. Maii 1790. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

TERRACINEN., SEU SETINA CAPELLANIÆ. *Sess. 25. cap. 9. de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

AQUILANA IRREGULARITATIS. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Affirmative.

BONONIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Iterum Causa hæc, cujus species est *in Folio 5. Aprilis* 1788., contradicentibus Marchionibus Pepoli sub originariis proponitur Dubiis ob rescriptum diei 26. ejusdem mensis: *Dilata & præfigatur ab Emo Archiepiscopo terminus heredibus Ugonis Pepoli ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione*. Quoad primum

igitur, in memoriam revocent Emi Patres, jamdiu Hugonem de Pepolis pro harmonico Litaniarum cantu singulis sabbathis, pervigiliis, festisque B. M. Virginis, annuum Societati Sanctissimi Rosarii tradidisse censum scutorum 40., aliaque solvisse scuta 200., ut musicalis ex fructu adderetur buccina. Pium hoc opus incrementum habere debuisset ex legato scutorum 40. Dorotheæ Lambertini Berò, & altero scutorum 100. Anonymi; sed utraque hæc summa cum scutis 200., ut supra ab Ugone soluta, legitime, ut creditur, erogata fuerunt in reparationem Sacelli. Annuus immo Ugonis census per subrogationem Locorum MM. ad scuta decrevit 19. 69. 4. Qua de re supplicarunt Sodales pro commutatione harmonici in Gregorianum cantum, ac facultate erogandi redundantes reditus in dotale subsidium ad ipsorum nominationem.

Æque igitur commutationem urgent Pepoli, & Sodales, tum quia Gregorianum cantum meliorem censent harmonico, quem in Ecclesiis non probant *Div. Augustinus lib. 10. confess. cap. 33.*, *Thomasin. de vet. & nov. Eccles. disciplin. lib. 2. cap. 31. num. 9.*, aliique; tum quia principale Institutoris votum fuerunt Litaniæ; tum quia nec integri reditus capitalium Hugonis Pepoli, ac Legatorum Berò, & Anonymi pares essent sumptui musicæ, pro qua Bononiensis quidam ejus moderator annuam requiri affirmat summam scutorum 112. Notandum contra, quod *Divus Augustinus*, & qui eum sequuntur, de musica disserunt profana, & lasciva, quam interdicit etiam *Sacr. Conc. Tridentinum sess. 22. Decr. de observan. & evitan. in celebrat. Miss.*, non item de sacra, cujus *consonantiæ auditum demulcent*, *devotionem provocant*, & *psallentium Deo animos torpere non sinunt*, ad monitum *Joannis XXII. in extrav. Docta*, *de vit.*, & *honest. Clericor.* Valde insuper pro harmonico cantu enixa fuit Hugonis voluntas, ut ea pandunt verba: *grandemente desidera*, *che quest' opera santa non solo duri in eterno*, *ma anco s'accresca in onorare la SSma Vergine del Rosario*. Ex ipsis postremo imminutis reditibus adimpleta fuit hujusmodi voluntas ad annum 1751., quo ex Pontificia gratia permitti cepit Gregorianus cantus ad decennium, modo ad redimendam

dam argenteam Altaris Crucem a pignore, modo ad construendum organum.

Quoad secundum vero, haud teneri contendunt Pepoli ad supplendum reditum ab Hugone destinatum pro Litaniarumcantu, eo quod novissimum LL.MM. investimentum, ex quo imminuti sunt capitalis fructus, expletum fuit absque ipsorum interpellatione, & consensu, ut cautum fuit in mandato Sodalitii ad stipulandum piæ institutionis instrumentum cum Hugone. Adverti tamen debet, quod neque in instrumento fundationis, neque in successivo Hugonis testamento ullum est interpellationis, & consensus verbum, quodque expresse immo in instrumento permissum legitur novum investimentum in Locis MM.. Ponderandum etiam, adeo Hugonem de perpetuo harmonico cantu solicitum fuisse, ut decrescentibus reditibus, se suosque obligaverit hæredes = *Dare, & solvere singulo anno id, & totum, quod deficiet* = verba sunt instrumenti. Iterumque, ut in casu, *che si vedesse, che l' opera* (ob imminutos reditus) *fosse per perire, li suoi eredi siano obligati darli tanti denari, che rendano l'entrate in detto censo*; quemadmodum addidit in testamento.

Dubia sunt.

I. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatum Hugonis Pepoli, Dorotheæ Lambertini Berò, & Anonymi in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo sit providendum pro illarum executione in casu &c.*

Ad primum negative. Ad secundum, teneri heredes Pepoli tantum ad reintegrationem usque ad summam scutorum trigintanovem.

MELEVITANA TRANSACTIONIS. Testamento anni 1772. legavit *Sacerdos* Franciscus Wzzinus Societati Animarum Purgantium Civitatis Vallettæ scuta 3000. Melitensis monetæ, totidemque lampadi Parochialis Ecclesiæ Casalis cum pari Anniversariorum trium, Sacrique quotidiani onere. Superextantem pe-

Sess. 22. cap. 6., & Sess. 25. cap. 4. de Reform.

cuniam erogari jussit in eleemosynas, & Missas statim celebrandas pro æquali rata, Heredem vero instituit Seminarium Melitæ, in quo fuerat Alumnus. Codicillis deinde anni 1777. domus suæ usumfructum reliquit Sacerdoti Antonio Grech, eique imposuit onus præstandi Marcellæ Azzopard, & Cajetanæ Grimæ habitationem, & annua scuta 30., substituta post illarum obitum ad medietatem annuæ præstationis Congregatione S. Francisci de Paula.

Hereditate cum henefieio legis & inventarii per Seminarium adita, immissionem à Curia Gubernatoriali Insulæ Gaulos obtinuerunt consanguinei Testatoris ad fideicommissaria quædam prædia, in emphyteusim ab eo concessa. Ad ulteriorem vero præcidendam litem, emphyteutis reficere promiserunt melioramenta, & Seminarii Œconomus damna in scutis 2944. & tarenis 4. Actum hinc de damnosa repudianda hereditate; sed re accuratius perpensa, per transactionem conventum est, ut statim emphyteutis solvi deberent scuta 300., quæ legatis superfuerunt, atque ex voluntate Testatoris in eleemosynas,& Missas erogari debuissent; in annos vero reliqua summa ex fructibus scutor.6000., quæ Societati Animarum Purgantium, & lampadi Parochialis legata sunt, suspensis ad quindennium Anniversariis, & Missis. Annua enim capitale illud reddit scuta 180.

Hujusce transactionis approbationem ab EE Vestris flagitavit Œconomus, atque exposita confirmans, ita in sua informatione Melitensis conclusit Episcopus: *Hujusmodi transactionis instrumentum non solum meo Seminario, verum etiam dictis legatis piis perutile dignoscitur ob rationes hic inutiliter repetendas, aliasque, quas brevitatis gratia omitto. Auditis vero hac de re omnibus interesse habentibus, ac legatariis, & Seminarii Deputatis, omnes præstiterunt consensum confirmationi transactionis prædictæ. Quamobrem sum in voto, annuendum esse precibus Procuratoris dicti Seminarii.*

Aliter Emus de Zelada, ab EE. Vestris rogatus, in prima censuit relatione. *Ego*, inquit, *non bene percipio, quare trahenda sint ad longum tempus Missarum, & Anniversariorum suffragia; ut præservetur Seminario domus cum mobilibus, quæ quidem nec libera erunt, nec multum utilitatis afferrent. Sane utilitas Seminarii*

in

in eo solum constituta est, ut decursu temporis habeat dominum, post obitum scilicet legatariorum. Sed interim quidquid in suffragium Animæ Testatoris destinatum est, id omne subvertere oportet. Illudque etiam accedit, quod subversio hujusmodi fieri debet ad extinguendum debitum ab emphyteutis prætensum, cum tamen debiti liquidatio sequuta non sit, illudque perveniat ex lite acta ratione fideicommissi, cujus qualitas, & subsistentia ignoratur, nec bene intelligitur, quomodo titulus fideicommissi prodesse poterit Locis piis, quibus bona fuerunt a Testatore relicta.

Renovatis vero per Œconomum precibus, à priori Emus Relator recessit sententia, eo quod per temporariam legatorum suspensionem servaretur hereditas, quam in illorum etiam præjudicium impetere possent emphyteutæ; *& indemnitati Seminarii aliquo modo providebitur, eique domus libera obveniet*; suumque votum in hæc aperuit verba: *Obtentis à SSmo Domino nostro facultatibus pro piorum legatorum suspensione, illud sperare fas est, ut sublato molestiarum timore, non magnum certe, sed aliquale emolumentum Seminario obveniet. Attentis proinde circumstantiis non inutilem arbitror transactionem, cujus approbationem Œconomus efflagitat, & Rmus Episcopus probandam censet. In re tamen quodammodo implexa omnia remitterem ejusdem Rmi Episcopi arbitrio, & conscientiæ. Ipse enim præsens suo Seminario consulere poterit, eique quid magis fuerit expediens, accurate cognoscet.*

Duo siquidem continet transactio, erogationem scilicet scutorum 300. in aliam, quam à Testatore designatam causam, & Missarum suspensionem. Commutanda esset ad primum voluntas; in longius quoad secundum protrahi deberet illius executio. Utrumque vero justam & rationabilem requirit causam, *Sac. Conc. Trid. sess. 22. cap. 6. de Reform.* Facile enim suspendi non debent, multoque minus tolli Animabus suffragia, *Petr. ad Constit. Innoc. IV. num. 49., & seqq., Kochier, ad regul. Cancell. litt. E.* Ad justam referri posset causam necessitas. Onus enim reintegrandi emphyteutas Testatoris de damnis per evictionem prædiorum passis, hereditarium est, ac *stante insufficientia hæreditatis* (verba sunt Episcopi) *ii sua jura experirentur contra omnes legatarios: Demptis vero legatis remuneratoriis, ob-*

obnoxia essent contributioni pro dimittendis dictis creditoribus legata pia, quod plane evenire non posset, quin totum ab imnò ad summum interverteretur testamentum. De legitima autem evictione ex sententia constat Curiæ Gubernatorialis Insulæ Gaulos; ac de damnis ex peritia, quæ Episcopi testimonio producta fuit in actis ejus Curiæ. In his ergo terminis deliberandum, num tanti sit difficultas exequendi piam Testatoris dispositionem, ut permitti potius debeat legatorum suspensio, juxta sententiam *Barbosæ de potest. Episc. allegat.* 83. *num.* 3., & 8., & *Sac. Congregationis in Civitatis Plebis Legati* 28. *Augusti* 1756., & 15. *Aprilis* 1758. Maxime, quia in eam consentiunt interesse habentes, ac plene post aliquot annos adimpleri poterunt pia legata, quin omni hæreditatis compendio privetur Seminarium, quod Testator per institutionem prædilexit.

Asperum contra videtur prætermittere eleemosynas & Missas ex superextantibus scutis 300., aliaque ex capitali scutorum 6000. differre Sacra, ut *non magnum, sed aliquale emolumentum Seminario*, de cujus indigentia non constat, afferatur. Hereditaria insuper sunt mobilia (cujus valoris ignoratur) eaque cum superextanti domus pretio *aliquale emolumentum Seminario*, salvis legatis piis, afferre posset.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

An sit approbanda transactio, itaut sit consulendum SSmo pro suspensione legatorum, & commutatione voluntatis quoad scuta 300. *in eleemosynas & Missas legata in casu &c.*

Affirmative arbitrio Episcopi, celebratis pro unica vice centum Missis, & uno Anniversario durante quindennio in suffragium Testatoris.

FIR-

FIRMANA DISTRIBUTIONUM. Ad tollendas simultates, & jurgia, ita anno 1778. *Sanctissimus Dominus Noster* Collegiatam S. Donati Montis Ulmi alteri univit SS. Petri, & Pauli, ut sua quælibet retineret bona, & illius Præpositus, qui prima erat Dignitas, & Parochus, talis etiam inter unitos Capitulares foret; Præpositus contra SS. Petri, & Pauli, qui primam & ipse tenebat sedem, descenderet Archidiacoui nomine ad secundam. Quoad distributiones vero quotidianas statuit, *quod pro Capitularibus dictæ Collegiatæ Ecclesiæ S. Donati, choro præfatæ Ecclesiæ SS. Petri, & Pauli, & S. Donati nuncupandæ inservientibus, sint omnino æquales, & correspondentes distributionibus quotidianis, quæ a Capitulo dictæ Collegiatæ Ecclesiæ SS. Petri, & Pauli de præsenti percipiuntur,* *Ses. 24. cap. 12. de Reform.*

Prima Dignitas SS. Petri, & Pauli distributiones capiebat in tertia parte majores canonicalibus. Eas igitur ab ipsa unione percepit translatus Præpositus S. Donati, æque ac Archidiaconus, qui in sua exigendi possessione continuavit. Anno tandem 1788. contendere cæperunt Capitulares quidam de æquandis inter eum, & Canonicos distributionibus, causamque dederunt, ut Sacræ Congregationis auctoritatem imploraret Præpositus Nicolaus Barba pro observantia soliti. Instantiam probavit capitularis resolutio, & hæc ex transmissis Documentis ad confirmandam illius æquitatem Firmanus notavit Archiepiscopus.

Bulla, inquit, *unionis jubet, ut quotidianæ distributiones pares esse debeant inter Capitulares utriusque Collegiatæ. Constitutiones desuper efformatæ id observandum præscribunt. Lex ab ipsa unionis Bulla indicta, per lapsum decem annorum fuit religiosè observata, videntibus ultroque ferentibus iis, qui modo adversantur. Demum, semel ac ex priori Bulla, qua fuit erecta Collegiata S. Donati, certum sit, fuisse tunc Præposito adsignatas distributiones majores, quam quæ Canonicis deberentur, jam omnis ratio postulat, & jus exigit, ut eadem methodus in distribuendis fallentiis servetur, ceu usque adhuc fieri assuevit; ita ut Præpositus pari passu in hac re ambulet cum Archidiacono, hoc est uterque tertiam partem lucrentur supra id, quod habent Canonici, quemadmodum uterque Juxta eamdem rationem proprias fallentias persolvit. Sed rem, quæ cæteroquin mihi clara videtur, definiendam a sapientiori EE. Vestrarum censura relinquo.* Causa ad folium ablegata cum clausula *citata Parte*, ultro post iteratas dilationes liti cesserunt contradictores Præpositi; ideoque

que eo tantum informante, infrascriptum proponitur Dubium.

Distributionum æqualitatem præscribit unionis Bulla, sed modum non innuit, quo ea Capitulares S. Donati frui debeant; num scilicet comparative ad simplices Capitulares SS. Petri, & Pauli, seu potius pro ratione eorum qualitatis, ita ut pares sint Canonicus Canonico, Dignitas Dignitati? Locus igitur est interpretationi, atque ex eo Præpositus æqualis censeri posset Canonicis, quod non debentur distributiones ratione beneficii, aut dignitatis, sed laboris, qui par est omnibus, *Monet. de distribut. quotid. part.* 1. *quæst.* 6. *num.* 8., *Card. de Luc. de Canon.*, & *Dignit. disc.* 16. *numer.* 6. Et hac forsan de causa, qui tertiam Prioris-nomine occupat Dignitatem, distributiones percipit canonicales.

Præposito alia ex parte favet dispositio *Cap. statuimus de major.*, & *obedien.*, in quo expresse statuitur, quod *major ordine, etiam si postea sit receptus, in portione percipienda sit potior.* Quod etiam cavetur *in Cap. dilectus il* 1. *de præben.*, quem exornat *Monet. de distrib. quotid. part.* 2. *quæst.* 4. *num.* 1., & 2. Ex hac porro juris dispositione ita fortasse intelligenda est distributionum æqualitas, in Bulla unionis demandata, ut translati Præpositi portio respondeat dignitati, ejusdemque sit mensuræ, qua eam Præpositus SS. Petri, & Pauli ante unionem percipiebat, Maxime, quia Archiepiscopi testimonio eadem proportione, qua Præpositus, & Archidiaconus distributiones exigunt, fallentias persolvunt. Qui plus enim conferunt, plus etiam percipere debent, *Garz. de Benefic. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 460., *Monet. cit. part.* 2. *quæst.* 4. *sub num.* 5., & *Sacra Congregatio in Imolen. Distributionum* 8. *Maii* 1773. *ad I. Dubium.*

Accedit præterea, quod in ipsa Collegiata S. Donati majores erant distributiones Præpositi, ut colligitur ex altera ejus erectionis Bulla. Deterior itaque per unionem evasisset illius conditio, si eas in Collegiata SS. Petri, & Pauli simplicis Canonici instar percipere deberet, eoque magis, quia inferior esset Archidiacono, qui secundum post eum tenet dignitatis locum, ac majores consequitur distributiones. Vestram denique, Emi Patres, animadversionem meretur decennis observantia, Præpositi votis consentanea. Ad inducendam enim interpretativam consuetudinem præstandi majores distributiones uni, quam alteri, satis est decennium, *Abb. in cap. fin. de consuet.*, *Monet. part.* 2. *quæst.* 4. *num.* 4., & *seq.*

De-

Deliberandum igitur.

An, & quomodo Præposito Collegiatæ Ecclesiæ SS. Petri, & Pauli Montis Ulmi debeantur distributiones quotidianæ in casu &c.

Affirmativè juxta votum Archiepiscopi.

NARNIEN. Occasione visitationis Sac. Liminum ad EE. Vestras retulit anno 1785. Narniensis Episcopus, investiri per Canonicos Cathedralis consuevisse pecuniam capitularis mensæ absque ulla Decessorum ejus, & sua licentia; rogavitque, *ut si hujusmodi abusus, isti S. Congregationi improbandus, ac eliminadus videatur, controversiam hanc dirimere dignentur per rescriptum absque formali Causæ propositione*. Sua enim jura vindicaturos dictitabant Canonici, si quid Episcopus adversus eorum consuetudinem decerneret. Æquum EE. PP. visum est Canonicos audire, acceptisque ipsorum precibus de præteritis servandis investimentis, servandaque in futurum consuetudine, hæc in posteriori informatione exposuit Episcopus. *Perquisitis*, inquit, *in Archivio ejusdem Capituli libris, in quibus adnotata manent, & exemplata per extensum instrumenta censuum, aliorumque contractuum ad dictum Capitulum pertinentium, & resolutiones Capitulares, ex iisdem patet, ab anno* 1727. (verius ab anno 1537., juxta adnexam Notarii attestationem) *usque ad præsens investimenta pecuniarum exarata fuisse per Canonicos, quin ulla mentio facta extiterit de licentia Ordinarii, prout ex publici Notarii fide, quam humillime adnecto*. Atque hinc ab EE. Vestris deliberandum reliquit: *Utrum hujusmodi solitum ita servatum, quin constet de scientia Episcoporum pro tempore, habendum sit veluti probata consuetudo; vel potius despiciendum, & abrogandum veluti abusus*. *Sess. 22. cap. 9. de Reform.*

Nulla quidem est canonica Lex, quæ Canonicos Cathedralis, aliosque Locorum piorum administratores obliget ad petendam in activis investimentis, seu in acquirendo veniam Episcopi. Contrarium immo statuunt *Ciarlin. controv. cap.* 183. *num.* 10. & *Monacell. in formul. legal. tit.* 14. *form.* 6. *num.* 17. & *seqq.* Quotannis tamen ei reddenda est administrationis ratio ex præscripto *Sacri Concilii Tridentini sess.* 22. *cap.* 9. *de Reform.*, & ad vitandas fraudes potest etiam edicere, ne absque sua licentia pecuniæ investiantur,

ut *in Farfensi Synodo tit. de reb. Eccles. non alienan.* decrevit clar. mem. Cardinalis Barberinus, & declaravit *Sacra Congregatio in Assisien. 21. Januarii* 1786. *ad V. Dubium*. Quid juris in casu nostro, in quo communis deficit lex, aut decretum Episcopi, aliaque ex parte biscentenaria urget consuetudo conficiendi investimenta absque ejus licentia, EE. Vestræ decernent. Ex canonica siquidem dispositione simplex etiam sufficit decennium ad inducendam præter jus legitimam consuetudinem, *Engel. in jus canon. lib.* 1. *tit.* 4. *sub num.* 14., *Pichler. in eumd. lib.* 1. *tit.* 4. *num.* 10., *& seqq.*

Hæc quoad primum ex infrascriptis Dubiis. Quo vero ad secundum; si legitima dijudicabitur consuetudo, servanda quoque essent jam facta investimenta; quum juris non scripti assistentiam haberent. Si diversum de illa erit judicium, ponderandum adhuc, num rescindi deberent investimenta, quæ ex inveterata legitimæ consuetudinis opinione facta sunt. Error profecto bonam inducit fidem, *Text. in Leg. Nec exemplum* 70. *ad Leg. Cornel.*, & si inveteratus sit, aut communis, valida reddit gesta, per *Text. in Leg. Barbarius ff. de Offic. Prætor.*

Deliberare ergo dignentur Emi Patres.

I. *An, & quomodo fieri debeant futura investimenta in casu &c.*

II. *An sustineantur investimenta præterita in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & in casibus particularibus Episcopus utatur jure suo.

Ad II. Affirmative.

Sess. 14. *cap.* 7. *de Reform.*

MARSICANA DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Tertio denegata fuit Sacerdoti homicidæ Januario de Rosa dispensatio ab irregularitate, ut colligitur *ex Folio diei* 30. *Augusti* 1788. Quarto nunc gratiam implorat, eique favent Marsicensis Episcopus, Administratores Universitatis Viggiani, Parochus & Capellani SS. Petri, & Pauli ejusdem Oppidi. Testatur Episcopus de illius vita & moribus, gravique paupertate, de qua in anteactis propositionibus nec leviter constabat, *quoniam nulla bona possidet*,

det, præter patrimonialia, quorum quidem reditus juxta taxam Diœcesanam non excedunt quotannis summam ducatorum viginti quinque monetæ hujus Regni, & non sunt satis ad ejus vitæ sustentationem, & ad ecclesiastici status decorem. Hujusmodi paupertatem ad extremum gradum attollunt Administratores. Ac de necessario tandem Oratoris ministerio juratum testimonium perhibent Parochus, & Capellani in hæc verba: *Nella cennata matrice Chiesa vi è precisa necessità de Preti per esser scarso il numero de sudetti, e di quei che vi sono, dodici sono inabili per l' età molto avanzata, non potendo per le continue indisposizioni amministrare i SS̃mi Sagramenti, quando la popolazione della predetta Terra giunge al numero di sei mila Anime in circa.* His addi posset, quod a patrato homicidio, in quo tamen, Episcopo teste, *culpa non defuit*, septemdecim lapsi sunt anni.

Dubium est: *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

Attentis peculiaribus circumstantiis, recedendum a decisis.

NULLIUS SUBLACEN. REDUCTIONIS ONERUM. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Heredem scripsit anno 1749. Angelica Marina in usufructu Franciscum Tomasetti ejus Virum; eoque decedente, vel ad secundas nuptias transeunte, universa assignavit bona in dotem canonicatus, quem erigi jussit in Collegiata Ecclesia S. Andreæ Apostoli Sublaci cum onere chori, hebdomadalium Missarum trium ad Altare majus, celebrationis festi S. Vincentii Ferrerii cum harmonico cantu, aliarumque in singulos annos Missarum duodecim ad privilegiatum Altare S. Benedicti. Purificato hujusce erectionis casu, eaque nuper expleta, animadversum est, bonorum medietatem, ex anterioribus tabulis Josephi Marina Fundatricis patrui, ad proximiores spectare Familiæ, ob nullos ab ea relictos filios. Valde idcirco imminutus est canonicalis fundus, vixque in capitali consistit sc. circiter 800. annui reditus sc. 49., ex quibus, detractis

oneribus, & expensis, scuta supersunt Canonico 11. 40. Sacerdos igitur Joannes Baptista Ferrari, qui canonicatum primus obtinet, EE. Vestras rogat pro reductione onerum. Exposita opportunis documentis confirmat Vicarius Generalis Sublacensis, omniaque ad rem comprobandam, explevisse refert *cum consensu & intelligentia Josephi Catani, & Joannis Galli interesse habentium, quia post Familiam Ferrari habent jus nominandi ad dictum canonicatum*. A ferendo tamen abstinet suffragio.

Licet ignotum Fundatrici affirmet Vicarius testamentum Patrui, de hoc tamen dubitari posset ex possessis illius vigore hereditariis bonis. Posita autem scientia substitutionis proximiorum, ex bonis dumtaxat liberis volita dicenda esset canonicatus erectio, nec facile per reductionem onerum frustrari debere videretur, quod Fundatrix disposuit; *Can. ultima voluntas* 13. *quæst.* 2., & *leg. Omnium* 19. *Cod. de testam.* Scuta dumtaxat 11. 40. supersunt Canonico pro chorali servitio, cujus ceteroquin qualitas ignoratur; sed Missarum eleemosynas ad rationem lucratur obolorum 20., & oneribus fortasse respondens habet stipendium, quo ab accepto canonicatu contentus fuit. In similibus porro terminis denegata fuit onerum reductio *in Ostunen. Reductionis Missarum* 4. *Decembris* 1734., & *in Derthonen. Absolutionis, & Reductionis Missarum* 7. *Julii* 1787. *ad I. Dubium*.

De bonis omnibus contra, quæ possidebat, cogitasse censetur Fundatrix in constituendo canonicatus fundo, dum illius erectionem ex universa demandavit hereditate, & canonicalem constituere voluisse præbendam aut parem, aut paullo inferiorem aliis Collegiatæ, quæ liberi sunt reditus scutorum 70., *Piton. discept. Eccl.* 25. *num.* 15. Atque hinc ob imminutum ex incognita forsan Patrui dispositione excogitatum fundum, locus esse posset reductioni onerum, *Monacell. form. legal.* 19. *tit.* 20. *part.* 1. *num.* 25., & *Sacra Congregatio in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783. Advertere insuper dignentur Emi Patres ad tenuitatem liberi reditus præbendæ Marina, suaque æquitate deliberare, num par sit chorali servitio, & honestæ exhibitioni Canonici, de qua etiam habita fuit ratio *in Laquedonien.* 20. *Septembris* 1788.

Si

Si aliquod Orator mereri videbitur levamen, deliberandum erit de modo. Potius sane alia reduci solent onera, quam Missæ., *Fagnan. in cap. Ex parte, num.*34. *de Costit.*, *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ult.* §.23., *& Sac. Congregatio in Derthonen. Reductionis Onerum* 19. *Maii* 1787. Maxime ubi ab his incipit dispositio, ut *in Regien. Reductionis Servitii Chori* 17. *Aprilis* 1776. In fundatione autem canonitus Marina initium ducitur a triplici hebdomadali Missa.

Respondere igitur placeat.

An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

NULLIUS S. BENIGNI IRREGULARITATIS. Lapidibus post cœnam diei 25. Augusti 1783. a nonnullis Montanarii Oppidanis appetitus, gladium Sacerdos Michael Taraglio è proxima sua sumpsit domo, ut contumeliam vindicaret, sive juxta extrajudiciales Testes, ut redeuntem tueretur Fratrem; sed inter densas noctis tenebras Joannem Bonaudi ejus amicum, qui cum ipso cœnaverat, incaute transfodit, Missamque deinde ad celandum homicidium semel celebravit. Re autem cognita, damnatus in contumaciam fuit per annos quinque cum dimidio ad carcerem, Partemque componendam, & Fiscum; ac duplici ex capite patrati homicidii, & celebratæ Missæ declaratus est irregularis. Nondum transacto tempore pœnæ, quam ex indulgentia Abbatis commendatarii S. Benigni propriæ explebat domi, SSmo supplicavit pro absolutione ab irregularitate, precibusque ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, prodiit die 24. Martii 1787. rescriptum: *Supplicet post expletam pœnam carceris*. *Sess.*14. *cap.* 7. *de Reform.*

Sententia in omnibus adimpleta, iterum modo gratiam flagitat, eique Abbas favet impense. Licet namque omnem propriæ defensionis rationem excludat, homici-

cidium tamen tribuit repentinæ Oratoris iræ, ejusque igneæ naturæ, & vino, *cui forte ratione excepti hospitis amici plus solito indulserat*. Parochi testimonio refert, *ab homicidio nihil amplius commisisse, quod Populo fuerit scandalo. Dies immo suos in abjectione transigit, Missarum stipendio destitutus, quod ejus inopiam valde levaret, devitans consortium hominum adeout bonus quisque ejus calamitati compatiatur, eumque sublevari cupiat, & verendum sit, ne ex nimia dejectione mens ipsa longiori procrastinatione lædatur*. Atque hinc censet, *opportunum fore, ut præscripta bimestri saltem præparatione in Domo religiosa, aut sub speciali proprii Parochi directione, vel per tempus, & juxta modum ab EE.VV. præscribendum, gratiam dispensationis ab irregularitate, atque ab inflictis ut supra pœnis consequatur*.

Duplici quidem ratione, ut declaravit Abbas, irregularis est Orator, quia hominem, licet unum pro alio, occidit, *cap. Clericis, ne Cleric. vel Monach.*, & *cap. Suscepimus* 10. *de homicid. volunt.*, & quia post commissum homicidium celebravit, *cap.* 1. §. *Cavent, de sent. excommun. in sexto*, eique ad dispensationem obest, quod omnis abfuit propriæ defensionis ratio, aususque est post patratum crimen celebrare. Facile enim permitti non debet, ut humano sanguine per voluntarium homicidium pollutus, Altari inserviat, *cap. Henricus, de Cleric. pugnan. in duell.* Vestram contra excitare possent indulgentiam diuturna privati carceris pœna, emendatio vitæ, Partis & Fisci satisfactio, miserrima Oratoris conditio, & abjectio, Montanariensis Popoli votum, Abbatis favor. In similibus porro terminis, ne jam promotus mendicare cogeretur, contra *cap. 2. de Cleric. pugnan. in duell.*, pro dispensatione ab irregularitate rescripsit Sacra Congretatio *in Sabinen. Irregularitatis* 27. *Junii elapsi anni* 1789.

Ad Vos igitur, Emi Patres, pertinet decernere.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Die

Die Sabbathi 5. Junii 1790. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

NULLIUS SUBLACEN. REDUCTIONIS ONERUM. *Sess.25. cap.4. de Reform.*
An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.

Negative.

NULLIUS S. BENIGNI IRREGULARITATIS. *Sess.14. cap.7. de Reform.*
An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Negative.

VELITERNA SUSPENSIONIS MISSARUM. Adeo Parochialis SS. Salvatoris Velitrarum Ecclesia fatiscit, ut alibi parochiales agantur functiones. Insignis, peritorum judicio, ad eam reparandam requiritur summa scutorum 2420., nec pares sunt illius reditus sumptui. EE. igitur Vestris supplicarunt ipsius Officia- *Sess.21. cap.7. et sess.22.cap.6 de Reform.*

ciales pro suspensione onerum, quæ Sacrario, Archipresbytero, Beneficiatis, & Capellanis incumbunt. Ad annuas Sacrarium tenetur Missas 458., expositionem SS. Sacramenti tertia quaque cujuslibet mensis Dominica cum annuo sumptu scutorum tresdecim, aliaque onera, pro quibus omnibus scuta impendit 135. 01., eique ex annuo reditu scutorum 189. 47 ½ scuta supersunt 54. 46 ½ Hæc ex rescripto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium in extinctionem erogantur alieni æris contracti anno 1776. in summa scutorum 800. ad campanariam reparandam turrim, quod in scutis adhuc viget circiter 500. Ex communi SS. Salvatoris massa celebrandæ sunt Missæ 227., quæ exitum cum ceteris oneribus constituunt scutorum 45. 05. His ex reditu scutorum 196. detractis, supersunt scuta 150. 95., quæ dividuntur inter Archipresbyterum, binosque ejus Coadjutores pro rata scutorum 43. 12. 4. pro quolibet, & Clericum beneficiatum pro rata scutorum 21. 56. 2. Suo Archipresbyter nomine celebrare tenetur Sacra 192., ac redundantem habet reditum scutorum 25. 70. Aliique novem tandem Beneficiati, & Capellani, quorum reditus scuta attingunt 1062. 15., alias celebrant Missas 909., liberamque consequuntur summam scutorum 971. 25. Missæ igitur in unum sunt 1786., liberi omnium reditus, non comprehenso Sacrario, cui ex annuis scutis 54. 46 ½, dimittendum adhuc superest debitum scutorum 500., ad scuta ascendunt 1147. 90., quorum maximam partem scutorum fere 800. lucratur Collegium S. Bonaventuræ Urbis ex capellania Nativitatis B. M. Virginis.

Ad EE. Vestras retulit primo Emus Veliternus Episcopus, *annuos Ecclesiæ reditus impares omnino esse ad hujusmodi expensam* (reparationis) *subeundam*: parum conferre posse Parochum, qui congruam tantum obtinet, nec multo amplius Beneficiatos, quorum plerique tenues habent fructus. *Præter enim Collegium S. Bonaventuræ, quod capellania fruitur satis pingui sub titulo Nativitatis Bmæ Virginis, reliquorum omnium beneficia tenuissimum afferunt reditum*: ultro tamen eos scuta offerre quatuor pro quolibet redituum centenario, *quæ simul collecta, annua dabunt scuta* 44. 65. Ad majorem hinc advertens necessitatem, ei consuli posse censuit, *si onera Missarum, quæ*

tam

tam Præbendatis, quam ipsi Ecclesiæ incumbunt, pro medietate tantum suspenderentur. Ita enim haberetur summa scutorum 89. 20., ac si expositiones suspenderentur SS. Sacramenti, *quæ aliorum scutorum* 13. *emolumentum afferret, ad quæ adjunctis scutis* 44. 65. *solvendis à Beneficiatis, conflaretur annua summa scutorum* 146. 85., *ex qua & fructuum pensio* (creandi census scutorum 2400.) *exsolvi posset, & aliquid etiam deponi ad extinguendam sortem. Dimisso autem censu scutorum* 800., *ut supra creato ad extruendam sacram turrim, tunc accederent alia scuta* 53. 60. (verius 54. 46 $\frac{1}{2}$) *ex reditibus ipsius Ecclesiæ; quibus omnibus simul collectis conficeretur summa scut.* 200. 45., *& tunc largior summa deponi quotannis posset ad sortis extinctionem.*

Neque spem ullam reponendam dixit in contributionibus Parochianorum ad formam *Sac. Conc. Trident. sess.* 21. *cap.* 7. *de reform.*, nam *præterquamquod id in Civitate Veliterna præter consuetudinem fieret, animadvertendum etiam est, maximam familiarum partem, quæ ejusmodi Parochia continentur, infimi ordinis esse, & paupertate pressas; ita ut nec operæ pretium esset propositam contributionem indicere, & turbæ potius, ac querimoniæ, quam ullum emolumentum esset expectandum.* Reque vera quum Parochianos taxare decrevisset, *vix hac de re rumor increbuit, statim clamores adeo ingentes facti sunt*, ut consilium dimiserit. Iterumque propterea in secunda informatione suspensionem urget Missarum pro medietate.

Ubi non suppetunt Ecclesiarum vires, ad illius reparationem præ omnibus tenentur, qui *fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, ut Tridentina* statuit *Synodus in cit. sess.* 21. *cap.* 7. *de reform.* Quid Sacrarium Ecclesiæ SS. Salvatoris valeat, notatum est in facto. Detractis enim oneribus, annuoque deposito in causam antiqui census, vix Em̄i Episcopi testimonio *aliquid supererit, quod in ipsius Ecclesiæ restaurationem erogari possit.* Ad opus ergo concurrere debere videntur Beneficiati, & Capellani, qui fructus ex dicta Ecclesia percipiunt, ut Conciliarem exornantes sanctionem, firmant *Barbos. in Conc. Trid. pag.* 148. *num.* 5., *& Amost. de caus. piis lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 26. *tom.* 2.

Congrua eorum taxa vel quarta esse deberet fructuum pars, vel etiam tertia, juxta *Barbos. loc. cit. num.* 9.,

& Amost. in dict. cap. 6. lib. 5. num.29. Et in hoc supposito sufficiens haberi posset summa pro fructibus imponendi census, & assueto deposito in extinctionem sortis. Quarta pars scutorum 971. 25., quæ demptis oneribus, Capellanis, & Beneficiatis supersunt, scutorum est 242. 81., tertia scutorum 323. 74. Pro fructibus autem census scutorum 2420. annua forsan ad rationem scutorum quatuor in singula centum sufficerent scuta 96. 80., ideoque non tenuis in extinctionem sortis superesset summa. Deliberandum tamen esset, num præter Capellanos & Beneficiatos, taxari etiam deberent Parochus, ejusque Coadjutores, & Clericus beneficiatus super scutis 176. 65., ipsis ex massa, & præbenda pertinentibus. Hi autem vix habent congruam. Primus enim annua percipit scuta 68. 82. 4., Coadjutores 43. 12. 4., ultimus 21. 56. 2. Ex onere curæ, & residentiæ negativam tuetur *Barbos. in Concil. Trident. cit. pag.* 148. *num.*6.

Notandum contra, plerosque Beneficiatos, & Capellanos tenuissimum ex suis beneficiis percipere fructum. Si ultra oblatam ergo summam scutorum quatuor in singula centum taxarentur, non parum eorum sustentationi detraheretur. In durioribus porro terminis erogari permisit Sac. hæc Congregatio in reparationem domus Foroliviensis Capituli superextantes reditus hereditatis Ugolini, in Missas, & Anniversaria destinatos, ut videre est in *Forolivien.* 13. *Junii elapsi anni* 1789. *ad II. Dub.* Æque tamen ponderandum, alteram ex Capellaniis insignem attingere reditum scutorum 800., eamque cum levi annuo onere Missarum 156. a Collegio S. Bonaventuræ Urbis possideri. Una profecto ad rem sufficeret ejus taxatio; nam ex quarta liberi reditus parte scuta fere haberentur 200., ex tertia paullo infra 266., neque defunctorum Animæ volitis privarentur suffragiis, contra dispositionem *Text. in can. ultima voluntas* 13. *qu.*2., *& in leg. omnium* 19. *Cod. de testam.*

Quæritur ergo.

An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Dilata, & expectetur relatio Eminentissimi Episcopi super petitione Collegii S. Bonaventuræ.

CA-

CALARITANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Calaritani Archiepiscopi decessor Bernardus de Carignena & Ipensa reliquit anno 1721. dotale subsidium scutorum centum, illudque distribui quotannis mandavit per Calaritanum Capitulum sub lege referendi tres pauperes puellas ad unius sortitionem in album. Voluit tamen, *ut si una, vel plures ex puellis uti supra in album relatis monasterium ingredi velit, ceteris omnibus præferatur, ipsique dentur memorata centum scutata, non secus ac si sortitione facta, præferenda fuisset*. Ab anno igitur 1733., quo primum conferri cepit subsidium, ad annum 1785. prælatæ jugiter fuerunt puellæ in Domino nubentes, omissa penitus, vel *ad meram formalitatem* facta sortitione. Idque immo per modum legis declaratum fuit anno 1738. per Capitularem resolutionem. Quum enim ex septem puellis, quæ dotem postulabant, duæ monasticum elegissent statum, actum hac de re fuit in Capitulo, & Archiepiscopo teste, *perspectis fundationis tabulis, habitisque duorum Jurisperitorum consultationibus, deliberatum est, posteriores tantum in album esse referendas ea lege, ut illa, cui sors obtigisset, intra biennium religiosa vota emittere teneretur, dote interim depositi loco servata*. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Novissimis autem temporibus inter se contendere ceperunt Capitulares de prælatione nubentium in Domino. Alii eam affirmabant absolutam, ita ut iis concurrentibus nec confici deberet album, vel si fieret, præ aliis in illo describendę essent. Alii respectivam ad tres puellas inter concurrentes delectas, & in album relatas; quasi ex omnibus concurrentibus eligere posset Capitulum nubentes in sæculo, penitusque negligere in conficiendo albo nubentes in Domino. Hac tamen non obstante opinionum discrepantia, posteriorem Capitulo favorabilem sententiam, veluti in re dubia, sequuti sunt Capitulares omnes, & facultatem ab EE. Vestris postulant referendi ex rationabili causa in album nubentes dumtaxat in sæculo. Rationes Archiepiscopus affert, quibus vicissim Oratores contendebant, impenseque instantiæ adversatur. Ideoque satis fortasse est ejus informatio, ut de recta Carignenæ dispositionis intelligentia EE. Vestræ decernant.

Qui pro absoluta erant prælatione, nitebantur *verisimili admodum interpretationi voluntatis a Fundatore declaratæ. Si namque voluit monachandas puellas minime exponere, quoties una ex ipsis in album relata fuerit cum duabus aliis nupturis puellis, sed statim, nulla sortitione facta, subsidio dotali fore donandas, eo magis voluisse credendus est illas præferre nupturis puellis, quæ nondum in album fuerint relatæ; quoniam certum est, jus istis competens ad dotem consequendam, fortius evadere ex quo in album relatæ sunt.* In ultimis profecto dispositionibus verisimilis potius spectanda est disponentium voluntas, quam simplex verborum cortex, quum plus sæpe voluisse appareat, quam verbis expresserint, *Text. in cap. propterea 8. de verb. significat., in leg. conditionibus ff. de condit., & demonstr., Castil. controv. jur. lib. 5. cap. 66. num. 16. & 20., Polit. de Fideicom. dissert. 34. num. 8. tom. 1.*

Aliorum vero sententia literali inhærebat Fundatoris dispositioni, *qua ipse Canonicis mandat, ut tres deligant ex postulantibus puellis, easque in album referant, sortes demum in eas mittant; deinde vero ait, quod* = si ex puellis jam in album relatis una, vel plures monasterium ingredi velit, hæc ceteris omnibus præponatur, ipsique dentur memorata centum scutata, non secus ac si, sortitione facta, fuisset præferenda = *Juxta dispositionem ergo Fundatoris album conficiendum tam nupturas, quam monachandas puellas æque poterit continere. Cum itaque albi confectio absolute a Testatore præscripta inveniatur, ab ea nequeunt Capitulares abstinere ex quo aliqua ex postulantibus puellis religionem ingredi vult. Porro inutile prorsus foret album istiusmodi, quoties in ipsius confectione libertas Capitularibus adimeretur eligendi nupturas puellas præ aliis religioni addicendis, sed istæ solum forent præferendæ, ac statim dotali subsidio donandæ, quin ullæ sortitioni fierent obnoxiæ. Ex hoc enim sequeretur, nupturas puellas dotis ejusmodi spem omnem abiicere debere, quoties illam monachandæ competerent. Dum voluit igitur Archiepiscopus Fundator, ut ex omnibus simul competentibus puellis, sive monachandis, sive nupturis tres Capitulum deligeret, easdem in album referret, ac demum sortiretur; voluit tamen illam ex tribus præferri, quæ religionem vellet amplecti, ita ut nul-*

nulla adhibita sortitione, dos eidem daretur, nullam autem prælationem monachandæ concessit ante album confectum, neque ut ejus gratia ab albi confectione supersederetur; ergo Capitulum in tribus deligendis puellis nulla fundationis lege monachandas ceteris præferre cogitur.

Hæc ex ore Archiepiscopi fuerunt rationes, ex quibus in diversam Capitularis abierant sententiam. Hæc vero in opinionum discrepantia Archiepiscopus: *A recepta hactenus consuetudine recedendum non esse censerem, ut in competitione dotis, de qua agitur, facta a puellis, quarum una sit monachanda, reliquæ cornali matrimonio jungendæ, nullum omnino album conficiatur, sed dos illico monachandæ præ aliis assignetur. Est enim apud me maximi ponderis hujusmodi consuetudo, eo primum tempore inducta, quo in vivis erant Capitulares, qui Fundatorem, paucis ante annis demortuum, non modo cognoverant, sed etiam familiariter cum ipso erant conversati, adeoque ipsius mentem non poterant ignorare (Caren. resol. 16. num. 3., Rocc. disput. 193. num.8. & seq., Pacion. de contr. patron. allegat. 100. num. 614.) præsertim cum consuetudo ipsa continenter deinceps propagata fuerit, solemni Capituli decreto probata, & spatio quinquaginta annorum, & amplius religiose observata.*

Moveor præterea ipsa fundatoris dispositione. Si namque maritandis puellis (quocumque demum favore dignis) etiam cum in album fuerint relatæ, præferri voluit monachandas, eo magis existimandum est, istas maritandis nondum in album relatis voluisse antelatas. Moveor demum locutione ipsa, qua Fundator in memorata prælatione concedenda usus est, parum adeo accurata, ut pro puellis in album relatis intelligi rectius debeant puellæ omnes in postulantium elencho descriptæ. Neque id mirum; nam & parum exacte loquitur Fundator, cum in eodem contextu ait, quod = si una, vel plures monasterium ingredi velit, hæc ceteris omnibus præponatur, ipsique dentur memorata centum scutata, non secus, ac si sortitione facta, fuissent præferendæ = *Videtur enim hæc locutio sortitionem excludere, quam tamen cum plures fuerint monachandæ, nemo non videt, esse omnino adhibendum, ut tandem innotescat, cui nam ex petentibus dos sit adjudicanda.* Eoque magis

ser-

servandam censet consuetudinem, *ut aditus omnis partium studiis præcludatur, nullisque omnino detur gratiæ, præposterisque commendationibus locus, qui quidem facile pateat, quoties arbitrio cujusque ex Capitularibus prælatio permittatur; ac demum attento perexiguo numero dotalium subsidiorum pro monachandis puellis, in hac Diœcesi existentium, in qua e converso plura inveniuntur hujusmodi subsidia pro maritandis tantum instituta, ad quæ monachandæ nequeunt aspirare.* In quolibet autem dubio pro puellis in Domino nubentibus pronunciandum docet *Petr. ad Const. solet annuere, Innocentii IV. sect. 2. num. 21.*

Deliberare itaque dignentur EE. Vestræ.

An, & quomodo sit locus prælationi puellarum nubentium in Domino in casu &c.

Affirmative juxta votum Archiepiscopi.

Sess. 24. cap. 11. de Reform.

ASCULANA. Antonius, Joseph, aliique de Forlinis vendiderunt anno 1747. Josepho Capriotti prædium valoris scutorum 250. in vocabulo *Ciafone* pro scutis dumtaxat 75., eademque die instituit emptor ex illo pium legatum Missarum triginta, ac veluti in compensationem majoris pretii, activum & passivum detulit juspatronatus alteri ex venditoribus Nicolao, ejusque descendentibus. His vero per biennium celebrationem negligentibus Capellanum substituit ruralis Ecclesiæ S. Venantii; eoque demum non acceptante, familiam suam de Capriottis. Tanquam domini igitur continuarunt Forlinii in possessione prædii, adeoque illius culturæ incubuerunt, ut valorem modo attingat scutorum 510. 60.

Septuagenariam agens ætatem, gravibusque pressus miseriis, facultatem implorat Antonius Forlini alienandi prædium illud Capellano Curato ruralis Ecclesiæ Sancti Bassi ad præsentem æstimatianem. Onus successorum etiam nomine assumeret Curatus celebrandi quotannis Missas quadraginta, quo pacto consensum alienationi præstant heredes Josephi Capriotti, ipsumque ad id obli-

obligaret prædium . Scuta ex pretio retineret 125. in compensationem oneris Missarum , & vinculi ; ac reliqua solveret scuta 385. per alienationem prædiorum sex Paræciæ valoris scutorum 285. 07. ; & quatenus opus , septimi etiam inæstimati , quæ inter se dissita sunt , tenuemque reddunt fructum ; si ita EE. Vestris placeat .

Nedum , ut notatum est , in hujusmodi alienationem consentiunt heredes Caprlotti , sed Rector etiam Ecclesiæ S. Venantii , *per quanto a me può appartenere , senza pregiudizio de' miei successori* ; reinque in omnibus quoad venditorem , & emptorem Asculanus probat Episcopus . Prædii melioramenta , gravem paupertatem , alienum æs , multamque Oratoris memorat familiam;atque ex eo potissimum æquam censet gratiam, quod *non derogaretur voluntati Fundatoris quoad celebrationem Missarum ; quin immò istæ augerentur in numero decem , lites evitarentur , quæ promoveri possent inter ceteros vocatos ad patronatum , & Oratorem , qui læsivam contendit venditionem bonorum factam Fundatori pretio scutorum* 75. Quoad Curatum verò observat , quòd *rem utilem gereret bona prædicta emendo . Alienaret enim ipse sex prædiola magis dissita , & bona acquireret in centro statutæ residentiæ cum domo eidem necessaria pro habitatione* . Detrahenda tamen censet ex pretio scut.150. pro Missarum onere , & vinculo prædii ; ac EE. Patribus decernendum relinquit , *an elargienda sit facultas Capellano Curato Sancti Bassi acceptandi onus Missarum , & alienandi bona , prævia edictorum affixione ; & in casu , quo pretium retrahendum non sufficeret pro emptione bonorum capellaniæ , supplendi cum alienatione alterius terreni minoris reditus , & dissiti* .

Alienare nequit Patronus fundum capellaniæ , aut pii legati , in quo dominium non habet , *Lambertin. de jurepatr. par.*1. *lib.*1. *quæst.*3. *art.*17. *num.*1. , *Piton. de contr. patron. allegat.*54. *sub num.*47. , nec facile ei tribuitur hujusmodi facultas ex paupertate , cui succurri solet ex fructibus , secundum *Concil. Toletan.IV. can.*38. relat. *in can. quicumque* 16. *quæst.*7. , quem *Clemens III.* renovavit *in cap. nobis , de jurepatr.* Timor litis ob læsivam venditionem anni 1747. , justa in nostro themate videri posset indulgendi causa , ut *in Fanen. Permutationis* 16. *Junii* 1787. , & *in Ravennaten.*

ten. Legati 25. Aprilis elapsi anni 1789. ad I. Dub., sed ponderare dignentur Emi Patres, num læsus dici valeat Orator, qui venditum retinuit prædium tanquam patronus pii legati cum levi onere Missarum triginta, quæ accepti pretii fructus ad manualem æquant.

Notandum contra, quod alienatio prædii *Ciafone* pauperi prodesset Oratori, pio legato non noceret. Suæ ille provideret indigentiæ, & reintegrationem consequeretur melioramentorum, juxta sententiam *Garziæ de expens. & meliorat. cap. 7. num. 5.* Idem vero pii legati ex proposito contractu esset fundus, & augeretur Missarum numerus. Consensus accedit Rectoris Ecclesiæ S. Venantii, & hæredum Capriotti, qui in casibus a Fundatore designatis jus habent ad patronatum. Consentit quidem Rector *senza pregiudizio de miei successori*, quorum in casu purificatæ substitutionis integrum habere interesset prædium; sed a Vestra decernendum erit prudentia, utrum remotum successorum jus, ejusque cauta reservatio impedire valeat gratiam, quæ pium non lædit legatum, seu potius tanquam rationabilis suppleri debeat illorum consensus, per *Text. in cap. Ad audientiam in fin. de Eccles. ædificand.*

Quatenus autem EE. Vestræ indulgere velint Oratori pro venditione prædii ad formam conventionis initæ cum Rectore Ecclesiæ S. Bassi, deliberandum erit de modo, quo illud Rector emere proponit. Scuta 125., quæ retinere vellet ex pretio pro onere Missarum, & vinculo prædii, sive etiam 150. juxta votum Episcopi, nec paria fortasse essent oneri. Hujusce enim summæ fructus vix ad taxam legalem scutorum quatuor annua attingeret scuta sex: eleemosyna vero perpetui legati Missarum quadraginta summam constitueret scutorum circiter septem ad taxam perpetuæ. Ad reliquum præterea solvendum pretium distrahi deberent prædiola Paræciæ, nullo, quantum apparet, Missarum onere gravata, prædiumque ei cum hoc acquireretur vinculo.

Terrulæ vero, quas huc illuc possidet Parochia, nec facile locari, nec eum reddere valent fructum, qui ex unico consequi poterit prædio; earumque idcirco alienatio ad hoc acquirendum permittitur *in cap. Cum Apostolica 7., de his, quæ fiunt a Prælat. sin. consens. Capitul.*, & *in cap. Super eo*, §. *fin. de reb. Eccles. non alien.*, *Pignatell. consult. 95. num. 35. tom. 6.*, *Schmier. jurispr. canon. civil. lib. 3. tract. 1. part. 2. cap. 4.*

cap. 4. *sect.* 3. §. 1. , *Schmalzgrueber cons.* 91. §. 14. Prædium insuper *Ciafone* situm est *in centro residentiæ* [Curati S. Bassi] *cum domo eidem necessaria pro habitatione* ; maximumque propterea hodierno, & futuris Curatis afferret commodum . Valor terrularum sex, quarum venditionem proponit Curatus, satis quidem non esset ad reliquum Forlinio solvendum illius pretium, sed juxta Episcopum suppleri posset cum alienatione alterius terreni minoris reditus, & dissiti .

Dubium est .

An , & quomodo sit locus emptioni venditioni prædii Ciafone *Legati pii Capriotti in casu &c.*

Iterum proponatur .

ROMANA . Mense martio anni 1788. legavit Maria de Rubeis Sodalitio SS. Angelorum Custodum Urbis, cujus in Ecclesia sepulta est, scuta biscentum *coll' obbligo perpetuo di far celebrare in suffragio dell' anima mia , e de miei Parenti , ed Affini num.* 40. *Messe lette in ciascun anno alla ragione di bajocchi quindici per ciascuna Messa , compresi gli utensilj* . Legatum acceperunt Sodales sub conditione impetrandi Missarum reductionem ad taxam perpetuæ , gratiamque inter Summaria precum ab EE. Vestris impetrarunt die 18. Julii elapsi anni 1789. arbitrio Regiæ Celsitudinis Emi Protectoris , qui illas ex pandito voto reduxit *ad annuas viginti sex , concessa eleemosyna obolorum viginti pro qualibet Missa , juxta taxam Tribunalis Emi Vicarii Urbis* . Statim vero testamentarius Legantis Exequutor Supremum adiit Solium , ut ad integram celebrationem , vel legati renunciationem Sodales compelleret . *Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

Precibus ad Sacram hanc Congregationem remissis , priorem Celsissimus , atque Emus Protector confirmavit sententiam ,, addiditque , quod *in manu non est Exequutoris testamentarii ad aliam Ecclesiam legatum*

transferre . *Archiconfraternitas vero sine reductione Missarum , ab EE. VV. jam obtenta , illud acceptare , non valet ; nec vero potest , si decreta Sacræ istius Congregationis , & praxis Tribunalis Emi Vicarii spectentur , quæ pro legatis perpetuis eleemosynam obolorum 20. præscribunt pro qualibet Missa* . Re autem , *citato Procuratore Archiconfraternitatis* , ad folium ablegata , infrascripta proponuntur dubia .

Quæritur sub primo de modo investiendi legatam summam scutorum biscentum , oculosque Sodales intendunt ad LL. MM. , quæ ad omnes juris effectus pro stabilibus reputantur , *Pacific. de Salvian. inspect.* 3. *cap.* 2. *numer.* 650. , *Card. de Luc. de Regal. disc.* 143. *num.* 2. , *Evangelist. de Loc. Mont. cap.* 16. *num.* 34. . Idoneum enim pro celebratione Missarum non arbitrantur consignativi census investimentum , tum ob periculum evictionis , cum ob incommodum restitutionis sortis , juxta sententiam Sacræ Congregationis *in Fundana* 28. *Februarii* 1654. *lib. Decret.* 19. *pag.* 319. *terg.* , *& in Asculana* 21. *Junii* 1788. *ad* II. *Dubium* .

Alia ex parte notari posset , quod reliquit Testatrix scuta dumtaxat 200. pro Missis 40. cum eleemosyna obolorum 15. , factoque idcirco indicavit , faciendum potius esse illorum investimentum in censibus , quam Locis MM. , quæ annua non redderent scuta sex , quot ad implementum requiruntur legati , Census insuper , si cum Loco fiat pio , vel Communitate , non multum distat a Locis MM. . Æque tuta enim censentur investimenta , addique solet in his præscribendis clausula *in Locis MM. , vel in Censibus cum Locis piis , & Communitatibus* , ut præ cæteris rescripsit Sacra Congregatio *in Camerinen.* 24. *Novembris* 1787. *ad* I. *Dubium.* Facilis quidem est in censibus restitutio sortis ; sed hoc etiam in Locis evenit Montium per extractionem , nec similia in utroque casu desunt investimenta .

De Missarum reductione agitur sub secundo , eamque in Legato nondum exequuto , quale est illud de Rubeis , fieri debere contendunt Sodales ad congruitatem , secundum *Pasqualig. de Sacrific. Miss. quæstion.* 1168. *num.* 5. , ad taxam scilicet obolorum 20. , juxta notissimam praxim Vicariatus Urbis , & *Constitutionem* Nuper *Innocentii XII.* §. 10. *apud Girald. in Jus Pontific. pag.* 896. Talem autem non esse ajunt eleemosynam a Le-

a Legante præscriptam ; quum vix ex investimento scutorum 200. in Locis MM. annua haberentur scuta 5. 25. , quæ ad taxam perpetuæ Missis respondent 26. Rem postremo in eadem reductionis necessitate versari autumant , si ex voto Exequutoris testamentarii ad aliam Ecclesiam trasferretur legatum ; nam reliqua etiam Loca pia Urbis perpetuum suscipere nequeunt Missarum onus absque expressa Emi Vicarii licentia , prohibente *Innocentio XII. in citat. Constitut.* Nuper §. 8. , & hæc concedi soleat juxta praxim ejus Tribunalis .

Voluntas contra urget Testatricis , quæ Missarum eleemosynam in obolis statuit quindecim . Quoad fieri enim potest servanda est ex *can. ultima voluntas* 13. *quæst.* 2. , *& leg. omnium* 19. *Cod. de Testam.* . Fortasse autem permissurus esset Emus Vicarius cum hac eleemosyna celebrationem alteri Ecclesiæ , quę Missis indigeat . Quatenus insuper EE. Vestræ faciendum censeant investimentum in consignativo censu , annua ex illo haberi possent scuta octo , vel paulo infra , quæ onus æquarent Missarum 40. ad urbanam taxam .

Quæritur ergo.

I. *An , & quomodo fieri debeat investimentum in casu &c.*

II. *An sit locus reductioni ad taxam perpetuæ in casu &c.*

Ad I. Affirmativè in censibus cum Locis Piis , & Communitatibus Status Ecclesiastici .

Ad II. Affirmativè ad taxam perpetuæ .

HORTANA . Præter simplices Missas , & perpetua Anniversaria , quibus singuli Hortanæ Cathedralis Canonici gravantur , conventuales tanquam universi per turnum , & adventitia alia celebrant Anniversaria. Eorum quatuor , qui ex jubilationis indulto quotidianas obtinent distributiones , Felix nempe Mariani , Hermenegildus Squarti , Eutitius Valentini , & Jo. Baptista Fabiani participare etiam consueverunt scuta quinque , quæ singuli nondum Sacerdotes Canonici , pro Missis præsertim conventualibus solvunt , & ad turnum particularium Anniversariorum admitti . In id *Ses. 24. cap. 12. de Reform.*

EE. Vestrarum oraculum reliqui postularunt Canonici, quibus per alias preces pro observatione soliti restiterunt Jubilati.

Hortanus Episcopus retulit, quod hactenus Jubilati *ad participationem admitti consueverunt*, quodque *enunciata scuta quinque non in massam capitularem inferuntur, ut in distributiones cedant quotidianas, verum solummodo pro Missarum conventualium celebratione assignata videntur, ideoque inter Canonicos easdem per turnum celebrantes proportionaliter dividenda*. Sua coram ipso in transmissis scriptis deduxerunt jura Canonici jubilati, ceterique Capitulares, favetque Episcopus novissimis, *quia cum primi ex jubilationis privilegio ab onere præfatas Missas conventuales, & alia Anniversaria prorsus celebrandi sint immunes, æquum, ac rationi consentaneum videtur, eos locum non habere quoad prætensam participationem*.

Observantiam urgent Jubilati, ex qua ad emolumentum Missarum conventualium, & Anniversariorum turnum admissi hactenus fuerunt. Consuetudine enim induci potest, ut qui ex justa causa, vel Apostolico abest indulto, distributiones omnes, aliaque Ecclesiæ emolumenta percipiat, *Monet. de distribut. quotid. part.*2. *quæst.*12. *num.* 42., & 50.. Eoque magis servandam censent hujusmodi consuetudinem, quia inducta est in declaratianem indulti jubilationis, parumque reliquis Canonicis detrahit participatio tenuissimæ summæ ex Missis conventualibus, & Anniversariorum turno. Addi etiam posset, quod abessendi gaudent indulto non studiorum, vel utilitatis Ecclesiæ causa in viridi ætate, sed ob quadragenarium servitium in senectute, quodque idcirco admodum diuturna non esset ipsorum participatio. Initium sane habuit jubilationis indultum in remunerationem longævi servitii, ut *in Constantien. Jubilationis* 4. *Maii* 1637. *lib. Decr.* 27. *pag.*146., ideoque in odium retorqueretur in nostro themate beneficium, nisi quatuor Canonici jubilati de emolumentis participarent Missæ Conventualis, & admitterentur ad turnum Anniversariorum, ad quem ceteroquin, præcisive a consuetudine, eis redire licet, si celebrationis onus subire velint, *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.*2. *addit.*3. *ad tit.*6. *tom.*2., & *Sac. Congregatio in Romana* 10. *Maii* 1692. *lib.*42. *pag.*275. *terg.*

Qui

Qui eis contradicunt, ponderandum rogant, neque contributionem scutorum quinque, neque eventualium Anniversariorum eleemosynam in quotidianas unquam distributiones cessisse; ideoque ad illorum participationem admittendos non esse indultarios, ne compendium ex Missis conventualibus, & Anniversariis, a quorum onere immunes sunt, consequantur, contra regulam *Textus in leg. secundum naturam, ff. de reg. jur.* . Maxime, quia plura alia Capitulares absque stipendio celebrant Anniversaria in Ecclesiis S. Mariæ *de Raccomandati*, & *S. Crucis*, negliguntque indultarii inutilem illorum turnum.

Aliæ profecto sunt distributiones quotidianæ, quæ certam perpetuamque habent causam, aliæ eventuales, & incertæ. De prioribus dumtaxat intelligendum esse jubilationis indultum in generica distributionum concessione, tuetur *Scarfanton. ad Ceccoper. addit.* 3. *num.*9. *tom.*3. *pag.* 17., non item de posterioribus, Anniversariis scilicet, & eventualibus emolumentis, quæ solis interessentibus præstantur, *Passerin. in cap. unic. de Cleric. non sesiden. num.* 6., *Pirhing. in jus Canon. lib.*3. *tit.* 4. *sect.* 2. *num.* 49. *in fin.*, *Piton. discept.*1. *num,* 10., & *Sacra Congregatio in Mantuana Distributionum* 31. *Julii* 1694. *ad I. Dub. lib. Decret.*44. *fol.* 357. Anniversaria enim tanquam pia legata, distincta sunt a præbenda canonicali, *Fagnan. in cap. licet de Præben. num.* 20., *Piton. discept.*1. *num.*35., ac relicta censentur interessentibus, qui actu pro Benefactoribus orant, *Scarfant. ad Ceccoper. lib.* 2. *tit.* 10. *num.* 1. & *seqq.*, *Piton. loc. cit.*

Dubium est.

An Canonici jubilati Cathedralis Hortæ participare debeant de emolumentis Missæ conventualis, & Anniversariorum in casu &c.

Affirmative ad formam consuetudinis.

VER-

Sess.24.cap.12 de Reform.

VERCELLEN. SERVITII CHORI. Ima Vallis, pestiferique circumstantes Lacus infestum reddunt aerem Oppidi *di Biandrate*. Collegiata ibi est Canonicorum septem, qui Missas singulis hebdomadis canunt tres, terque Divinum recitant Officium, exceptis mensibus Julii, Augusti, & Septembris, in quibus Officium diebus tantum agunt festis. Plerique sunt exteri, ac salubriori sub cœlo nati, valdeque idcirco in ea regione afflictantur. EE. igitur Vestris nuper supplicarunt pro dispensatione a choro, & residentia tribus illis nocuis mensibus, sub obligatione adimplendi onera reliquo anni tempore. Exposita Emus confirmat Vercellensis Episcopus, neque ad probandam necessitatem opus esse ait jurata Phisicorum fide, *cum aliunde plenissime omnibus pateat, aerem illic, mensibus præsertim supradictis adeo valetudini esse adversum, ut nonnisi magno cum propriæ salutis periculo residere Canonici queant, quod, & diuturna experientia satis probatum videtur*. Atque hinc indulgeri posse censet petitioni Oratorum, *ea tamen lege, ut Missæ, & Officia, quæ mensibus supplicatis amitterentur, reliquis anni mensibus integre suppleantur ad majorem Dei cultum, ejusque Ecclesiæ decorem, & ad hujusmodi munerum adimplementum; nec non a Capitulo provideatur pro Missa diebus festis, cum in Canonicorum absentia non desint Vice-Parochus, Capellanus, atque Regulares, quorum in eodem Oppido adest Conventus, qui Animarum ibi degentium Curæ, & saluti optime consulant*.

Infelicissima semper fuit Oppidi positio, eademque incolis mala, neque ullo hactenus tempore servitium Ecclesiæ Canonici intermiserunt. Haud facile ergo immutandum videretur, quod ab ipsa forsan Collegiatæ fundatione observatum est. *Tridentina* enim *Synodus sess.24. cap.12. de Reform.* concedit Canonicis trium mensium vacationem a residentia, *salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt*. Maxime, quia Ecclesiæ decorem, Populique commodum minueret trimestris Canonicorum omnium absentia. Ita profecto vel ipsa *Sacri Concilii* indulgentia communiter interpretatur, ut non omnes simul Canonici per trimestre absint, ne omni Ecclesia servitio destituatur, *Fa-*

gnan.

gnan. in cap. licet 35. *de præben. num.* 54., & *seq.*, *Ferrar. verb. Canonicatus art.* 5. *num.* 3., *Piasec. in prax. part.*2. *cap.*2. *num.*2.

Aliter suadere posset insalubritas aeris, ex qua *mensibus præsertim supradictis nonnisi magno cum propriæ salutis periculo residere Canonici queunt*. Inter legitimas enim non residendi causas justa & rationabilis est corporis necessitas, *cap. unic. de Cleric. non residen. in sexto*; *Pirhing. in jus Canon. lib.* 3. *tit.*4. *sect.*1. *de Cleric. non residen. in Eccles.* §. 22., ideoque a choro, & residentia excusantur, *qui hæc efficere nequeunt sine gravi suæ salutis detrimento*, ut inquit *Ceccoper. lucubr. Canon. lib.*2. *num.*150. *in fin.*, ac potissimum *propter aeris intemperiem*, *Pirhing. loc. cit.* §. 23., *Schmier. jurispr. Canon. lib.*3. *tract.* 1. *part.* 2. *cap.* 3. *num.*351.

Haud leve quidem incommodum ferrent incolæ, si Collegiatæ Ecclesiæ servitium per tres continuos menses intermitteretur. At satis consultum eis foret, si *aCapitulo provideatur pro Missa diebus festis*, ut Emus monet Episcopus. Præsertim quia Vice-Parochus, Capellanus, & Regulares, qui in Oppido existunt, consulere valent *Animarum ibi degentium curæ*, & *saluti*. Minueretur etiam tribus illis mensibus Ecclesiæ decor; sed major in reliquis esset ej us cultus per supplementum Missarum, & Officiorum, quæ absentiæ tempore omitterentur.

Respondere itaque dignentur Emi Patres.

An, & quomodo sit concedendum indultum abessendi in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

MELEVITANA IRREGULARITATIS, Indulserunt EE. Vestræ in Congregatione 19. Januarii 1788. Sacerdoti homicidæ Philippo Borg pro dispensatione ab irregularitate, *dummodo non celebret in loco patrati criminis*. Supplicat modo, ut hoc etiam sibi liceat, pluresque affert causas, quas refert, & probat Mele-

Sess. 14. *cap.*7. *de Reform.*

vi-

vitanus Episcopus in hæc verba : *Ob homicidium in rixa patratum absque animo deliberato occidendi , diutinam carcerationem , suspensionem a Divinis , & exilium ad quinquennium passus est ; & in Civitate , Pinto ejus patria* (in qua patravit crimen) *consanguineos , bona , propriamque domum possidet , quæ ab aliis locis est longe dissita ; neque scandalum esse posset ob homicidium , cujus memoria* (ob novem elapsos annos) *extincta est* . Recens similis gratiæ exemplum est *in Consentina Irregularitatis 17. elapsi Aprilis* , in qua tamen Emi Patres addiderunt clausulam : *Dummodo celebret in Oratorio privato , aut etiam in publica Ecclesia , hora minus a Populo frequentata* .

Respondere igitur placeat .

An sit standum , ael recedendum a decisis sub die 19. Januarii 1788. quoad prohibitam celebrationem in loco commissi delicti in casu &c.

Die

Die Sabbathi 19. *Junii* 1790. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

VERCELLEN. SERVITII CHORI.

An, & quomodo ſit concedendum indultum abeſſendi in casu &c. *Ses.24.cap.12. de Reform.*

Affirmativè juxta votum Emi Episcopi.

MELEVITANA IRREGULARITATIS.

An ſit ſtandum, vel recedendum a decisis ſub die 19. Januarii 1788. *quoad prohibitam celebrationem in loco commissi delicti in casu &c.* *Ses.14. cap.7. de Reform.*

Prævio recessu a decisis, pro gratia juxta petita arbitrio Episcopi, dummodo celebret hora minus a Populo frequentata, & ad Dominum Secretarium cum SSmo.

CERVIEN. Ad Dubium, *An ſit valida electio Beneficiati S. Sebaſtiani, seù potius nova, & a quibus ſit facienda*, rescripserunt EE. Vestræ in Congregatione diei 17. elapsi aprilis, *affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam*. Ad instantiam igitur Sodalium Consortii, qui Causa ceciderunt, de viribus quæritur editi rescripti, atque ex folio tunc distributo, novisque Partium scriptis deliberare dignentur Emi Patres. *Scs.22. cap.8., & ses. 25. cap. 9. de Reform.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Iterum proponatur.

Ses. 22. cap. 6. de Reform.

FOROLIVIEN. Actum primum fuit in Congregatione 24. Martii 1787. sub Dubio, *an, & quomodo Capituli oratoris precibus sit annuendum*, de reductione onerum hereditatis Ugolinæ, & superextantibus applicandis reditibus ad reparandam domum Capituli Cathedralis Forolivii, prodiitque affirmativum rescriptum juxta votum Episcopi. Majori deinde comperta necessitate, tria alia sub die 13. Junii elapsi anni 1789. proposita fuerunt Dubia, I. *An, & in qua summa sit locus creationi census*; & quatenus affirmativè, II. *an, & quomodo sit providendum solutioni ejus fructuum, & extinctioni sortis*; III. *an sit consulendum SSmo pro absolutione*; & ad primum EE. Vestræ rescripserunt *affirmative in summa scutorum 700. juxta votum Episcopi*; ad secundum *affirmative, depositis singulis annis scutis quadraginta superextantibus hereditatis Ugolini, & viginti ex pensionibus reparatæ domus*; ad tertium *affirmativè*. Secunda ex hisce resolutionibus non arridet Capitulo, iterumque ad solvendos fructus, sortemque reddendam censuum, qui ex rescripto ad primum Dubium, & antiquiori altero Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium anni 1786. ad summam scutorum 1464. 27. impositi sunt, suspensionem ad decennium flagitat legatorum *Teodoli*, *Magnani*, *Antonini*, *Becci*, *Golfarelli*, & *Torelli*, ex quibus annua in celebrationem Missarum sunt scuta 106. 28.

Ut hujusce suspensionis necessitatem suadeat, activum, & passivum exhibet capitularis massæ statum. Activus, in quo relatæ etiam sunt pensiones reparatæ domus, & superextantes hereditatis Ugolinæ reditus, annua attingit scuta 281. 83. 6., passivus secundum Ratiocinatorem Capituli ad scuta ascendit 322. 76. 3., comprehensis scutis 68. 07. 3. pro fructibus censuum, & scutis 95. in extinctionem sortis, ita ut exitus superet introitum in scutis 40. 87. 7. Inde autem infert, satis indigentiæ non esse providentiam super hereditate Ugolini, & pensionibus domus. Maxime, quia tres adhuc ad summam scutorum 406. 00. 6. dimittendi sunt creditores. Hæc autem omnia Foroliviensis confirmat Episcopus, impenseque favet Capitulo.

Una, & altera in utroque Capituli statu notari posset partita. Annuus hereditatis Ugolinæ reditus, qui juxta priores Episcopi relationes semper fuit scutorum 100., minuitur in activo ad scuta 70. Refertur vero in passi-

vo

vo partita scutorum 50. pro annuis reparationibus urbanarum, & rusticarum ædium, ac manutentione sacrarum supellectilium; sed in simplici consistit Ratiocinatoris opinione, ut ea pandunt verba = *si spenderà circa scudi* 50. Si haberi ergo deberet ratio scutorum 30.; in quibus prima decrescit, & scutorum saltem 10. pro excessu secundæ, jam activus status par esset passivo. Qui adhuc præterea reparatę domus causa supersunt creditores, ex iis sunt, pro quorum dimissione creationem census scutorum 700. EE. Vestræ permiserunt. Fieri tamen posset, quod satis censualis pecunia ad eos dimittendos non fuisset.

His itaque perpensis, & utroque resumpto folio 24. Martii 1787., & 16. Maii elapsi anni, ex quo in sequenti Congregatione 13. Junii tria posteriora resoluta fuerunt Dubia, deliberare dignentur Emi Patres.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum Dubium in casu &c.

In decisis, & preces amplius non recipiantur.

FIRMANA JURISPATRONATUS. Quæ simplex olim Firmi sub titulo S. Michaelis erat Parochialis, ac modo est Collegiata, erecta fertur a Parochianis, Comitibusque præsertim de Giliuccis. Actum hinc decimosexto labente sæculo inter Promotorem Firmanæ Ecclesiæ Fiscalem, Giliuccios, & Parochianos de jure præsentandi illius Rectorem, ac per Rotalem sententiam anni 1593. coram Pamphilio declaratum fuit, *jus præsentandi ad prædictam Ecclesiam pertinere pro duabus tertiis partibus præfatis Parochianis, pro alia vero tertia parte dictis de Giliuccis*. Accessitque anno 1631. in erectione Collegiatæ Apostolica confirmatio, dum jus ipsum quoad Canonicos etiam reservatum voluit Urbanus VIII. *Parochianis pro duabus ex tribus, & Comiti Petro prædicto* (de Giliuccis) *ejusque hæredibus, & successoribus in perpetuum, & infinitum pro una reliqua partibus*. *Ses. 25. cap. 9. de Reform.*

Ab hac Jurispatronatus divisione constans Parochianis non fuit nominandi modus. Aliquoties enim nominarunt uti singuli, annis scilicet 1640. 1641. 1650. 1669., & 1689.

& institutionem habuerunt nominati; sæpius tamen universi, & collegialiter in Ecclesia S. Michaelis cum interventu quandoque illorum de Giliuccis congregati; & hujusmodi nominationes, quę ab anno 1613. ad annum 1738. decimam tertiam attingunt, approbatæ etiam per institutiones fuerunt, rejectis interdum electionibus singulorum. Harum novissima anni 1738. Giliuccios offendit, causamque dedit liti. Manutentionem tamen obtinuerunt Parochiani a Firmano Vicario Generali *in possessione, seù quasi juris præsentandi collegialiter; seorsim tamen, & separatim a dictis de Giliuccis*.

Provocarunt Giliuccii ad Sacram Rotam. Sed mutato deinde consilio, privatum anno 1740. a pluribus singillatim Parochianis subscribi curarunt transactionis folium, in quo perfectus constituebatur jurispatronatus turnus, ut bis scilicet illi, semel ipsi Priorem, sub-Priorem, Canonicos, & Præbendatos nominarent. Res vero pacifica non fuit; nam in prima canonicatus vacatione neglexerunt Parochiani Giliucciorum turnum, eorumque nominationem, & Collegialiter congregati nominarunt anno 1743. Sacerdotem Xaverium Agostini, cui data etiam fuit institutio. Judicium propterea instituerunt Giliuccii coram A. C. Amadeo super observantia concordiæ; sed ob neglectam illius prosequutionem in causa fuerunt, ut plerique canonicatus absque patronorum consensu per coadjutorias, & renunciationes conferrentur. Vix enim Parochiani semel anno 1750., iterumque anno 1770. unum, & alterum Canonicum in comitiis nominarunt. Eodem tandem modo, quo primam anno 1740. inierant concordiam, secundam cum Parochianis uti singulis stipulati sunt Giliuccii anno 1782., per quam æqua utrisque assignatur duorum canonicatuum nominatio, ac reservato Parochianis Prioratu, & sub-Prioratu, turnus quoad reliquas duas Præbendas constituitur. Apostolicam deinde hujusce transactionis confirmationem per organum postularunt Datariæ; quæ tamen ob dissentientium Parochianorum contradictionem, instantiam ad EE. Vestras remisit.

Firmano audito Archiepiscopo, præ omnibus monuit, *quod super jurepatronatus, de quo est quæstio, nullum exoriri valeat dubium, quin in tertia parte ad familiam de Giliuccis omnino pertineat. Plurima namque adsunt validissima documenta, quæ in id invictè probant.* Æquam de cætero sibi videri dixit transactionem, *si ter-*

tertium ejusdem transactionis caput abrogetur, in quo, successorum etiam nomine obligationem assumunt Parochiani *di presentare, e nominare persone idonee, e capaci, le quali siano native di questa Città di Fermo, ed in mancanza di dette persone idonee, e capaci di detta Città native, di nominare altre persone idonee, e capaci a nostro arbitrio*; sed EE. Vestris decidendum relinquit *utrum sit rite, ac recte inita, quia Parochiani collegialiter non præbuerunt assensum*.

Quodcumque autem in id futurum erit judicium, enixe tandem postulat, *ut modus aliquis præfiniatur, quo in posterum Parochiani exercitium jurispatronatus expleant. Sciant enim EE. Vestræ, quod idem juspotronatus penes quemcumque, qui in districtu Parochiæ moretur, indistincte resideat, ita ut & pater, & filii, cæterique etiam unius ejusdemque familiæ ad ferendum suffragium admittantur. Hinc & famuli, qui stipendio sunt conducti a Familiis nobilibus; hinc & ii quoque, qui vel fortuito, vel studiorum causa intra Paræciæ limites moram trahunt, hujusmodi jure fruuntur. Ex quo illud sequitur, ut quum Parochia supra bismille capita numeret, & hæc in majori parte vilioribus personis, & rusticis constet, incredibile sane est, quot oriantur confusiones, quot tumultus, & scandala. Sed quod magis est, nulla sane fit nominatio, quæ a labe simoniaca sit immunis.*

Sub primo itaque ex infrascriptis Dubiis de approbatione agitur concordiæ anni 1782., eamque Comites Giliucci exceptionem parere contendunt litis finitæ, per *Text. in cap. finem litibus, de dol. & contumac.*, & *in leg. causas Cod. de transact.*, *Urceol. de trasact. quæst. 70. num. 39.* Recte autem initam censent absque collegiali Parochianorum consensu, quum *de jure, si juspatronatus competat Parochianis alicujus Ecclesiæ, non competat collegialiter uti universis, sed uti singulis*, ut in hæc verba tradit *Gratian. discept. 211. num. 7.*, *Lap. allegat. 78. num. 9.*, *Piton. de contr. patron. allegat. 53. num. 25.*, & *Rot. coram Molin. decis. 691. numer. 3.* Maxime, quia Ecclesia Sancti Michaelis extructa, aut dotata præsumitur per virilem illorum contributionem, quo casu singulis acquisitum censetur juspatronatus, & *ad illos pertinet singulariter, & jure proprio, non autem collegialiter*, & *jure universitatis*, ut prosequitur *Rota in cit. decis. 691. num. 6. coram Molin.*, & dixit *Piton. de contr. patron. allegat. 53. num. 24.* Observantiam præterea ex singularibus urgent nomi-

na-

nationibus, & institutionibus, de quibus in enarratione facti; quasi confirmatum per eam fuerit juspatronatus singulorum. Dum enim *pro electione facienda perquisita fuerunt vota in domibus singulorum, ex hac datur intelligi, jus eligendi ad eos pertinere uti singulos*, juxta *cit. decis.*691. *num.*8., *& seqq. coram Molin.*

Nedum vero legitimam arbitrantur Giliuccii concordiam initam cum Parochianis uti singulis, sed suadere etiam student illius æquitatem. Ex Rotali namque rejudicata anni 1593., & Apostolica Urbani VIII. constitutione tertiam ipsi ad universa Ecclesiæ beneficia habuissent vocem. Hac tamen quoad Prioratum, & Subprioratum se abdicarunt. Jus in reliquis diviserunt nominandi ad ulteriores vitandas lites, permittente *Clement. si plures, de jurepatr.*, quam præ ceteris exornat *Gonzal. ad cap. perlatum, vers. discordia, eod. tit.*, quod libere, & absque Superioris auctoritate fieri potuisse affirmant *Pignatell. consult.* 12. *numer.*62. *tom.*3., *Lambertin. de jurepatr. lib.*1. *part.* 2. *quæst.*2. *art.*86. *num.*6., *Piton. de controv. patron. allegat.* 63. *num.*15., *& seq.*

Plura adversus hæc in eorum scriptis dissentientes Parochiani. Sed dilemmate potissimum concordiæ nullitatem probant; sive scilicet uti singulis, sive uti universis juspatronatus competat. Si uti singulis, jam satis ad transigendum non fuitParochianorum pars,aliorumque dissensus nullum reddidit actum, per *Text. in leg.*56. *ff. de regul. jur.*, *& in leq.*28. *ff. de commun. dividun.*; *Voet. in Pandect. lib.*10. *tit.*3. *num.* 7., *Felic. de Societ. cap.*28. *num.*7. Si tanquam universis, nec valide extra Comitia transigi potuit, juxta *cap. cum omnes, de constit.*, *Lambertin. de jurepatr. art.* 8. *quæst.*2., *Vivian. eod. tract. lib.*8. *cap.*2. *num.*6., *Rot. coram Ratto decis.* 278. *num.*3., *& coram san. mem. Clem.* XIII. *decis.*55. *num.* 22., *& decis.* 128. *num.* 4. Collegialem de cetero tuentur jurispatronatus qualitatem ex necessitate rei, quum nunquam a singulis Parochianis, uno vel altero dissentiente, exerceri posset, *Abb. in cap. causis* 30. *num.*3. *de elect.*, *Vivian. de jurepatr. lib.*8. *cap.*2. *num.* 28., *Passerin. de elect. cap.*22. *num.* 19. Pluresque illos memorant collegialium electionum actus, ex quibus manutentionem anno 1738. in hac quasi possessione obtinuerunt.

Valde insuper de injustitia queruntur concordiæ, omnemque Giliucciis ex antiquis juribus negant jurispa-

tro-

tronatus partem. Utrum vero absque restitutione in integrum a Rotali sententia anni 1593., orisque aperitione adversus Constitutionem Urbani VIII., ad vitam revocari valeant gelidi extinctæ controversiæ manes, EE. Vestræ decernent. Ad injustitiam quoque referunt, quod certæ illis assignatæ sint nominationes pro tertia jurispatronatus parte, de qua Rotalis sententia, & Constitutio Urbani loquuntur. Una enim ex tribus vocibus vacua plerumque fuisset, & in eo dumtaxat ex jure accrescendi, seu non decrescendi obtinuisset casu, quod nominationem neglexissent Parochiani, ad tradita per *Card. de Luc. de jurepatr. disc.* 42. *num.* 2.

Ex iis, quæ hinc inde de singulari, vel collegiali jurispatronatus exercitio notata sunt ad primum, resolutio pendet secundi Dubii *de modo faciendi præsentationem*. Quatenus vero Emi Patres faciendam censeant collegialiter, negligenda non sunt hujusce præsentationis incommoda, quibus occurrendum postulat Archiepiscopus. Parochianorum quidem nomine habitatores omnes veniunt Parochiæ, omnesque idcirco ad exercitium jurispatronatus admitti debere autumat *Piton. de contr. patron. allegat.* 53. *num.* 24. Res vero plena esset periculi, si magnum electionis Canonicorum negotium permitteretur vulgo, ex animadversis per *Losæum de jur. universit. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 6. Hac sane de causa electiones Magistratuum, aliaque graviora Populi Romani negotia expediri solebant per centurias, seu *primores cives*, quales in nostro themate dici forsan possent Patresfamilias, teste *Halicarn. lib.* 4., & *Donell. in commen. jur. civil. lib.* 6. *cap.* 7. *tom.* 2. *column.* 46. *not.* 6. Atque hoc insuper deliberari poterit, num ad tertiam constituendam suffragiorum omnium partem admitti etiam debeant Giliucii in Parochianorum comitia, ne eorum jus, per Rotalem sententiam, Pontificiamque constitutionem firmatum, omnino inutile evadat. Fieri enim valet, ut plures ex illis cum ipsis conveniant, & reliquos vincant.

Dubia sunt.

I. *An sit servanda transactio in casu &c.*

II. *An, & quomodo facienda sit præsentatio in casu &c.*

Ad primum Negative, & amplius.

Ad secundum, faciendam esse collegialiter, & amplius; quoad Parochianos vero, qui intervenire debeant, iterum proponatur.

PRÆ-

Sess. 14. cap. 7. & sess. 25. cap. 5. de Reform.

PRÆNESTINA CAPELLANIÆ. Pii Conjuges Hieronymus Fioravanti, & Dorothæa de Santis universa anno 1675. donarunt eorum bona Capellæ Visitationis S. Elisabethæ, quam in suburbana extruxerant Olibani Ecclesia B. M. Virginis *di Colle*, eique perpetuum addixerunt Capellanum cum onere *di celebrare, o far celebrare* Missam & Vesperas cum cantu in die Visitationis; simplicem alteram Missam in festo S. Patriarchæ Josephi, binasque alias in die commemorationis Defunctorum; ac manutenendi utensilia Capellæ. In primū Capellanū nominarunt Sacerdotē Carolū Gentili *con facoltà al medesimo solamente di poter sostituire un altro Sacerdote a suo beneplacito in evento che esso non potesse, o non volesse risedere in Olevano*. Activum deinde, & passivum reservarunt juspatronatus prædilectæ illius familiæ sub lege nominandi familiarem Sacerdotem *sempre che vi sia*; *ed essendovene più, quello, che avrà prima cantata Messa*. Et in defectum postremo Sacerdotis Gentili antiquiorem pariter nominari jusserunt Sacerdotem ex familiis *Fiaschi, Fioravanti, & Patrizj*.

Novissimus hujusce capellaniæ possessor clericus Silvester Gentili voluntarium anno 1786. patravit homicidium, damnatusque est in contumaciam ad triremes per decennium. De illius ergo reditibus solicitus, *Sanctissimo* supplicavit egenus ejus pater, ut in sustentationem reliquæ familiæ, alterumque instruendum Filium ad clericatum, retentionem permitteret capellaniæ Filio homicidæ; præcibusque ad Sac. hanc Congregationem ablegatis, Ēmus retulit Prænestinus Episcopus, *à die fundationis usque ad præsens semper possessor ejusdem capellaniæ nominatos, & institutos fuisse Presbyteros, seu Clericos de domo Gentili*; ac de gravi testatus Oratoris paupertate, indecorum censuit *inhærere ejus voto favore damnati Clerici*; & hæc de secundo habuit illius filio: *Alter adest Oratoris filius ætate, & scientia haud idoneus, qui licet modo sub disciplina Ludimagistri elementa legendi, & scribendi ediscat, patris tamen inopia nec facile sinit, quin studia deserat, artemque rusticam potius, quam liberalem colat*. Instantiæ autem restitit Sacerdos Vincentius Mineri uti descendens à fœmina Gentili, sibique in his circumstantiis debitam autumans capellaniam, infrascriptum concordavit Dubium, quod ob diuturnam Oratoris contumaciam, ipso tantum informante proponitur. Eni-

Enixa quidem fuit Fundatorum voluntas erga familiam Gentili, dum activum ei, & passivum capellaniæ jus-patronatus præ omnibus reservarunt; sed prædilexisse censentur illius lineam effectivam in qua sunt Oratoris filii, posthabita contentiva, per quam Minerius descendit *Text. in leg. Hæredes mei §. fin. ff. ad Trebell.*, *Fagnan. in cap. Inter ceteras num.* 47., *& seq. de rescript.*, *Piton. de controv. patron. allegat.* 65, *n.* 8. Quantum idcirco fieri potest, consulendum videretur prædilecto vocatorum generi, *Castill. controv. jur. lib.* 5. *cap.* 66. *sub num.* 40., *Piton. de controv. patron. alleg.* 51. *num.* 6. Maxime quia Emi Episcopi testimonio, premitur Orator *summis verè miseriis*, *& numerosa familia*. Quatenus igitur cum eodem Emo Episcopo indecorum censeant Emi Patres *inhærere ejus voto favore damnati Clerici*, assueta ponderare possent clementia, utrum aliquam mereatur gratiam ratione alterius innocentis filii, quam ex reditibus capellaniæ instructurus forsan erit ad clericatum. Dum hæc spes est, negligi omnino non debet primo vocatus, quum vocatus per posterius impedire ei nequeat clericatum, ut ad rem ponderant *Card. de Luc. de jurepatr. disc.* 82. *num.* 5., *Carol. Ant. de Luc. de lin. legal. respons.* 22. *num.* 5., *Piton. de contr. patr. cit. allegat. respons.* 22. *num.* 5., *Piton. de contr. patr. cit. allegat.* 65, *num.* 16.

Permittendam contra non esse contendit Minerius capellaniæ retentionem homicidæ, qui jam ea per declaratoriam voluntarii homicidii sententiam cecidit, juxta doctrinam *Innoc. in cap. Cum in nostris*, *de concess. præben.*, *Lotter. de re benefic. lib.* 3. *quæst.* 33. *n.* 59. *& seqq.*, *Piton. discept.* 154. *num.* 4., quoque magis urget, sub contumaciali adhuc est pœna, nec justam fovere potest spem consequendi dispensationem ab irregularitate, contra dispositionem *Sacri Concilii Tridentini sess.* 14. *cap.* 7. *de reform.*, de qua *Majol. de irregularit. tit. de homicid. lib.* 5. *cap.* 48. *num.* 3., *Piton. discept.* 154. *num.* 20,

Neque indulgendum ait Oratori contemplatione alterius filii, qui nondum clericatum assumpsit, & vix *modo elementa legendi*, *& scribendi ediscit*. Ex perpetua namque Sacerdotis mentione quoad ipsum nominationis actum, ejusque prælatione, *che avrà prima cantata Messa*, rem esse censet de capellania actu Sacerdotali secundum *Fagnan. in cap.* 1. *de ætat. & qualit.*

Clericor. num. 54. , *& seqq.* , *Barbos. de jur. Ecclesiast. lib.* 3. *cap.* 5. *num.*33. , *& seqq.* , *Corrad. in prax. benefic. lib.*2. *cap.* 11. *num.*238. , *& seqq.* , *& Rot. coram Molin. decis.*1124. *num.*10. Notandum vero , quod alterne ab ipsa fundatione nominati , & instituti fuerunt Sacerdotes , & Clerici . Maximi profecto in statuenda sacerdotali , vel clericali capellaniæ qualitate faciendam docent observantiam *Card. de Luc. de benefic. disc.*61. *num.*13. , *Constant. vot.* 306. *num.* 6. , *Piton. de contr. patron. allegat.*17. *sub num.*3.

Atque hinc concludit , quod deficiente in linea effectiva familiæ Gentili idoneo saltem Clerico , sibi tandem debeatur capellania , uti ab ea per fœminam descendenti ; nam familiæ nomen agnatos æque , & cognatos comprehendit , per *Text. in leg. fin. Cod. de verbor. signific.* , *Bonfin. de fideicomm. lib.* 1. *disp.* 24. *num.* 6. , *Valent. de ultim. volunt. vot.* 25. *num.* 17. *part.* 1. Potissimum quia sacerdotalem habet qualitatem à Fundatoribus volitam , ac veluti necessario nominandus ex coactivis illis verbis , *siano tenuti nominare , e presentare uno della loro famiglia* [Gentili] *Sacerdote* , ad capellaniam institui valet absque nominatione , *Lotter. de re benefic. lib.*2. *quæst.*31. *num.*39. *& seqq.* , *& quæst.*38. *num.*26.

Quæritur ergo .

An Clericus Silvester Gentili sit manutenendus in possessione capellaniæ , seu potius sit locus , & cujus favore electioni alterius Capellani in casu &c.

Negativè ad primam partem , & esse locum electioni alterius Capellani ad formam fundationis .

Sess. 22. cap.6. de Reform.

NULLIUS SANCTI ÆDISTI BENEFICII SACRISTÆ . Reliquit anno 1632. Bernardinus Lupi juspatronatus Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Nicolai Communitati Sancti Ædisti sub lege nominandi ad quatuor canonicatus , beneficiumque Sacristæ descendentes primum *da Gentilesca Alesandrini de Lupi , quando però non siano minori di anni quattordici* ; descendentes rursus a Salustio Lupi *in età legittima da potersi ordinare al Sacerdozio in termine di un'anno*;illos tertio Equitis PetriCaccia *in età legittima da potersi*

tersi ordinare al Sacerdozio in termine di un' anno; ac post reliquos omnes tandem a familia Lupi descendentes *da potersi ordinare Sacerdote in termine di un'anno*, orituudum Oppidi vel Sacerdotem, vel idoneum ad assumendum Sacerdotium infra annum. Magis enixum vero pandidit Sacerdotii votum quoad Sacristam in hæc verba: *E perche li frutti assegnati al Sagrestano sono ducati di oro di Camera dodici come per istromento rogato per gli atti del sudetto Messer Lorenzo Bonincontro senza obligo di esser Sacerdote, ed io Bernardino Lupi sudetto testante voglio, ordino, comando, e lasso, che in ogni modo sia Sacerdote in virtù di questo mio presente Testamento &c.*

Onus Canonicis est Missæ cum cantu di ebus festis, & Divini Officii cum primis vesperis in festivitatibus SS. Conceptionis, & S. Nicolai, aliisque solemnioribus Nativitatis Dñi N. Jesu Christi, Epiphaniæ, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostis, & SS. Corporis Christi cum octava. Sacristæ vero menstruæ sine cantu incumbunt Missæ tres, altera singulis sabbathis votiva SS. Conceptionis, & altera in die obitus Fundatoris; ac tenetur insuper canere cum Canonicis Litanias B. M. V. ante Missas solemnes. Ei quoque Vicarius Generalis S. Ædisti onus attribuit chori; sed id ex transmissa testamenti particula non constat, & non obscure excluditur a notula onerum Capituli, in qua Canonicis dumtaxat, non item Sacristę chorale servitium adscribitur.

Vacaro nuper Sacristæ beneficio, nominavit Communitas Cajetanum Lupi descendentem a Leone, qui se asserens clericum, EE. Vestris supplicavit, ut illud sibi ad Sacerdotii ętatem retinere liceret. Sed hæc de ejus petitione, & de ipso habet Generalis S. Ædisti Vicarius, *Vehementer*, inquit, *Canonici adversantur. Et sane Orator perperam se nominat clericum, cum nondum sit ipse Tonsura clericali insignitus. Sumpto autem experimento de ejus idoneitate, nedum rudimenta latina satis tenere, sed deprehendi insuper, nec libera hujus linguæ potiri lectione. Canonici, & Sacrista non quotidie sunt addicti chori servitio; diebus tamen non paucis, ac præsertim solemnioribus integrum officium debent persolvere. Quomodo cum aliis psallet Orator, quando nequit legendo percurrere expedite, & nesciat, ubi suspendat spiritum? Cumque jam agat annum decimumsextum, facile colligere licet, quæ expectatio in ediscendo, quæve dispositio ad ordines susci-*

scipiendos. Eum deinde ita urget, & premit inopia, ut pannis obtritus incedat, neglectus, immunda illuviæ; ob quam Canonici non immerito stomachantur, cum ipsa sacra supellectila attrectare, & custodire debeat. Putat Orator, seu verius miserrimus ejus Pater, posse his præjudiciis consuli subsidio studii, diligentiæ, & redituum præbendæ. Sint ita animi conatus. Reditus vero præbendæ scutata quindecim vix attingunt in anno (verius juxta peritiam scuta viginti & ob. 30.) *& Sacrista gravatur onere Missarum supra quadraginta, quomodo victus, & vestitus compatabitur?*

In dubium hinc revocat ejus vocationem ob neglectam a Testatore descendentiam Leonis Lupi, libereque affirmat, volitum ab eo fuisse Sacristam actu celebrantem, adeoque fuisse de hac sua valuntate solicitum, ut ejus commutationem prohibuerit. Atque ita concludit: *Præsentio, EE. Vestras a me exquirere: quid igitur fiet de hac præhenda, quæ vacet perpetuo, quando nemo Sacerdotum compareat, qui illam exquirat? Primum erit Sacri Vestri Ordinis de more sapientissime decernere circa preces Oratoris, seu quid factu opus sit. Sin minus fiet locus decreto, quod Cardinalis Antonius Barberini in actu Sacræ Visitationis edidit anno 1650. pro hac præbenda; scilicet ut reditus in multiplicum erogentur, donec fiet summa, quæ Sacerdoti honestam præbeat sustentationem.* Hæc sunt decreti verba: *Cum reditus assignati Sacristæ, qui nunc non est, non sufficiant, Camerarius fructus exigat, exactosque multiplicet, quando pervenerint ad summam multiplicabilem.*

Quamvis linea Leonis Lupi, ex qua Orator descendit, expresse vocata non sit, tacite tamen contemplata videtur in quarta vocationis sede per indefinita illa verba: *quando non vi sia nessuno discendente da Caccia, in tal caso la Comunità di S. Oreste sia tenuta nominare discendenti solamente per linea mascolina dalla famiglia Lupi.* Hac posita agnatorum omnium dilectione, indulgentiam mereri posset Orator, qui agnatus est, & pauper ex conjecturata Testatoris voluntate, quam plurimi faciendam censet *Cardinalis de Luca de Testam. disc. 72. nu. 16.* Maxime, quia Ludimagistri testimonio, aliquid hactenus in humanioribus literis profecit *pro ingenii sui modulo*; & Parocho teste, bonis imbutus est moribus, ac singulis festis cum cotta intervenit choro, & canit *in Missis solemnibus aliquando Epistolam.* Accedit etiam, quod simplices Clerici quatuor diversis

tem

temporibus fuerunt Sacristæ. In durioribus porro terminis sacerdotalem canonicatum EE. Vestræ concesserunt Clerico, qui invincibili laborabat ignorantia *in Prænestina Canonicatus* 16. *Junii* 1787. *ad II. Dubium*.

Valde contra quoad sacerdotalem Sacristæ qualitatem enixa est Testatoris voluntas, ut notatum est in facto, nec facile commutanda est ex præscripto *Sacri Concilii Tridentini sess.* 22. *cap.* 6. Justa autem nec ne in nostro themate commutandi causa sit Oratoris paupertas, sanguinisque conjunctio cum Testatore, EE. Vestræ decernent. Ipsa forsan ei obesse poterit paupertas, quum *Sacra supellectilia attrectare, & custodire debeat*, parumque proficui beneficii reditus, qui jamdiu præ tenuitate causam dederunt decreto clar. mem. Cardinalis Barberini pro confectione multiplici.

Deliberandum igitur.

An sit concedenda institutio in casu &c.

Negative, & servetur Decretum Visitationis anni 1650.

FIRMANA SERVITII CHORI. Recens Castri Clementini Collegiata Archipresbytero, Canonicis sex, binisque Præbendatis constat. Plurimi in eam diebus præsertim festis ad accipienda Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta a proximis etiam Oppidis conveniunt. Ut omnibus igitur præsto sint, facultatem ab EE. Vestris implorant Canonici recitandi matutinum vespertina præcedentium dierum hora ab ineunte Novembri ad totum cujusque anni Aprilem, quo tempore major est frequentia. Præter Archipresbyterum, ejusque Vice-Parochum, tres, Firmani Archiepiscopi testimonio, sunt in Capitulo Confessarii: unus extra illius gremium ex Sacerdotibus sæcularibus, & bini aut tres ex Regularibus. Satis vero non sunt necessitati, quia *agitur de Castro, in quo mille, & octingenta capita numerantur; agiturque de loco, qui circumdatur a pluribus Castris, ex quibus, diebus festis quamplurimi ad illud conveniunt causa Sacramenta frequentandi*. Capitulares enim, quibus ex octenni indulto festum dumtaxat incumbit servitium chori, *duabus de mane vi-*

Sess. 24. *cap.* 12. *de Reform.*

vicibus ad illum accedunt ; primum nempe recitandi causa matutinum una cum laudibus , ac prima , & deinde post lapsum unius horæ cum dimidio pro recitandis ceteris horis , quas demum Missa conventualis subsequitur .

Eodem Archiepiscopo teste , nullum ex omissione matutini diebus festis scandalum , tum quia *agitur de Collegiata nuper erecta , ideoque de re , quæ recentissime est introducta , & quæ sublata nullam excitabit admirationem* ; tum quia *festis diebus chorus absolute non relinquitur , semel ac horarum recitatio debeat absolvi* , Atque ex his tandem ita Antistes ille concludit : *Precibus itaque Oratorum [qui per secreta suffragia auditi , id ipsum petunt , prout pandit folium , quod humiliter adjungo] annuere posse EE. Vestras arbitror ; ea tamen lege , ut si ipsis diebus festis audiendis confessionibus revera operam non præstent , ita mulctentur , prout fieret , si ad chorum matutini recitandi causa non accederent . Nollem enim , ut quod petunt Populi commodo , id in proprium privatum commodum verterent .*

Rigida Veterum temperata disciplina , translata est matutini recitatio a media nocte ad auroram , teste *Benedicto XIV. Instit.*107. §.4. *sub num.*10. ; facileque immutari non debet hujusmodi institutio in Cathedralibus , & Collegiatis , in quibus ex *Clement.*1. *de celebrat. Miss.* necesse est , ut *debitis horis psallatur* ; ut recitetur nempe matutinum *mane diei propriæ , non autem sero præcedentì post vesperas , & completorium* , ad monitum *Braschii in prompt. synod. cap.*86. *num.*15. Ubi justa tamen , & rationabilis concurrit causa , opportunior ex auctoritate Sacræ Congregationis fieri potest variatio , ut prosequitur *Brasch. loc. cit. num.*18. , ac præ ceteris tradunt *Ceccoper. Incubr. canon. lib.*2. *num.*20. , & *Benedict.XIV. Instit.*107. §.4. *num.*22.

Hoc igitur in nostro themate quærendum . utrum æqua sit ratio , ob quam Canonici Collegiatæ Ecclesiæ Castri Clementini variationem postulant matutini . Valde quidem Deo accepta , valdeque Animabus proficua est Sacramenti Pœnitentiæ administratio , cui dierum festorum mane incumbere velle profitentur , ac ipsis quandoque præferri meretur Missis , *Benedict. XIV. de synod. dieces. lib.*13. *cap. ult.* §.23. , & *Sacra Congregatio in Aquen. Reductionis* 19. *Decembris* 1772. Ea autem ad Collegiatam illam Ecclesiam pœnitentium

fre-

frequentia, ut necessarium quodammodò videatur Canonicorum ministerium, & per consequens matutini præventio. In levioribus porro corporalis salutis terminis nedum matutinæ horæ, sed reliquarum etiam variationem permisit Sacra Congregatio *in Abulen. Servitii Chori 23. elapsi Januarii*. Neque absurda foret matutini recitatio præcedenti Festorum vespere; nam quoad recitationem Divini Officii, aliasque ecclesiasticas celebritates, ab eo incipit dies, juxta *Francolin. de hor. canon. cap.19. num.1.*, & *Ceccoper. lucubr. canon. lib.2. sub num.18.*

Duo tamen sunt ponderanda; num aliter nempe pœnitentium omnium confessiones, quam per præventionem matutini excipi nequeant; & num vere ad curandas illorum Animas matutini variationem Oratores postulent. Quoad primum adverti posset, non omnes ad Tribunal pœnitentiæ oppidanos, & advenas singulis festis accedere, & tamen præsto esse Confessarios octo, ac reliquos etiam Canonicos ea hora cum dimidio, qua a choro quiescunt. Quo vero ad secundum; Archiepiscopus ipse dubitat, quin in proprium Canonici vertant, quod in commodum petunt Populi. Huic tamen malo per Multam ab Ipso propositam occurri posset,

Respondere ergo placeat.

An, & quo tempore sit locus recitationi matutini horæ vespertinæ in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

ASCULANA IRREGULARITATIS. Dum mense octobris elapsi anni 1789. a venatione quiescebat Bernardinus Angelini, igneam ejus, quam elato deposuerat igniario, balistam impulit sociorum alter Isidorus Santarelli, graviterque ex inopinato illius decidentis ictu vulneratus, sequenti occubuit die. Ut clericali igitur initiari valeat tonsura, dispensationem ab irregularitate, quatenus in eam inciderit, Angelinius postulat, eique Asculanus favet Episcopus. Refert namque, *homicidium mere casuale, & involuntarium fuisse ex parte Oratoris*, ipsumque Santarellium, a publicis interrogatum Ministris, ingenue fassum fuisse, *Sess.14. cap.7. de Reform.*

fuisse, *fortuito suam vulnerationem, & non sociorum culpa in venatione devenisse*; ita ut *Fiscus, & Partes satisfactæ remanserint*. Ideoque Ei *ad majorem cautelam dignus videtur Orator petita dispensatione; maxime quia bonis moribus imbutus*.

Dubitari siquidem posset de irregularitate. Hæc namque ex voluntario contrahitur homicidio, *cap. suscepimus, de homicid.*, *cap. De cetero dist.*50., & *Sacrum Concilium Tridentinum sess.*14. *cap.*7. *de reform.*, quale etiam est in causa, si ab eo patratum fuerit, qui operam dabat rei illicitæ, vel causam præbuit ad illud ordinatam, *gloss.*1. *in cit. cap. de cetero*, *Fagnan. in cap. quidam de homicid.* Asculano autem teste Episcopo, licitæ Angelinius vacabat venationi, nec de sequuto homicidio vel leviter cogitavit. At ei imputari valet, quod assuetam venatorum diligentiam in deponenda ballista non adhibuerit, elatumque reliquerit igniarium. Qui debitam enim in re licita non adhibet diligentiam, irregularis fit, si homicidium sequatur, *cap. hi, qui arborem, dist.*50., in cujus summario legitur: *Homicidium casuale imputatur ei, qui dabat operam rei licitæ, si non adhibuit diligentiam, quam debuit*.

Quatenus igitur EE. Vestræ opus esse censeant dispensatione, ponderanda erit brevitas temporis a sequuto homicidio; nam hoc potissimum spectari solet, quod deleta sit illius memoria, *Fagnan. in cap. Henricus de Cleric. pugnan. in duell. num.*35. Res contra est de homicidio casuali, & involuntario, pro quo indulgendum statuit *Tridentina Synodus sess.*14. *cap.*7. *de reform.*, agiturque de Juvene bonis moribus imbuto, cui Fiscus etiam, & Partes veniam dederunt. In durioribus porro terminis concessa nuperrime fuit dispensatio ab irregularitate *In Urbevetana Irregularitatis diei* 20. *elapsi martii*.

Deliberare itaque dignentur Emi Patres.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu &c.

Die

Die Sabbathi 10. *Julii* 1790. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

PRiores duæ sequentes Causæ ex præcedenti sunt Folio diei 19. Junii; reliquæ ex integro hic referuntur.

FIRMANA SERVITII CHORI. *Sess.24. cap.12. de Reform.*

An, & quo tempore sit locus recitationi matutini hora vespertina in casu &c.

Negativè in omnibus.

ASCULANA IRREGULARITATIS. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu &c.

Affirmativè ad cauthelam.

ASCULANA. Ob suffragiorum discrepantiam sub judice remansit Causa ista in Congregatione diei 5. elapsi Junii per rescriptum *iterum proponatur*. Re- *Sess.24. cap.11. de Reform.*

sumpto igitur illius diei Folio, respondere dignentur Emi Patres.

An, & quomodo sit locus emptioni venditioni prædii Ciafone *legati pii Capriotti in casu &c.*

Affirmative juxta votum Episcopi.

ess. 24. cap. 11. e Reform.

SANCTI SEVERINI, SEU SEPTEMPEDANA VISITATIONIS SAC. LIMINUM. Propositis in hac Causa Dubiis, I. *An, & quomodo sit abroganda parochialis jurisdictionis mixtura, & sint disterminandæ Parochiæ*, II. *An, & quomodo quoad Parochias S. Petri, Insulæ, & Elciti sit approbanda concordia anni* 1764., *seu potius sit exequendum decretum Visitationis anni* 1776. rescripserunt EE. Vestræ die 19. Decembris elapsi anni 1789. = *Dilata, & exquiratur melior informatio super concordia anni* 1764., *& ejus exequutione*. Causam huic rescripto præ ceteris dedit Paræciarum status, qui post impressum illius Congregationis Folium, à Septempedano venit Episcopo cum novissima Sacrorum Liminum visitatione. Ad clariorem igitur rei intelligentiam, summatim referre præstat, quid de singulis Parochiis, & Parochis in eo syllabo referebat, quidve deinde in sequelam retulit rescripti.

Qui sint cujusque Paræciæ reditus, ex Folio liquet 28. Novembris ejusdem anni 1789., & confirmatur in syllabo. Ex viginti sex vero Septempedanæ Civitatis, & Diœcesis Parochis, qui mutuam in emigratas familias exercent jurisdictionem, libere quatuordecim consentiunt Paræciarum divisioni per confinia, decem sub conditione; dissentiunt reliqui. Præter distermi-nationem, proponebatur in syllabo suppressio Paræciæ Fontiscupi, ejusque unio proximiori alteri Blasii; cujus unionis, & Parochorum sive sub conditione consentientium, sive dissentientium rationes accipient Emi Patres infra. Hic interim, juxta recentiorem Episcopi relationem, fuit concordiæ anni 1764. progressus, & exitus.

Ejus

Ejus capita, de quibus in Folio 28. Novembris, remissa fuerunt ad Emum Calcagnini, tunc Septempedanæ Ecclesiæ relatorem, cum toto disterminationis Paræciarum negotio; sed nullum habuerunt effectum, *quia negotium non satis per sua capita fuit digestum, vel etiam quia Episcopi pro tempore illud struere, ac urgere prætermiserunt*. Per decretum tamen Sacræ Visitationis anni 1776. demandata fuit Paræciarum Castri S. Petri, Insulæ, & Elciti unio, de qua per concordiam actum fuerat, illudque ab EE. Vestris approbatum fuit per rescriptum diei 20. Januarii ejusdem anni.

His monitis, alia Episcopus de reliquis addit disterminandis Paræciis. Ingenue fatetur, parochiale jus super familiis, ab una ad alteram Parochiam emigratis, *confirmatum fuisse possessoria actione in Sacra Rota Romana coram Priolo decis.* 334. *inter Parochos Castri Aliphurni, & Serra ltæ, ac iterum anno* 1756. *in Rota Maceratensi inter Capitulum Cathedralis, & Parochos Serripulæ, Fontiscupi, Cesuli, & Granalium*; sed ne in pretio habeatur, quod in simplici definitum est possessorio, hæc addit: *Ast nemo dixerit, nec ego ex hujusmodi decisionibus, in quibus juri potius, quam œconomico Animarum regimini pro Tribunalium more prospicitur, ea fuisse sublata absurda, quæ Decessores mei una mecum lugebant, quæque etiam animi Vestri pietatem satis superque perculsisse demonstrat EE. Vestrarum responsum, ad R. P. Forlanium datum anno* 1763.

Ita responsum hoc erat conceptum: *Cum nullis eæ* (Pareciæ) *limitibus circumscriptæ sint, sed incertarum familiarum numero contineantur, quæ longo temporis cursu in diversa huc illuc istius Diœceseos loca commigrarunt, unde difficillima ob dispersionem Animarum cura; proindeque maximum in earum tuenda salute consequitur impedimentum, EE. Patres id incommodi prorsus tollendum esse censuerunt. Sed multi rem esse consilii, ut sine illius querela statui quid possit, ac idcirco omnia quæcnmque ad rem facere queant, Domino Calcagnini Tuæ Ecclesiæ relatori mandarunt.*

In memoriam deinde revocat Septempedanus Antistes, quæ ex ejus relationibus annorum 1786., & 1789. de omium fere Parochianorum consensu, facilioriqne mo-

do disterminandi Paræcias notata sunt in folio 28. Novembris, neque id in animo habuisse declarat, *ut materiales Parochiarum fines, qui huc usque invaluerunt, ita disterminarentur, ut sua deque pristinæ sedes invertantur, sed tantum, ut utiliori modo, juxta Tridentini mentem ab EE. Vestris apprime indicatam, pro Animarum salute, & commoditate figerentur nonnullis in locis pro his familiis, quæ in agro dispersæ, longe a suis Rectoribus distant. Qui sane fines ut plurimum temporalibus confinibus, seu syndacato respondent. Dixi ut plurimum, ut intelligatur, non posse regulam hanc generaliter militare pro omnibus Parochiis.* Ac monet postremo, *emigratas familias ex tribus Paræciis, quæ de jurepatronatus Populi existunt, esse quinque supra viginti, scilicet duodecim ex Galleano novo, septem ex Galleano veteri, sex vero ex Chigiano, ut inde melius percipiatis, quo jus illud ferendi suffragium in Parochorum electionibus protendatur, quatenus sarctum tectum servari debeat.*

Quum itaque per approbationem decreti anni 1776. super unione Paræciarum Castri S. Petri, Insulæ, & Elciti, inutile videatur secundum illud dubium super approbatione concordiæ anni 1764., quæ super eadem versabatur unione; opportunius in ejus locum subrogatum est alterum super suppressione, ac respectiva Paræciæ Fontiscupi unione, quam in suo syllabo proponit Episcopus.

Plerique ex Parochis consentientibus sub conditione, disterminationem flagitant per lineam spiritualem, quæ proxima non sit parochialibus ipsorum Ecclesiis, & dummodo compensationem familiarum, quæ cessuri erunt, in totidem aliis consequantur, ut sunt Parochi Aliphurni, Corsciani, Blasii, Cagnore, Galliani novi, Cesuli, Ugliani, Patrignoli. Duobus vero novissimis se opponit Parochus S. Helenæ, eo quod suas noscit, illorum ignorat familias. Parochus vero Palloriti sarctam tectamque vellet territorialem lineam anni 1789., per quam in possessione est familiarum 17.

Æquum videtur, ne nova prope Parochiales Ecclesias ducatur linea, quum ex nimia propinquitate oriri soleant simultates; ac rationi etiam consentaneum, ut alter alteri compensationem tribuat. Sed aliter in praxi suadere posset locorum positio, & non commoda forsan familiarum permutatio, ita ut non admodum gra-

grave paucorum interesse impedire non deberet disterminationem, in quam major Parochorum pars ad majus Animarum bonum convenit. Quanti autem facienda sit contradictio Parochi S. Helenæ, EE. Vestræ decernent. Si levis dijudicetur ratio illa ignoratæ qualitatis familiarum, quæ sibi in permutationem obventuræ essent, tunc veluti irrationabilis sperni posset, ex *cap. ad audientiam in fin. de Eccless. ædificand.*, *de quo Barbos. de potest. Episc. part.* 3. *allegat.* 83. *num.* 6., *Lotter. de re benefic. lib.* 1. *quæst.* 28. *num.* 10.

Suppressioni, ac respectivæ unioni Parochiæ Fontiscupi incommodum obest Parochianorum, qui proprio destituti Pastore, ad remotiorem accedere deberent parochialem Ecclesiam. Notandum tamen, vix Parochiam illam numerum animarum 117. continere, vixque ab altera Blasii 250. passibus distare, ejusque annuos reditus in tenui consistere summa scutorum 38. In his sane terminis permittitur illius unio viciniori alteri Parœciæ in *cap. expostulasti* 33. *de Præbendis*, & *in Sess.* 21. *cap.* 5. *Sacri Concilii Tridentini de reform.* Quatenus vero ita EE. Vestræ censeant, deliberare etiam dignentur de unionis modo per Episcopum proposito, quod omnia nempe Parocho Blasii imponantur supprimendæ Parochiæ onera, & præsertim Capellani, qui ad commodum ejus Populi Missam celebret singulis diebus festis de præcepto.

His igitur perpensis, ac resumpto folio 28. Novembris elapsi anni, Vestrum erit decernere.

I. *An, & quomodo sit abroganda parochialis jurisdictionis mixtura, & sint disterminandæ Parochiæ in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus unioni Parœciæ Fontiscupi in casu &c.*

Ad primum, affirmative arbitrio Episcopi, qui procedat etiam ex nunc cum facultatibus Sacræ Congregationis, non attenta quacumque inhibitione, nisi signata manu Sanctissimi.

Ad secundum, affirmativè juxta votum Episcopi.

BONONIEN. EXEMPTIONIS. Ex antiquissimo *Alexandri VI.* privilegio jus desumunt Tertiariæ Ordinis S. Dominici recipiendi = *tam in die Paschæ, quam aliis diebus, etiam in mortis articulo Eucharistiæ, & alia* *Sess.* 23. *cap.* 14. *de Reform.*

& alia Sacramenta hujusmodi ab eisdem Fratribus Ordinis Prædicatorum. Hoc fretæ privilegio, immunes semper fuerunt a jurisdictione Parochi S. Andreæ de Ansaldis Dominicanæ Tertiariæ, quæ Bononiæ vivunt in communione. Contendi primum in id cepit anno 1738. sub *Benedicto XIV.* dum Archiepiscopalem illam tenebat sedem; sed expenso in actu sacræ Visitationis Alexandrino privilegio, Parochum S. Andreæ, secundum memorias Conservatorii, inauspicatum dimisit.

Ad supremum deinde Pontificatus solium evectus, per organum clar. mem. Cardinalis Millo Pro-Datarii Bononiensi ejus Vicario Generali mandavit anno 1744. = *che le Terziarie di S. Domenico, le quali hanno un' antico privilegio riconosciuto da Sua Santità nell'atto della Visita, non debbano inquietarsi, nè debba quanto ad esse innovarsi cosa alcuna*. Atque hinc in antiqua Tertiariæ continuarunt possessione. Nuper autem hodiernus Parochus judicium in Bononiensi Curia adversus eas instituit, ut parochiali subjiceret jurisdictioni. At Causa cecidit per sententiam, qua definitum fuit, *Tertiarias prædictas manutenendas fore & esse in possessione exemptionis a quacumque jurisdictione Parochi, ac servandum esse decretum sac. Visitationis Pastoralis favore dictarum Tertiariarum*. Provocavit Parochus ad A.C., sed re ex decreto R.P.D. Auditoris Sanctissimi ad Sac. hanc Congregationem ablegata, infrascriptum proponitur Dubium.

Jus quidem pro exercitio parochialis jurisdictionis intra fines Paræciæ assistit Parocho, per *Text. in cap. Pastoralis, de his, quæ fiunt a Prælat., in cap. Dilectus, de capell. monach.*, & *cap. Fraternitatem de sepult.*, quem exornant *Pellizar. de Monial. cap.9. quæst.18. num.15.*, & *Barbos. de offic. & potest. Paroch. part.3. cap.26. num.66.* Ideoque is unus in Paschate Resurrectionis, & articulo mortis administrare valet SS. Eucharistiæ Sacramentum, ceterosque parochiales actus in ipsas etiam Regularium Tertiarias explere, ex *cap. Omnis utriusque 12. de pœnit.*, & *Constit. Dudum Leonis X. §.19. in Bullar. Mainard. tom.3. part.3. fol.447.*, *Ursaya discept. eccles.6. num.31. & 43.*, *Bordon. resolut. moral. tom.3. part.2. tit.75. de Tertiar. num.54.*, *Rot. in Romana Jurium Parochialium quoad Vice-Parochum 26. Junii 1777. §.4. coram clar. mem. Card. Rimi-*

minaido. Nec quisquam ab ejus jurisdictione, nisi ex privilegio, aut consuetudine eximitur, *cap. Cum personæ de privileg. in sexto*, *Barbos. de Episc. allegat.*26. *num.*10. *& seq.*, *Ursaya discept. eccl.*2. *num.*8. *tom.*9. *part.*2.

Utrumque Parochus S. Andreæ impugnat exemptionis titulum. Revocatum dicit privilegium Alexandri VI. per Constitutionem *Cura pastoralis* S. Pii V. *in Bullar. Mainard. tom.*4. *part.*2. *pag.*292., in qua sub clausula *sublata*, *& decreto irritanti* reprobantur Tertiariæ, quæ neç vota emittunt, nec clausuram servant, ut Bononienses Dominicanæ. Illud restituit Benedictus XIII. in Constitutione *Pretiosus*, *citat. Bullar. tom.*13. *pag.*201., sed Constitutionem hanc revocavit Clemens XII. per alteram *Romanus Pontifex*, *ibid. pag.* 221. Qua de re exemptionem omnem simplicibus Tertiariis ex Piana Constitutione denegant *Card. Petra ad Constit.*15. *Martini V. num.*17. *tom.*4. *Mattheuc. de Official. cur. eccles. cap.*52. *num.*6., *Nicol. in Floscul. verb. clausura num.*38., *Passerin. de stat. homin. tom.*2. *quæst.*187. *art.*4. *num.*247. *ad* 250., *& Pignatell. consult.*35. *num.*31. *tom.*3.

Ad id comprobandum exempla allegat Parochus similium Tertiariarum Bononiæ, aliarumque Dominicani Ordinis Faventiæ, Arimini, quas sibi respectivi Parochi subesse affirmant. Et præter antiquiores Sacræ hujus Congregationis resolutiones *in Aquilana* 5. *Februarii* 1604. *lib.* 10. *Decret. fol.*72., *in Stagnen.* 7. *Decembris* 1620. *ad* III., *&* IV. *Dub. lib.* 12. *fol.* 60., *in Civitatis Castelli* 2. *Decembris* 1623. *eod. lib.* 12. *fol.* 145., resolutionem urget 26. Aprilis 1749. in Causa *Januen.*, in qua ad Dubium, *an puellæ tertii Ordinis S. Dominici Civitatis Januæ nuncupatæ* Tertiariæ *subjectæ sint jurisdictioni Parochi*, Sacra Congregatio rescripsit, *affirmativè*.

Neque meliorem censet secundum observantiæ titulum, cui Bononienses S. Dominici Tertiariæ insistunt, tum quia observantia contraria dispositioni juris abusus est, & corruptela, *Valent. de ultim. volunt. vot.*27. *num.*136. *part.* 2., tum quia inducta fuit ex conniventia Rectorum S. Andreæ pro tempore, qui præjudicium successoribus inferre non potuerunt, ad *Text. in cap. cum jam-*

jamdudum de præben., *Card. de Luc. de jurisdict. disc.* 48. *num.* 12., *Ursaya discept. ecclesiast.* 29. *num.* 209. *tom.* 9. *part.* 2. Maxime quia eam interciderunt quæstiones anni 1738., per *Text. in leg. cum notissimi* 7. *in princ.* & §. *immo*, *Cod. de præscript.*

Præ viribus Alexandrinum Tertiariæ tuentur privilegium, eique tanquam *speciei* derogatum non esse contendunt ex Piana Constitutione, quæ de Tertiariis loquitur *in genere*, *cap. Pastoralis* §. *Quoniam*, *de Rescript.*, & *leg. in toto* 91. *ff. de reg. jur.*, idque per annosos Testes ex antiquissima confirmant exemptionis observantia, quę plurimum in linea valet interpretativa, per *Text. in cap. Cum dilectus* 8. *de consuetud.*, *Severol. post Piton. discept.* 53. *part.* 2. §. 7., *Rot. cor. Falconer. tit. de jurepatron. decis.* 58. *num.* 12., & firmior immo evasit ex contradictione anni 1738., & subsequuta Parochi acquiescentia.

Pontificiam observantiæ addunt Alexandrini privilegii intelligentiam; nam eo in Visitatione anni 1738. perlustrato, ac posteriorem non ignorans Pianam, præscripsit anno 1744. Benedictus XIV. per organum Datarii, *che le Terziarie di S. Domenico*, *le quali hanno un' antico privilegio riconosciuto da Sua Santità nell' atto della Visita*, *non debbano inquietarsi*, *nè quanto ad esse innovarsi cosa alcuna*. Maximæ profecto auctoritatis est Pontificia hæc declaratio, quum melius interpretari nequeat lex, quam a Legislatore, ut per *Text. in cap. ex parte* 23. *de verb. signific.*, observat *Gratian. discept.* 927. *num.* 99., & *Rot. cor. Olivat. decis.* 83. *num.* 6.

Ad rem autem non esse arbitrantur aliarum Tertiariarum, Dominicani etiam Ordinis exempla; quum eo destitutæ sint privilegio, quo Bononienses potiuntur. Atque hinc extraneas etiam censent resolutiones Sacræ Congregationis, quæ iterum, atque iterum non privilegiatas Tertiarias sub parochiali jurisdictione continuit. Potissimum vero notat, resolutionem anni 1749. in Causa *Januen.* contumacialem fuisse, omnemque vim ex posteriori amisisse rescripto, *dilata*, & *scribatur Archiepiscopo juxta instructionem*, & *interim per Parochum nil innovetur*, quod prodiit die 14. Martii 1750. Januensibus contradicentibus Tertiariis, quæ sub interina adhuc manere asseruntur exemptione.

Dubium est;

An

An Puellæ tertii Ordinis S. Dominici Civitatis Bononiæ nuncupatæ Tertiariæ *subjectæ sint jurisdictioni Parochi in casa &c.*

Negative.

ALATRINA VISITATIONIS SAC. LIMINUM. Ad plura sunt millia, qui Alatrinum colunt agrum, nec domicilium habent in Civitate. Ad eos igitur in casu infirmitatis curandos, ampliari fecit Alatrinus Episcopus Xenodochium S. Benedicti; deindeque tenues augere studuit illius reditus, qui ceteris detractis oneribus, vix annua attingunt scuta triginta, postulavitque anno 1783. occasione Visitationis Sac. Liminum unionem Sodalitii S. Joannis, cui annua, detractis pariter oneribus, supersunt scuta 38. 05. Ex deperdita hujusce Sodalitii fundatione onus ei ad dimidium fere præsentis sæculi fuit parandi hospitale vagis. Nulli modo sunt sodales, reditusque per administratorem ab Episcopo deputatum in eleemosynas erogantur. *Sess. 24. cap. 15.; & sess. 25. cap. 8. de Reform.*

Distinctas in id EE. Vestræ imperarunt preces, quibus Episcopi nomine porrectis, hæc ipse in sua addidit informatione: *Nulli hac unione præjudicium infertur: nullius læditur jus; nemo est, qui resistat, vel interesse habeat, quique audiri debeat: administratori unice cordi est de fideli dati & accepti suo tempore danda ratione, nec alia curat, nisi demandatam superextantium reddituum distributionem partim ad pauperum egestati consulendum, partim in miserorum Clericorum subsidium debitum Seminario pro alimentis præstandis, partim in pios alios usus, in quos quoad præteritum erogati deprehenduntur prædicti proventus, si excipiatur non exigua summa a debitoribus exigenda, & alia, quæ penes præfatum administratorem adhuc existit.* Atque ita conclusit: *Nihil igitur obstat, quin EE. Vestræ pro eximia, qua adornantur, humanitate, religioneque votis meis, ægrotantium una simul corporale, & spirituale levamen respicientibus, arrideant annuantque, quemadmodum suppliciter iterum peto, deprecorque.*

Hospitalium origo fuit charitas, adeoque eximium est eorum opus, ut quam maxime a Sanctis Patribus, Sacrisque Conciliis commendetur, teste *Thomasin. de veter. & nov. Eccles. disciplin. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 89., & 91., & *Ludovic. Anton. Murator. de charit. Christian. cap.* 12., & 27., ipsique præferatur eleemosynæ, licet Deo acceptissimæ, juxta *Divum Hieronymum in decr. canon. cap. odi* 24. *quæst. prima*, & *Tiraquell. de nobilit. cap.* 29. *numer.* 50., *lib. primo*, Miserabiliores enim sunt, qui inopia simul, & adversa laborant valetudine, *Leoncill. de privileg. pauper. part. prima quæst.* 3. *num.* 27., *Novar. in prax. privileg. miserab. personar. privileg.* 71. *num.* 10. Ideoque ei potius hereditates, incertis pauperibus relictæ, ipso jure deferuntur, *Text. in leg. Si quis ad declinandum* 37. *Cod. de Episc. & Cleric.*, & *Sac. Congregatio in Hispalen.* 7. *Septembris* 1680. *lib.* 31. *Decret. fol.* 224.

Unionem in nostro themate impedire posset subsidium Clericorum degentium in Seminario. Magnum enim Divini Cultus incrementum affert pauperum Clericorum institutio, *Sac. Concil. Tridentinum Sess.* 23. *cap.* 18. *de Reform.*, *Fusc. de visit. lib.* 2. *cap.* 16. *n.* 8., *Franc. de Eccles. Cathedr. cap.* 18. *num.* 304., & *seqq.*, *Piton. discept. eccles.* 160. *num.* 21. Sed res contra est de ampliando Xenodochii reditu in loco, in quo sæpe pauperes, Episcopi testimonio, *infirmitate capti*, *sine Medicorum*, & *Sacerdotum opera mortui audiuntur in agris*. Eleemosynæ rursus, quæ ex superextantibus Societatis reditibus erogantur, præscriptæ non sunt in ejus fundatione, sed ab administratorum voluntate. Illudque denique notandum, quod onus Societati erat hospitalitatis, ideoque utilius ei subrogaretur pauperum infirmorum Hospitale. In proximis sane terminis similis decreta fuit redituum unio *in Vicen. Commutationis*, & *Applicationis* 20. *Novembris* 1762.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

An, & quomodo sit locus unioni in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi.

RA-

RAGUSINA ELEEMOSYNÆ. Heredem scripsit anno 1645. Joannes Draghi filium, vel filiam, quam ex prægnanti sperabat Uxore, eique substituit Societatem SS. Rosarii Civitatis Ragusii sub lege, ut *di un terzo di rendite debbano far celebrare tante Messe per l'Anima mia, e delli miei parenti, e benefattori; un' altro terzo alli poveri dividano vergognosi di Ragusi, ed un' altro terzo alli poveri mendici*. Ducto autem per decennium calculo, annuam reditus isti attingunt summam ducatorum circiter 493. 07. monetæ Ragusinæ, seù scut. 230. circiter Romanæ. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Medietatem utriusque subsidii destinati *alli poveri vergognosi*, & *alli poveri mendici* pro se, & paupere sua familia ab EE. Vestris postulavit Michael Kartizza, Testatoris consanguineus. At pendente informatione decessit, favitque Ragusinus Archiepiscopus illius viduæ, ac duabus innuptis filiabus in hæc verba: *Uxor ejus, Maria nomine, quæ multum jam ætate provecta est, & duæ filiæ ætate nubili in valde pauperi statu, & multo subsidio indigenti inveniuntur. Auditis igitur per me interesse habentibus, auditisque Deputatis præfati Sodalitii heredis, hanc pauperem Kartizzæ familiam dignissimam judico, cui ex hisce fructibus, vita eorum durante, annuo, congruoque subsidio subveniatur, quod ab EE. Vestrarum benigna charitate, erit assignandum*. Monuit tamen *quoad ceteros Testatoris pauperes propinquos, fore ut singuli pro eadem gratia ad EE. Vestras recurrent*.

Reque vera, exemplum sectantes familiæ Kartizza, eadem sibi ipsarum vita durante, ac pro reliquis deinde pauperibus a Joanne Draghi descendentibus flagitarunt subsidia Maria Petri Cordich, Maria Balthaxaris Vitagliani, Michael Falcone, Catharina Nicolai Milcovich, Helena Vincentii Pilato, licet jam aliquid ab ipsa obtinuissent Societate ex verecundorum subsidio; iterumque de his requisitus, auditis interesse habentibus retulit Archiepiscopus, *non modo descriptas Oratrices, verum etiam quamplures alias in propinquiori, & remotiori gradu Testatori Joanni Draghi esse conjunctas*; ideoque censuit, elargiri posse facultatem *administratoribus Confraternitatis de Rosario erogandi singulis annis legatum pro pauperibus pudibundis, non vero pro mendicis à præfato Testatore destinatum, juxta indigentiam ejus cognatorum*.

De privativa primum *in genere* quæritur subsidiorum distributione inter consanguineos omnes Testatores. Nulla quidem eorum favore scripta est prælatio, licet ex illorum numero, qui modo concurrunt, plures de tempore conditi testamenti probabiliter essent. Si eos igitur non ignorans, Testator neglexit, voluitque, ut subsidia consequerentur pauperes verecundi, & mendici, jam hæc servanda videretur voluntas, per *Text. in can. ultima voluntas* 13. *quæst.* 2., & *in leg. omnium* 19. *cod. de Testam.* Maxime, quia paucorum gratia, Ragusini omnes excluderentur pauperes, quibus ille succurrere voluit; satisque esse posset consauguineis comparticipatio legati.

Per simplicem contra consanguineorum præteritionem contempsisse non censetur Testator sanguinis voces, quibus plurimum in hisce interpretandis dispositionibus deferunt *Piringh. lib.* 3. *tit.* 26. *numer.* 35., *Amost. de caus. piis tit. de relict. ad pauper. numer.* 10., & *Sacra Congregatio in Romana Commutationis Voluntatis* 12. *Februarii* 1735., *in Bononien. Assignamenti* 21. *Junii* 1760, & *in Urbinaten. seu Arimi-nen.* 24. *Januarii* 1784. Res insuper de certis est pauperibus consanguineis, ac de verecundis, & mendicis incertis, quibus nulla fit injuria, ut dixit *Rot. coram san. mem. Clem. XIII. decis.* 227. *num.* 2. & 7. Et consensus denique accedit administratorum societatis, a quibus distribuenda est eleemosyna, votumque Archiepiscopi, quod grave est, juxta *cap. in præsentia, de renunciat.*, & *Gonzal. ad regul.* 3. *cancell. gloss.* 4. *num.* 124. & *seqq.*

In specie agitur sub secundo de quantitate eleemosynæ inter Oratrices distribuendæ. Eam Archiepiscopus ad subsidium restringit verecundorum, nec optima deest ipsius sententiæ ratio; nam si aliud etiam inter illas distribueretur mendicantium subsidium, nulla amplius spes reliquis consanguineis, quas Archiepiscnpus existere refert *in propinquiori*, & *remotiori gradu Testatori Joanni Draghi*. Dubitari tamen posset de harum paupertate ob nondum petitum aliarum exemplo subsidium, & in hoc dubio fraudandæ non viderentur Oratrices utroque legato, ut suæ interim consulant indigentiæ; attento præsertim octonario earum numero.

No-

Notandum tamen, tertiam partem ducatorum 493. pauperibus verecundis destinatam, in ducatis consistere 164., qui inter Oratrices octo divisi, cuique ducati obtingerent 20. 50. Hoc subsidio mediocriter ipsis consultum esset, & altero non privarentur mendici, & si qui alii Testatoris consanguinei pauperes existunt. A Vestra tandem prudentia, atque æquitate pendet decernere, num ad vitam, ut postulant, gratiam mereantur Oratrices, quæ ad meliorem venire poterunt fortunam.

Dubia sunt.

I. *An, & ex quibus eleemosynis sit concedenda privativa distributio inter pauperes descendentes Joannis Draghi in casu &c.*

Et quatenus affirmative,

II. *An, & in qua summa fieri debeat hujusmodi distributio inter Oratrices in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

SARSINATEN. Quum in actu Sac. Visitationis animadvertisset Sarsinatensis Episcopus in pessimo statu *totum corpus Ecclesiæ* parochialis S. Mamantis de Falcino, hoc sub die 14. Septembris 1788. edidit decretum: *Visitavit totum corpus Ecclesiæ, & in pessimo statu repertum fuit ob magnas, & multas rimulas, & fixuras in ea existentes, & denotantes instabilitatem loci. Ideoque mandavit infra tempus proximi veris firmiter reaptari, facta peritia expensarum occurrentium ad effectum notificandi eas Populo, & Possidentibus, ut unusquisque pro rata concurrat; alias juxta etiam consuetudinem, contra morosos relaxabitur mandatum exequutivum.* Taxationem super æs, & libram (cujus ignoratur summa) omnes solverunt, præter Laurentium Ricchi exterum possidentem, qui ob passum Episcopalis Curiæ judicatum, manusque regiæ exequutionem, ad EE. Vestras detulit gravaminis querelam. *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

De

De necessitate reparationis ex ipso constat Visitationis decreto. De paupertate rursus Ecclesiæ ex relatione Episcopi, qui hæc de Falciniensi, aliisque Sarsinatensibus Parochialibus habet: *Quatenus exteri haud tenerentur solvere super æs, & libram illorum tangentem pro sumptibus occurrentibus in reaptatione Ecclesiarum, & domorum parochialium, in quorum finibus Arva possident, tunc dubio procul fere omnes Ecclesiæ viderentur Pastoribus viduatæ, præsertim in hac mea Diœcesi ob tenuitatem reddituum Ecclesiarum, demptis perpaucis, quarum fructatus nedum non est ad tramites Sac. Concil. Tridentini, verum etiam vix, & ne vix quidem ad Parochi sustentionem sufficere valet. Et hujusce generis est illa Falcini una cum bene multis aliis, quarum Rectoribus nullatenus est facultas aliquid in reaptationem Ecclesiæ contribuendi ob earumdem paupertatem, eaque propter quatuor Ecclesiæ Parochiales a multo tempore Rectoribus orbatæ videntur*. Ac de paupertate tandem Falciniensis Populi ex ipsamet relatione, ex qua *incolæ, & habitantes in dicta Paræcia Falcini in eadem possident tantummodo scuta* 2558. 62. 2., *exteri* (ad sextam supra decimam familiam adscendentes) *summam scutorum* 5070. 24. 2.

Hisce de causis invectam esse ait Episcopus *consuetudinem inveteratam, ac alias, & jampridem exequutioni demandatam repartiendi nempe hujusmodi sumptus super æs, & libram quoad possidentes in eadem Paræcia, licet extra illam habitantes, perinde ac quoad inibi habitantes. Et ita se gesserunt etiam Auctores Laurentii Ricchi, eo quod hujusmodi consuetudo non tantum in hac Diœcesi, verum etiam in aliis finitimis viget omnino, & observatur*. Atque hinc concludit, aliud non suppetere remedium, quam *si EE. Vestræ decernant, exteros teneri ad solutionem illorum tangentis, distribuendæ super æs, & libram pro sumptibus occurrentibus in ædificatione, & reaptatione Domorum parochialium, & Ecclesiarum in aliis Paræciis, in quibus bona possident, licet inibi minime habitent*. Præfixo igitur Oratori termino ad deducendum jura sua in Sac. Congregatione, ea deduxit in scriptis, & infrascriptum modo proponitur Dubium.

Quæ-

Quarto siquidem loco Parochianos obligat *Tridentina Synodus sess.* 21. *cap.* 7. *de reform.* ad parochialem reparandam Ecclesiam, post ipsum scilicet Parochum, Patronos, & *alios*, *qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt*. Licet ergo ad effectum, de quo agitur, Parochianorum nomen, a Tridentinis Patribus adhibitum, extendi vellet ad exteros possidentes in Parochia, ut in solutione decimarum, juxta *cap. cum contingat*, *de decim.*, *ibique Fagnan. num.* 21., adhuc tamen de prioribus quærendum esset obligatis. Testimonio Episcopi pauper est Falcini Parochus; sed de inexistentia Patronorum, aliorumque, qui fructus aliquos ex Parochiali Ecclesia percipiunt, non constat. Ex nonnullis præterea Testibus impugnat Ricchius consuetudinem, de qua mentionem habet Episcopus; remque non esse asserit de parochiali domo, sed de aliis locari solitis Paræciæ ædibus. Ac de peritia queritur reparationum, utpote extrajudiciali.

Dubitari contra non posse videtur, quin de parochiali agatur domo; nam ita in decreto Visitationis affirmat Episcopus, nec aliter probatur. Licet autem loquatur Concilium de reparatione Ecclesiæ, ejus tamen dispositio parochialem comprehendit domum, quæ pars est Ecclesiæ, ac æque ad eam reparandam illos obligat, qui ipsam reficere tenentur Ecclesiam, *cap. Boni Principis dist.* 96., *Pignatell. consult.* 126. *num.* 10., & *Rot. in Constantien. Reædificationis Ecclesiæ* 3. *Martii* 1758. §. 7. *cor. Ratta*.

Nedum insuper testatur Episcopus de paupertate Parochi, & Parochialis Ecclesiæ, sed tacite etiam patronos, aliosque excludit, qui fructus aliquos ex illa percipiunt; dum ait, *nullum aliud suppetere remedium*, *quam si EE. Vestræ decernant*, *exteros teneri ad solutionem illorum tangentis super æs*, & *libram*. Consuetudo accedit nedum oppidi Falcini, sed finitimorum etiam locorum; & quod magis est, ab ipsis Ricchii auctoribus observata, ut idem refert Antistes, licet ei adversentur Testes quidam singulares, ac tanquam exteri, in propriam exonerationem deponentes. Hujusmodi siquidem consuetudo dispositionem Canonici juris, & Sacri Concilii Tridentini interpretatur, ad tradita per *Fagnan. in lib.* 3. *Decretal. cap. Tuæ num.* 14. *de Cleric. non residen.*, *Valent. de*

re

re Ecclesiast. vol.14. num.64., & vim legis obtinet, per *Text. in capitulo fin. de consuet.*, & *in leg. de quibus*, §. *Ex non scripto ff. de legib.*

Quæritur itaque.

An sit exequendum decretum Sac. Visitationis diei 14. Septembris 1788, in casu &c.

Sess. 22. Decret. de observan., & evitan. in celebr. Miss., & Sess. 24. cap. 15. de Reform.

TAURINEN. MISSÆ CONVENTUALIS. Apostolica Clementis XII. auctoritate erecta fuit anno 1738. parochialis Ecclesia S. Andreæ Saviliani in Collegiatam. Primam Parochus Dignitatem, titulumque obtinuit Abbatis, tresdecim alii Ecclesiæ Beneficiati canonicatus. Præbendæ tres, omnibus detractis oneribus, annua respective attingunt scuta 141., 204., & 289. monetæ Romanæ, reliquæ a scutis 73. ad 89. gradatim ascendunt. Præter servitium chori, applicare tenentur Canonici diebus festis Missam pro Populo, & confessiones excipere. Onus insuper ex erectione erat Missæ conventualis diebus tantum festis; sed post editam a Benedicto XIV. Encyclicam *Cum semper oblatas* anni 1744. de quotidiana illius celebratione, decreta a Capitulo fuit Pontificiæ Constitutionis exequutio. Plerique tamen Capitulares, Emi Taurinensis Archiepiscopi testimonio *repugnarunt*, & *Sacrum hujusmodi offerre neglexerunt*.

In unam denique sententiam convenerunt Canonici, atque EE. Vestris supplicarunt pro reductione ejusdem Missæ ad dies festos juxta erectionem Collegiatæ. Quibus Emus favet Archiepiscopus in hæc verba: *Quod petunt indulgeri posse videtur, utpote juri, atque æquitati consentaneum. Qui enim sunt Collegii Benefactores, præter illos, qui dotem Sacerdotiis assignarunt, quique ad Collegii erectionem aliquid contulerunt? Jam vero illorum voluntas satis perspicua est, & ex tabulis fundationis apparet, nihilque causæ esse videtur, cur Canonicorum Collegio onus Sacrum offerendi quotidie pro*

pro Benefactoribus imponatur, quum Canonicus quisque ad Sacra offerenda, a singulis Fundatoribus præscripta, teneatur, idque re præstet.

Vetus Oratoribus, & novum obstat jus. Jamdiu siquidem Missam conventualem Cathedralibus, & Collegiatis præscripsit *Honorius III. in cap. cum creatura 11. de celebrat. Miss.*, & secundum ejus rubr., & gloss., *in dies*. Ea deinde restituta disciplina, idem in Encyclica *cum semper oblatas* statuit Benedictus XIV., qualibet sublata consuetudine, & non obstante aliarum Missarum onere, quo singuli Canonici ex fundatione gravantur, ut *sub* §§. 14. 16. 17. . Dispositioni juris Statutum accedit Collegii S. Andreæ super quotidiana Missæ conventualis celebratione ad formam Benedictinæ, cui vim Legis tribuit *gloss. in cap. 2. §. Ceterum, verb. statutum de verb. signific. in sexto, Ursaya discept. Eccles. 30. num. 37. tom. 2. part. 2.*. Et opimæ demum urgent Oratorum præbendæ, quarum minima est scutorum 73., omnibus detractis oneribus. Reduci enim non solet Missa conventualis ad dies festos, quam ex tenuitate redituum, qui annua non excedant scuta triginta, ut censuit Sacra hæc Congregatio *in Veliterna 14. Martii 1722. ad III. Dub., in Spalaten. 23. Junii 1729. ad I. & II. Dub., & in Ariminen. 18. Septembris 1751.*

Pro Oratoribus contra cum Emo Archiepiscopo adverti posset, quod Missæ conventualis celebratio diebus festis demandata fuerit in erectione Collegiatæ, cujus legi non derogat *Encyclica*; quodque alii non sunt Benefactores, quam *qui dotes Sacerdotiis assignarunt, quique ad Collegii erectionem aliquid contulerunt*. In his porro terminis cessare videretur Encyclicæ ratio, incertorum nempe Benefactorum probabilitas; ita ut præter Missam conventualem in erectione assumptam, ad ea tantum Canonici teneantur Sacra, quæ a certis præscripta sunt Fundatoribus, juxta *Barbos. ad Concil. Trident. sess. 25. cap. 5. de reform. num. 7., Pasqualig. de Sacrific. Miss. quæst. 899. num. 2.. Scarfanton. ad Ceccoper. lucubr. Can. tom. 2. in addit. ad tit. 4. num. 2., & Sac. Congregat. in Verulana Archidiaconatus 13. Julii 1748. ad V. Dubium* Decretum autem Capituli pro observantia *Encyclicæ*, ab omnibus re-

ceptum non fuit Capitularibus, quum Emo Archiepiscopo teste, *plerique repugnarunt*, & *Sacrum ejus modi offerre neglexerunt*.

Deliberandum igitur.

An, & quomodo sit locus reductioni Missæ conventualis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 31. Julii 1790. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

RAGUSINA ELEEMOSYNÆ. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

I. *An, & ex quibus eleemosynis sit concedenda privativa distributio inter pauperes descendentes Joannis Draghi in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & in qua summa fieri debeat hujusmodi dristributio inter Oratrices in casu &c.*

Ad I. Negative, & concurrant cum aliis Puellis habentibus qualitates a Testatore præscriptas.

Ad II. Provisum in primo.

SARSINATEN. *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

An sit exequendum decretum Sac. Visitationis 14. Septembris 1788. in casu &c.

Affirmative.

Sess.22. decret. de observan. & evitan. in celeb. Miss., & ses.24. cap.15. de Reform.

TAURINEN. MISSÆ CONVENTUALIS.

An, & quomodo sit locus reductioni Missæ conventualis in casu &c.

Negative.

Sess.23. cap.9. de Reform.

VITERBIEN. REDUCTIONIS, ET SUSPENSIONIS ONERVM. In novissima hujus Causæ propositione diei 19. Septembris elapsi anni 1789. rescripserunt EE. Vestræ: *Dilata, & scribatur Emo Episcopo juxta mentem, nec non ad Emum Præfectum pro deputatione Architecti ad effectum referendi super contentis in peritia Architecti Guasco; & mens est, quod mandet affigi nova edicta cum præfixione unius mensis ad exhibendas oblationes, quo elapso transmittat easdem ad Sacram Congregationem, & referat super idoneitate oblatorum Ventura, Mazzaroni, & aliorum supervenientium.*

In exequutionem hujusce rescripti affixa fuerunt die 24. sequentis Octobris nova ædicta, ac una supervènit oblatio Petri Grassellj. In pretium diversorii cursalium equorum obtulerant Honuphrius, & Anna Ventura in prima affixione scuta 2000., & scuta 1000. Nicolaus Mazzaroni pro domo posita *nella prima strada* e conspectu Ecclesiæ S. Mariæ: nullus omnino pro duabus aliis hereditatis Malacrostæ domunculis fuerat oblator. Pro his igitur obtulit Crassellius scuta 500., infra duodennium solvenda, sub obligatione præstandi compensativos fructus ad rationem scutorum trium pro quolibet centenario, & anno. Hac autem transmissa oblatione, affirmavit Emus Episcopus *in verbo Vicarii Foranei Centumcellarum, tam dictum Grasselli, quam superiores oblatores Ventura, & Mazzaroni idoneos esse solvendo.*

Peritissimus deide Franciscus Navone, quem Emus Præfectus in peritum deputavit architectum, erroneam in omnibus ex oculari inspectione ostendit peritiam Guasco. Valde siquidem ad reparandas ædes excessivam di-

dixit summam scutorum 4463. , valdeque ad eas ampliandas tenuem summam scutorum 2263. , ac per distinctum accuratumque cujusque partis examen , integrum reparationum sumptum in scutis constituit circiter 1271. 63. . Difficillimum vero, ac impossibile propemodum censuit grande illud pensionum augmentum , quod ex ampliatione ædium augurabatur Guascus , modumque proposuit , quo commodius reparationes , citiusque pium opus fiat .

Hæc sunt ejus verba : *A me pare , che il miglior espediente fosse quello di darle in enfiteosi alli medesimi PP. Dottrinarj , vale a dire di stabilire a dette Case un' annuo canone , e sopra questo capitale fissare i pesi addossati all' eredità sudetta , lasciando a tutta cura , e peso de' medesimi Padri non solamente di riattarle subito adesivamente alla descrizione da me fatta , ma di mantenerle per sempre più tosto migliorate , che deteriorate . In tal maniera si toglierà alli stessi PP. Dottrinarj la speranza di fare ulteriori ricorsi alla Sagra Congregazione del Concilio per la riduzione de pesi , e si fisserà all' eredità sudetta , senza speranza di ulteriore riduzione , il quantitativo de pesi . Sarei di parere ancora di lasciare la libertà alli predetti Religiosi , che in qualunque di esse case fusse loro permesso di fare un qualche discreto accrescimento a tutte di loro spese , sul giusto riguardo , che verranno così a migliorare la condizione delli fondi enfiteutici* ,

Quantitatem canonis in scutis constituit 150. , scutis nempe 80. pro diversorio equorum , scut. 50. pro domo e conspectu S. Mariæ , scut. 5. pro altera *all' archetto* , & scut. 15. pro tertia *nella calata della stella* . In hoc autem statuendo canone rationem non habuit, ut moris est , cæmentorum , & pensionum, sed moderatus eum fuit ex quantitate compensativorum fructuum , quos obtulerunt emptores ædium .

Adversus hujusmodi peritiam supponunt Religiosi , *che l'annuo canone sulle presenti pigioni può giustamente fissarsi in scudi* 133. 87. $\frac{1}{2}$, ita ut juxta ejus vires statui deberent onera , quæ Testatrix imponi mandavit *più , o meno a proporzione del frutto* ; ad rationem scilicet scutorum 70. pro manutentione Lectoris philosophiæ , ut sentiebat Viterbiensis Vicarius Capitularis , & obolorum 16. cum dimidio pro qualibet Missa ad synodalem taxam . Hoc tamen non obstante , paratos se offe-

runt

runt ad assumendum onus Lectoris, & duplicis quotidianæ Missæ, sub conditione tamen, *che se mai ne futuri tempi per qualunque circostanza, o ragione si dovesse gravare l'eredità Malacrosta di nuovi pesi, allora questi medesimi pesi di un Lettore, e due Messe quotidiane, e gli altri da mettersi, debbano tutti regolarsi a tenore del sudetto sinodo, del voto, e della volontà della Testatrice, senza che l'atto presente possa mai allegarsi in pregiudizio*. Atque hinc suspensionem flagitant Missarum usque ad dimissionem alieni æris in præteritum contracti ad ampliorem reparandam domum, nec non ad reintegrationem expensarum hujus Causæ, ac solutionem mercedis debitæ perito Guasco, pro cujus taxatione EE. Vestras rogant.

Ex moderata impensa scutorum 1271. 63. circiter secundum peritiam Navone ponderandum, utrum decernendæ potius sint pii operis nomine reparationes, quam venditio, vel emphyteusis ædium. Quidquid enim in novissimis calculis dixerint Religiosi, in unum annuæ dd. ædium pensiones summam anno 1786. attingebant scutorum 225. 60., ut in illorum *Summario* typis impresso, ac tunc EE. Vestris distributo *num.* 3. Id ergo, quod probabiliter huic reditui ex reparationibus accedet, compensaturum forsan erit impensam; ac major idcirco pio operi supererit summa, quam ex venditione ædium pro scutis 350., vel emphyteusi pro annuo canone scutorum 150. consequeretur. Quatenus vero eligere velint Emi Patres emphyteusim, ut conservationem ædium in emphyteutam transfundant, ponderare dignentur, num æquus sit canon tertia parte minor pensionibus, & num super reparandis, admodumque propterea non firmis muris, nova Religiosis permitti debeant ædificia.

Deliberandum insuper de ulteriori suspensione Missarum, quæ ob promotas a Religiosis difficultates, jam ab anno 1782. cum reliquo pio opere suspensæ sunt, suaque prudentia ponderare dignentur, num præter alienum æs, ad reparandam domum contractum, ratio etiam habenda sit de expensis Causæ, quam in proprium quodammodo commodum Religiosi egerunt, ac de mercede Guaschii, qui a toto genere erravit, & cujus exemplo mercedem addent periti Navone. Suaque tandem prudentia Emi Patres decernant, utrum ante con-

constitutum per reparationes, vel emphyteusim reditum, de quantitate onerum decerni debeat.

Iterum ergo quæritur.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 8. *Maii* 1784., *&* 16. *Decembris* 1786. *quoad primam Dubii partem in casu &c.*

In decisis sub die 8. Maii 1784., & domos, de quibus agitur concedendas esse in emphyteusim Patribus Doctrinariis pro annuo canone scutorum 150. facto verbo cum SANCTISSIMO.

ASCULANA CAPELLANIARUM. Duplici in hac Causa proposito Dubio, I. *An, & quomodo sit locus abolitioni onerum Missarum, seu potius reductioni in casu &c.*; II. *An, & in qua summa sit locus solutioni pecuniæ numeratæ, seu potius assignationi prædiorum in casu &c.*; rescripserunt EE. Vestræ in Congregatione diei 20. elapsi martii, *Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem*, quod referret nempe, *an Lattanzj sit heres liber Mancini, & Rufini; an redditionem rationis de bonis hereditariis reddiderit; & an de proprio supplere debeat, & possit; & an competat Oratori detractionis legitimæ actio.* *Sess.22. cap.6. & sess.25. cap. 4. de Reform.*

Hisce igitur Episcopus parens mandatis, refert, quod *licet Orator Lattanzj retineat bona affecta capellaniis, a Dorothea Fiaschetti, & Catharina Rufini erectis, renunciari haud tamen valet illarum heres, quum non constet, eisdem ex testamento, vel ab intestato successisse, & bona possidere declaraverit uti capellanus, prout evincitur ex cauthela Angeli in judicio allegata de anno* 1770. *&* 1774., *ex partiali onerum Missarum satisfactione, & ex compositione reportata a Reb. Fabrica pro reliquis Missis non celebratis.* Addit rursus, quod *Orator nunquam redditionem rationis peregit, & autumat, ad ipsam non teneri, sed tantum obligatum fore adimplere onera Missarum capellaniis adnexa*, quodque *legitimæ detractio eidem non competit, quum non sit heres filiæ Catharinæ Rufini, sed jus ad istius bona habeat in vim cessionis census scutorum centum reportatæ a Societate S. Mariæ Charitatis, & impositi ab ipsa Rita. Habet nonnulla fructifera capitalia, propria*

pria industria ceteroquin acquisita. Atque hinc concludit, *Oratorem non teneri de proprio supplere*; *maxime quum non constet, ejus culpa bona periisse*.

His itaque perpensis, ac resumpto Folio 27. Februarii, respondere dignentur Emi Patres.

I. *An, & quomodo sit locus abolitioni onerum Missarum, seu potius reductioni in casu &c.*

II. *An, & in qua summa sit locus solutioni pecuniæ numeratæ, seu potius assignationi prædiorum in casu &c.*

Dilata, & scribatur Episcopo pro firmatione status hereditatis Mancini.

Sess. 21. cap. 4. de Reform.

EUGUBINA DISMEMBRATIONIS. Ad radices montis Castriæ, apenninorum altissimi, villa præ ceteris est Clasernæ. Abbatiam S. Michaelis Archangeli annui reditus florenorum auri de Camera octoginta, quam olim ibi clar. me. Cardinalis Jo. Baptista Sabellius possidebat, per liberam ejus resignationem univit anno 1483. Xistus IV. Olivetano Monasterio S. Petri Eugubii. Ex pluribus ei adnexis Ecclesiis dismembravit deinde Alexander VI. anno 1495. Parochialem S. Nicolai de Canthiano, cui subest Claserna, eamque Eugubino contulit canonico Joanni Paulo de Paulis *cum omnibus juribus, & pertinentiis suis*, reditibusque florenorum octodecim auri de Camera. Amovibilis semper Clasernæ fuit Capellanus curatus, ut in villis erat Palcani, & Villani, quæ in eadem sunt apenninorum regione. In hisce autem novissimis villis binas Clementissimus Dominus Noster PIUS VI. Parochias respective erexit, quum ob parochialis Ecclesiæ distantiam, locorumque difficultates *non raro hiemalibus præsertim temporibus Montani illi necessariis spiritualibus subsidiis destituerentur*, singulisque assignavit Parochis annua scuta 50., persolvenda *a Monachis Congregationis Sancti Benedicti de Monte Oliveto Monasterii Sancti Petri Eugubii, qui in vicinia*

Can-

Canthiani quamdam Granciam S. Michaelis Archangeli de Claserna nuncupatam possident.

Hoc Clasernates moti exemplo, Pontificium & ipsi adierunt Solium pro erectione eorum Ecclesiæ S. Anastasiæ in parochialem cum applicatione decimarum, seu *quartesii*, quas Collegiatæ Canthiani Ecclesiæ, cujus modo Prior est Parochus, singulis annis expendunt. Precibus vero ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, retulit Eugubinus Episcopus, vix annua Capellano Clasernæ esse scuta viginti, *quæ tamen partim ex reditibus Sancti Michaelis Archangeli Confraternitatis inibi erectæ insumuntur, & partim usque ad complementum dictorum scutorum viginti Familiæ villæ Clasernæ contribuere tenentur ad rationem unius julii, absque eo quod Parochus Canthiani nihil de proprio tradere cogatur.* Decimas enim percipit Collegiata; incerta stolæ Parochus. Ultra secundum præterea a Canthiano lapidem Clasernam distare dixit, adeoque hiemali tempore ob nives, asperasque vias difficilem esse accessum ad Parochialem, ut impedita sæpe remaneat cadaverum tumulatio, infantium baptisma, *quum in Ecclesia S. Anastasiæ Clasernæ nec fons baptismalis inveniatur, neque sepulcra, bene vero sint omnino interdicta.*

Alias rursus memoravit difficultates, aliaque Clasernatium incommoda in hæc verba: *Accedit, quod inter Clasernæ villam, & terram Canthiani defluit foveum nuncupatum Valdurbiæ, cujus aquæ ex nivibus, & pluviis exuberantes maximum præbent impedimentum, sicuti & alterum foveum, seu verius torrens hyberno præsertim tempore adeo aquis redundat, ut terra ipsa Canthiani non raro illius alluvionibus demergatur. Transitus igitur dictorum foveorum difficillimus multoties, & valde periculosus expertus fuit, & idcirco quandoque Clasernæ Incolæ mortuorum cadavera Ecclesiæ muro occludere curarunt, quandoque in excavata fovea.* Atque ex his censuit, perpetuo Clasernates indigere Parocho, *qui in administratione Sacramentorum, & in aliis spiritualibus necessitatibus præsto sit*; sumendam vero non esse illius congruam ex reditibus Parochiæ S. Nicolai, *quum decimæ cujuscumque generis, & qualitatis, incerta quoque ferme omnia de stola istius villæ pro dote Collegiatæ Ecclesiæ Canthiani in ejus erectione ex Bulla Apostolica fuerint constituta.*

Ne ulla igitur esset occasio querelæ, utque æquiori Clasernatibus consuleretur modo, satis fore conclusit, si perpetuus ad illorum nominationem institueretur Vicarius curatus, debito erga Parochum S. Nicolai servato honore, eique tribuerentur *incerta omnia, quæ de stola nuncupantur, firmis tamen ejus favore remanentibus scutis viginti, quæ per Confraternitatem, & Populum subministrantur pro Missarum onere singulis diebus Dominicis adimplendo*; et si in Ecclesia rursus S. Anastasiæ fons permitteretur baptismalis, ususque sepulturæ. Ita remanerent Collegiatæ Canthiani, ejusque Parocho decimæ omnes prædiales; & quatenus sufficiens non esset provisio Vicarii, *Populus ipse in hoc casu promptus, & paratus est sponte pinguiorem reddere congruam*.

Generalis quoque post Episcopum retulit Procurator Olivetanus, ac de ulteriori dubitans dismembratione redituum Abbatiæ, illorum urget tenuitatem. Eos namque in annuis statuit scutis 420., sed detracta congrua Parochorum Villani, & Palcani, aliisque præstationibus & oneribus, ad scuta minuit 140., quæ paria non esse asseruit extraordinariis infortuniis, quorum nonnulla adduxit exempla. Plura etiam ad excludendam novæ Parochiæ necessitatem, reditusque Parochi Canthiani ampliandos animadvertit; sed de reditibus dumtaxat Abbatię solicitus, sic ejus informationi finem imposuit: *Erigatur, constituaturque in Claserna Parochus, si EE. Vestris Rīnis congruum visum fuerit, dummodo nullum Monasterio S. Petri de Eugubio præjudicium inferatur*. In triplici nunc certamine Clasernatis Populi, Capituli & Parochi Canthiani, & Monasterii Sancti Petri de Eugubio, tria proponuntur Dubia.

Novæ Parochiæ erectio, de qua agitur sub primo, à Sacra permittitur *Tridentina Synodo sess. 21. cap. 4. de reformat.*, quoties *ob locorum distantiam, sive difficultatem Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & Divina Officia audienda accedere non possunt*. In utroque Clasernates versari ajunt distantiæ, & difficilis itineris casu. Distat porro Claserna à Canthiano *per duo, & amplius milliaria*, juxta relationem Episcopi; vel etiam tria secundum Clasernates Testes. Quamvis autem *in jure definitum non sit, quanta esse debeat Conciliaris distantia, ideoque*

Jus-

Judicis arbitrio relinquatur, ut inquit *Fagnan. in cap. Ad audientiam, de Eccles. ædifican. num.* 18. *in fin.*, sufficiens tamen ab aliquibus reputatur, si in secundo consistat lapide, quum tale iter non sine gravi incommodo, hiemali præsertim tempore, fieri valeat. Ita cum aliis *Ursaya discept. eccles.* 14. *num.* 11. *& seqq.*, *& num.* 122., *Constantin. vot.* 343. *num.* 10., *Pirhin. in jus can. cap.* 16. *num.* 31. *tom.* 1.

Probant etiam Clasernates ex informatione Episcopi, Testiumque depositionibus difficultatem viæ. Nedum enim per prærupta, asperaque ducit loca, sed duplici etiam intercipitur torrente, qui hibernis redundat aquis, neque pontem, aut vadum habet, per quem sine periculo traiici valeat. Ex hisce profecto circumstantiis novæ Parochiæ necessitatem desumunt *Fagnan. in cit. cap. Ad audientiam num.* 19. *de Eccles. ædifican.*, *Amost. de caus. piis cap.* 4. *num.* 10., *Card. de Luc. de decim. disc.* 12. *num.* 7., *Ursaya dicta discept.* 14. *num.* 23., *& Sac. hæc Congregatio in Meliten. Dismembrationis* 29. *Januarii* 1735. Maximæ, quia plures Episcopus ipse, & Testes numerant casus, in quibus non leve detrimentum sive infantes baptizandi, sive morientes passi sunt, ac ipsa etiam defunctorum cadavera indecoram habuerunt sepulturam. *Ne contingat siquidem infantes mori sine Baptismo, & infirmos sine Sacramentis, talibus periculis, & saluti Animarum occurrendum per novæ Parochiæ erectionem*, ut in hæc verba monet *Barbos. in Concil. Trident. sess.* 21. *cap.* 4. *num.* 11. *de reform.* Illudque etiam notandum, quod sexcentum & ultra in Villa Clasernæ, eique adnexa Villa Gualdurbiæ sunt Animæ, quæ eo magis distinctum mereri videntur Pastorem, ut *in Novarien. Divisionis, seu Dismembrationis Parochiæ* 20. *Septembris* 1760.

Conciliarem providentiam admittit Parochus, sed bimilliarem impugnat distantiam, viæque difficultates. Ex plurimis namque Testibus vix uno Clasernam distare ait lapide a Parochiali Ecclesia Canthiani, satisque non esse contendit brevem hanc distantiam, ut novæ Parochiæ necessitas inducta dicatur, juxta doctrinam ipsius *Fagnani in cit. cap. Ad audientiam num.* 23. *de Eccles. ædifican.*, quam probavit *Sacra Congregatio in Novarien. Dismembrationis* 17. *Maii* 1749. Ex informatione vero Olivetani Procuratoris Generalis, & re-

latione Hidrostatici suadere nititur, difficilem non esse, nisi in extraordinariis casibus, torrentium trajectum, jamque decrevisse Canthiani Communitatem ampliores divertere aquas torrentis Bevani. Mala illa per alios Testes inficiatur, quorum meminit Episcopus, ac insolitæ tribuit tempestati anni 1768., quod sepulta fuerint per aliquot dies cadavera in provisionali fovea. Et ad hæc confirmanda notari posset, quod eadem semper fuit via, iidemque torrentes, nec unquam novæ Patochiæ erectionem petierunt Clasernates, sed contenti fuerunt amovibili Capellano curato, quem sibi, *suoque* ære elegerunt anno 1670. Cum Parocho autem Canthiani circa primum hoc dubium conveniunt Religiosi.

Quatenus EE. Vestræ erigendam censeant novam Parochiam, deliberandum erit secundo de congrua Parochi. Hæc quidem detrahenda esset ex reditibus Matricis secundum Conciliarem sanctionem *in cit. sess.* 21. *cap.*4. *de reform.*, nec juxta notissimam Constitutionem *Pianam* minor esse deberet scutis quinquaginta. Per Testes, aliaque jura annuum Parochi Canthiani reditum evehunt Religiosi ultra summam scutorum biscentum. Eos Parochus, detractis oneribus, ab scuta minuit circiter 60., ac reliquos cujusque Canonici ad scuta 22. 25., exemplatis in id capitularis libri partitis. Ubi autem reditibus non abundat Matrix, detrahi ex illis non debet novi Parochi congrua, *can. bonæ rei* 12. *quæst.* 2., *Fagnan. in cap. ad audientiam num.* 4. *de Eccles. ædifican.* Frustra de cetero quæri ait de detrahenda congrua ex Matrice, dum alium Clasernates proponunt illius constituendæ modum, seque paratos dixerunt ad eam suo ære reddendam pinguiorem. Eademque de causa detrahendam non esse contendunt Religiosi ex reditibus Abtiæ, quos extenuant valde, ut notatum est in facto. Haud ita vero censuit *Sanctissimus*, dum ex illis detrahi mandavit duplicem Parochorum Palcani, & Villani congruam.

A negativa primi, & secundi Dubii resolutione pendet tertium; num saltem nempe sit locus electioni Vicarii curati perpetui cum jure fontis baptismalis, & sepulturæ juxta votum Episcopi. Acerrime obsistit Parochus Canthiani ex rationibus ipsis, quibus dismembrationem impugnat. Iterum contra memorant

hic

hic Clasernates, quæ baptizandis infantibus ob defectum fontis obvenerint mala, quo ob defectum sepulturæ reponi debuerint cadavera. Hoc tamen notandum, stolæ emolumenta, quæ addicenda censet Episcopus Vicario perpetuo, pertinere ad Canthianense Capitulum ex Pontificia erectionis Collegiatæ Constitutione.

Deliberandum igitur.

I. *An sit locus dismembrationi Parochialis Ecclesiæ Sancti Nicolai Terræ Canthiani, & respectivæ erectioni Ecclesiæ S. Anastasiæ Villæ Clasernæ in novam Parochialem in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & pro qua summa, & ex quibus reditibus sit constituenda dos dictæ Ecclesiæ in novam Parochialem erigendæ in casu &c.*

Et quatenus negative ad primum & secundum,

III. *An sit locus electioni Vicarii Curati perpetui in dicta Ecclesia Sanctæ Anastasiæ, & respectivæ erectioni Fontis baptismalis, & juri tumulandi in eadem Ecclesia in casu &c.*

Ad primum, & secundum, Negative, & amplius.

Ad tertium, Negativè, & serventur capitula, & Decreta Episcopi Sperelli.

SUTRINA. Thomas Madambra heredem instituit anno 1763. Andream ejus filium, , suamque primum substituit sororem Magdalenam cum ipsius filio Xaverio, ac æquis deinde partibus Capellam SS̃mæ Conce-

Sess. 7. cap. 6.; de Reform.

ceptionis in Ecclesia S. Francisci, alteramq re Beatæ Mariæ Arcis majoris in Collegiata Ecclesia Anguillaræ. Annuum autem substitutis imposuit onus Missarum triginta *in perpetuo nell' Altare, o Altari privilegiati in suffragio dell' Anima sua, e de suoi Parenti alla ragione dell' elemosina di due giulj per Messa*, illudque tandem divisum voluit *metà per ciascheduna Cappella, cioe Messe quindeci per Cappella in perpetuò*.

Per obitum Andreæ, & Xaverii sine liberis coaluit hereditas in Magdalenam, quæ neglecto testamento Thomæ, novas anno 1783. scripsit tabulas, erigique jussit ad prædictam Capellam SS.mæ Conceptionis laicalem capellaniam cum annuo onere Missarum quindecim, reservato patronatu familiæ Rinaldi, ex qua in primum capellanum nominavit Sacerdotem Augustinum. Nil aliud sane, Nepesino Episcopo teste, possidebat, quam *jura quædam litigiosa contra hereditatem Thomæ sui fratris, & auctoris, ex quibus capellania institui potuisset*.

Capellaniam hanc erecturus, SANCTISSIMO supplicavit Sacerdos Augustinus Rinaldi pro unione dimidiæ hereditatis Thomæ, eidem Capellæ SS.mæ Conceptionis relictæ, cum onere Missarum triginta in adimplementum utriusque dispositionis; precibusque ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, & ad Nepesinum Episcopum de more remissis, ex præscripto Antistes ille utriusque Capellæ Deputatos, seu Administratores audivit, ac in ea ipsi *sunt sententia, ut universa hereditas Rinaldo adscribatur cum oneribus in utroque testamento præscriptis, rati iidem Deputati, nullimode expedire Capellis hereditatem adire debitis, & oneribus satis gravatam*. Ex transmisso enim folio activi, & passivi status hereditatis Thomæ liquet, vix alieno subducto ære, atque oneribus, annuum superesse reditum scutorum 13. 82. $\frac{1}{2}$, quem tamen plurimæ aliæ absorbent partitæ.

Qua de re inquit Episcopus: *& mihi quidem dubium non est, quin inspecto Testatoris patrimonio, magis expediat illius hereditatem repudiare, quam eam accipere. Onera namque sunt certa, reditus ut plurimum incerti, & difficilis exactionis. Unum tamen*, addit, *consideratione dignum foret, jus nempe nominandi ad simplex beneficium erectum in Ecclesia Cœsani Diœcesis Portuensis; sed hoc jus, uti mere honorificum, nullam*

affer-

afferre potest utilitatem. A ferenda vero circa petitam legatorum unionem abstinet sententia.

Justam unioni beneficiorum, piorumque operum causam præbent necessitas, Ecclesiæ utilitas, major commoditas, interesse habentium consensus; *Monet. de commut. volunt. cap.* 6. *num.* 83., *Arnost. de caus. piis lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 32., *Ferrar. verb. unio num.* 17. *ad* 33.. Ad necessitatem in nostro themate referri valet redituum tenuitas, *Gibert. in jus can. de benefic. Ecclesiast. tit.* 11, *sect.* 2. §. 6. *tom.* 3.. Ad utilitatem erectio unius capellaniæ ex tribus tenuissimis legatis, ex qua major etiam esset celebrationis commoditas, Interesse habentium tandem concurrit consensus. Ex tenuitate præsertim redituum, & interesse habentium consensu tres unitæ fuerunt capellaniæ *in Derthonen.* 22. *Maii* 1764.

Exploratissimum contra non videtur, adeo tenuem esse hereditatem Thomæ, ut ex informi apparet folio per Episcopum transmisso. Quandoquidem legale deficit inventarium, neque Magdalena, aut Orator bonorum hereditariorum rationem reddiderunt. Dubitari etiam posset cum Episcopo de valida hereditatis repudiatione, quam Capellarum Deputati absque solemnitatibus fecerunt. Dubium tamen hoc diluunt *Innoc. in cap. cum accessissent num.* 4. *de constit.*, *Pasqualig. de sacrific. Miss. quæst.* 1090. *num.* 2., & *quæst.* 1091. *num.* 1., & 6., qui pluribus aliis allegatis tuentur, parum utile Missarum legatum, perniciosamque hereditatem libere ab Ecclesia, & absque solemnitatibus repudiari posse.

In hypothesi autem, quod flagitatam EE. Vestræ concedere velint unionis gratiam, decernere etiam dignentur de loco uniendi Missarum legata, ac de illarum numero. Præferenda forsan esset capella SS^{mæ} Conceptionis, cujus patronatum habet Orator. Præscribendæ vero Missæ 45. in singulos annos pro piis omnibus legatis, quum Oratoris preces de celebrandis dumtaxat Missis triginta unum comprehendant ex legatis Thomæ.

Respondere igitur placeat:

An, & quomodo sit locus unioni legatorum in casu &c.

Affirmativè pro unione Legatorum omnium Thomæ, & Magdalenæ Madambra ad Capellam SS^{mæ} Conceptionis in Ecclesia S. Francisci cum annuo onere Missarum quadraginta quinque.

SAR.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

SARSINATEN. TRANSLATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS. In prærumpto parochialis S. Petri Montis Justi Ecclesia est loco, valdeque terræmotu læsa. SANCTISSIMO hac de causa supplicarunt Parochiani pro illius translatione ad Oratorium S. Mariæ de Cella, in æquiori positum regione, precibusque ac Sac. hanc Congregationem remissis, exposita confirmavit Sarsinatensis Vicarius Capitularis, retulitque ex ore Canonici, qui Ecclesiam illam de mandato inspexit, ultro Parochum, licet tenui congrua scutorum 40. provisum, scuta in eam causam obtulisse viginti monetæ, aliaque decem ex infructiferis bonorum Paræciæ arboribus. Audiendum tamen censuit Sacra Congregatio novum Episcopum, qui *audito Capitulo Cathedralis referat de divisione Parochianorum, de decentia sufficienti Oratorii pro omnibus parochialibus functionibus, & proponat alia media quoad expensam necessariam; præsertim utrum adsint alia opera pia, vel Missæ, quæ suspendi possint ad tempus.*

Hæc igitur, plaudente Capitulo, in prima informatione Sarsinatensis Antistes. Parochialibus functionibus idoneum dixit Oratorium: necessariam peritorum judicio impensam scutorum 250. pro construenda apud illud parochiali domo: nulla in Ecclesia esse pia opera, vel Missarum legata, præter censum in sorte scutorum 50. relictum a Catharina Comandini cum onere celebrandi ex fructibus tot Sacra sive in Ecclesia ipsa S. Petri, sive in Oratorio S. Mariæ de Cella, ubi sepultum est illius cadaver: ac fieri demum posse translationis impensam per taxationem Parochi in scutis 30. monetæ, aliisque 10. ex arboribus, applicationem superextantis pecuniæ Societatis SS. Sacramenti in summa scutorum 64., & creationem passivi census pro reliqua summa, ad quem effectum opus esse ait, *ut ab EE. Vestris mihi impertirentur œconomicæ facultates aggravandi possessores bonorum stabilium in nominata Paræcia ad solvendum relative ad capitalia annuatim certam quotam pro fructibus, sive usuris dicti census, & pro extinctione sortis.* Quoad divisionem vero Parochianorum addidit, unam & alteram familiam Parochiæ S. Pietri, uniendam esse in casu translationis viciniori Parochiæ Montis Jottoni, utrosque Parochos, & utramque familiam in id convenire. Atque in his terminis Oratoribus annuendum censuit.

Ite-

Iterum vero requisitus, propositas removet difficultates, remque luculentius in secunda illustrat informatione, cujus hæc est summa. Suis Ecclesiam, & Oratorium lustravit oculis, ac unum novit optimum, alteram ruinæ proximam. Æquo animo Sodales SS. Sacramenti, libereque consensum præbuerunt applicationi scutorum 64.; seque Parochus ad unicam obligavit solutionem scutorum 30. monetæ, aliorumque decem ex infructiferis arboribus. Scuta addi possent 50. per extinctionem census Comandini, injuncto Parochis pro tempore onere celebrandi quotannis duplicem Missam in satisfactionem legati. Et quæ desunt scuta circiter centum præstare despondit Confraternitas possidentibus bona in Parochia, & hi omnes, uno inter exteros excepto Comite Massæ, sese coram Episcopo obligarunt *ad tribuendas libras decem & octo tritici annuatim pro tribus salmis, quas serunt in agris respectivis*, in solutionem fructuum, sortisque extinctionem.

Duo possessores immo *ex opulentioribus sibi parochialium ædium ædificationem assumpserunt juxta peritiam, cum onere eas servandi, ac manutenendi per decem annos de ære proprio, dummodo Parochialis Ecclesiæ translationem ad locum, qui Cella nuncupatur, EE. Vestræ velint permittere*. Atque hinc æquum Episcopus non censet, *quod per unius* (Comitis Massæ) *repugnantiam omnis Populus simul excedens pati debeat detrimentum*, celeremque urget translationem ob imminens periculum ruinæ, *quam Montis Justi Ecclesia una cum ejus parochialibus ædibus minatur*.

Alio siquidem transferri non debent parochialia munia, si parochialis reparari valet Ecclesia, *ne ea quæ sacris ministeriis dicata sunt, temporum injuria obsolescant*, ut in hæc verba monet *Sac. Concil. Tridentinum sess.* 21. *cap.* 7. *de reform.* Eam vero reparare tenetur Parochus *de bonis, quæ sunt ipsius Ecclesiæ, si ei supersint, cap.* 4. *de Eccles. ædificandis*, & si pares non sunt, illius Beneficiati, *cap.* 1. *eod. tit.*, ultimoque loco Parochiani, *Tridentina Synodus loc. cit.* Ruinam utique minatur Divi Petri Ecclesia, sed juxta relationem periti, cum impensa scutorum 235. reparari posset.

Notandum contra cum Canonico deputato a Vicario Capitulari, quod = *esaminato il parere di ciaschedumo de*

Parrocchiani sudetti , furono di unanime sentimento , che fosse meglio trasferire la Parrocchia all' Oratorio di S. Maria della Cella , perche qualunque riattamento si potesse fare alla sudetta fabbrica di Chiesa , e Casa Parrocchiale dì S. Pietro di Monte Giusto , si reputa insussistente , e non durevole . Idque in prima informatione comprobavit Episcopus , *tum propter majorem illius Populi ad Sacra audienda commoditatem , tum propter loci de Cella firmitatem , ac stabilitatem valde majorem , quam ubi modo Ecclesia prædicta sita est* . Non semel porro Sacra hęc Congregatio translationem permisit Ecclesiæ Parochialis in firmiorem , & commodiorem locum , ac præsertim *in Burgen. Translationis Ecclesiæ Parochialis , & Tituli* 14. *Novembris* 1733. , *& in Mediolanen. Translationis Parochialitatis* 3. *Aprilis* 1734.

Si in translationem igitur Parochialis Ecclesiæ S. Petri Eminentissimi Patres convenient , de necessario quoque deliberaturi erunt sumptu . Qualem in id Episcopus proponat modum , ex secunda præsertim accepistis illius informatione . Obligatio Parochi consentanea est præmissæ dispositioni juris , quum is præ omnibus ad sumptum illum teneatur . Sodalium cosensus EE. Vestras quandoque impulit ad applicandam fabricæ Ecclesiæ Parochialis redundantem Societatis pecuniam , ut *in Ripana* 16. *Junii* 1787. *ad I. Dubium* . Ac possidentium denique taxatio nedum ab ipsis , præter unum Comitem Massæ , accepta est , sed æqua etiam dici valet , quia deficiunt Ecclesiæ reditus , beneficia , legata pia , ex quibus fieri valeat sumptus ; & quia in commodum eorumdem possidentium cedit translatio . Qui enim sentiunt commodum , sentire etiam debent incommodum , *ex cap. qui sentit , de reg. jur. in sexto* .

Ponderandum autem , num immunis esse debeat Comes ab hujusmodi taxatione , & num in casu , quod permittatur alienatio census Comandini , justa sit causa reducendi legatum ad duplicem annuam Missam . Subsidiaria quidem illa taxatio descendit ex dispositione *Sacr. Concilii Tridentini in cit. sess.* 21. *cap.* 7. *de reform* , cui nolentes etiam obsequi debent . Licet vero hodiernus Parochus , ejusque successores fructus ammitterent census scutorum 50. , notabile attamen consequerentur novarum ædium commodum , ex

quo

quo aliquantulum majus Missarum onus quotannis subeant.

Deliberare igitur dignentur EE. Patres.

An, & quomodo sit facienda translatio Ecclesiæ parochialis in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

COMEN. IRREGULARITATIS. Dum vespere diei 2. Aprilis 1780. virum inter, & Antonium Rusconi nuncupatum *Rotella* sedebat Maria Ramponi in foro parochialis Ecclesiæ Vervii in Plebe Matii Vallistellinæ, eam Parochus Joannes Antonius Saligari, cui fuerat in famulatu, in parochiales avocavit ædes, viroque illam flagitante, per diversam januam dimisit. Hujusce dimissionis ignarus, a viro fuit Rusconius, vimque foribus parochialis domus inferre cepit. Igneam ad eum terrendum e ferreis repagulis ostentavit ballistulam Parochus, quam semel ab illius manibus ereptam, & jactanter redditam, in anteriori parte Rusconius apprehendit, & dum rursus avellere conaretur, repentino ejus ictu occubuit. Qua de re Comensis Curia declaravit, *Parochum, reum convictum & confessum de culpabili homicidio, fore & esse perpetuo irregularem*, eumque a parochiali suspendit munere. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Sacram hanc Congregationem adiit Saligarius anno 1781. pro dispensatione ab irregularitate, & decessor Episcopus retulit, quod *a commisso homicidio ad præsens usque ferme semper in conventibus regularibus modo apud Capuccinos, modo apud Franciscanos Reformatos vitam ad præscriptum regularis observantiæ traduxit. Novissime ad decem dies apud PP. Oblatos S. Caroli spiritualia exercitia peregit; undequaque constantis de culpa pœnitentiæ testimonia detulit. Vix ulla ei supersit prophani patrimonii copia; vitæ subsidium ei fuit primum a capellania, indeque a beneficio parochiali. Superstes ei est pater propemodum octogena-*

rius, maximæ afflictionis solamen deprecans a dispensatione incursæ irregularitatis. Loco pœnæ habita fuit irregularitas, & suspensio a beneficio, in pœna computata diutina mora pœnitentiali in prædictis conventibus. A Parte, cujus interest, facta est remissio: Fiscus sibi habet factum satis. Monuit vero, quod licet pravus abfuisset occidendi animus, *factum tamen ipsum apud ignarum vulgus pessimi fuit exempli*, itaut fieri non posset, quin *in Ecclesia, penes quam admissum est homicidium, sine gravissimo scandalo Populi oculis ad sacrum Altare Divina celebrans* [Orator] *objiciatur*. Atque hinc censuit, *dispensationem ab irregularitate posse indulgeri, ut Divina, remoto tamen a loco homicidii celebret*. His tamen non obstantibus, istantiam Sacra Congregatio die 7. Julii ejusdem anni 1781. inter summaria precum rejecit per rescriptum *Lectum*,

Preces renovavit Parochus anno 1788., eique impensius favens, plura decessor ipse Antistes de constanti addidit illius emendatione, morumque probitate, ex qua *commota vicinia, ac præcipue Communitas Grossupti, penes quam vices Ludimagistri gessit, pro dispensatione ab irregularitate deprecantur*. De miserrima insuper testatus est illius conditione, iterumque fuit in sensu, *posse Oratori dispensationem ab irregularitate indulgeri, ut* [*excepto tamen Vicariatu Matii, ac tota Paræcia Tirani, ne ob nimiam vicinitatem piaculi memoria renovetur*] *Divina celebrare possit, unde decenter vitæ subsidia sibi comparet, ac Parocho, Populoque Grossupti, attenta Coadjutorum in cura Animarum indigentia inservire valeat*. At reproposita per summaria precum Causa, denuo EE. Vestræ sub die 29. Novembris dicti anni rescripserunt *Lectum*.

Tertio nunc eamdem postulat gratiam, amplissimumque de ejus vita, & moribus testimonium hodiernus etiam perhibet Episcopus, ac necessarium quodammodo dicit ipsius ministerium Universitati Grossupti, cujus præsertim in districtu versatur, eo quod sibi *constitit ex processualibus informationibus, illas partes extrema Sacerdotum penuria laborare, ita ut bini Pagi ejusdem Paræciæ Grossupti, in montibus siti, valdeque a parochiali Ecclesia dissiti, sine ullo Sacerdote reperiantur*

cum

cum maximo Animarum detrimento, summoque cum desiderio anhelant, prædictum Presbyterum Jo. Antonium Saligari munere sacerdotali rehabilitari ad effectum illum in proprium capellanum eligendi.

In hæc deinde prosequitur verba: *Cæterum labitur jam decennium illius remotionis ab Altari, summaque premitur egestate, cum proventus ipsi advenientes ex quotidiano labore erudiendi pueros in rudimentis grammaticalibus iis in partibus vix sufficiant ad repellendam famem. Aliunde ex temporis diuturnitate patrati criminis memoria evanuit.* Et ita postremo concludit: *Enixe propterea ego ipse deprecor EE. Vestras pro dispendatione ab irregularitate per Oratorem contracta, & absolutione suspensionis, ut Divina peragere possit ad vitæ subsidia captanda, & spiritualibus illarum regionum indigentiis adjumento esse.*

Licet occidendi animum non habuerit Orator, non necessariam tamen intra ferreos repagulos paravit defensionem, causamque per inopportunam igneæ ballistulæ ostentationem dedit homicidio, & irregularis evasit, *ex cap. continebat, & cap. suscepimus, de homicid. volunt.* In proximis sane terminis denegata fuit dispensatio ab irregularitate Sacerdoti homicidæ, licet quindecim a commisso delicto lapsi fuissent anni, *in Marsicana dispensationis ab irregularitate* 30. *Augusti* 1788.

Res contra non est de Clerico, cui *Sacrum Concilium Tridentinum sess.* 14. *cap.* 7. perpetuam indicit irregularitatis pænam, sed de Sacerdote, cui ex antiquiori jure spes est dispensationis, juxta *Hostien. in cap. sicut de homicid.*, ne cum dedecore mendicare cogatur, per *Text. in cap.* 2. *de cleric. pugnan. in duell.*. Dispensandi causæ, quæ requiruntur graves, ut dixit Sacra Congregatio *in Sabinen. Irregularitatis* 28. *Julii* 1787., hæ sunt; constans emendatio vitæ; Partis, & Fisci compositio; extrema Oratoris paupertas; decenne temporis spatium, ex quo obliterata censetur memoria delicti, *Rot. in Melevitana Pecuniaria* 8. *Februarii* 1751. §. 15. *coram clar. me. Elephantutio*, reque ipsa, teste Episcopo, evanuit; Sacerdotum penuria in Parœcia Grossupti, in qua degit Orator; enixæque preces Episcopi. Similibus profecto de causis indulgentiam EE. Vestræ adhibuerunt *in Murana Irregularitatis* 12. *Martii*

tii 1763.; & in Melevitana Irregularitatis 15. Decembris 1787.

Deliberandum ergo:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Die Sabbathi 21. Auguſti 1790. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

EX Folio novissimæ Congregationis diei 31. Julii priores duæ, quę ex ordine subiiciuntur Causę, expediendæ superfuerunt. De reliquis facti speciem habent Emi Patres in præsenti Folio.

SARSINATEN TRANSLATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS. *Sess. 21. cap. 7. de Reformat.*

An, & quomodo sit facienda translatio Ecclesiæ Parochialis in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi, celebratis tamen per Parochos pro tempore annuis missis decem pro legato Comandini, & describatur in Tabella,

COMEN IRREGULARITATIS. *Sess. 14. cap. 7. de Reformat.*

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Affirmative, dummodo non celebret in Loco patrati criminis.

FIR-

Sess.25. cap.9. de Reformat.

FIRMANA JURISPATRONATUS. Duo in hac Causa proposita fuerunt dubia; I. *An sit servanda transactio*; II. *An, & quomodo facienda sit præsentatio*; Et in Congregatione diei 19. elapsi Junii rescripserunt EE. VV. ad *I. Negative, & amplius. Ad II. faciendam esse collegialiter, & amplius; quoad Porochianos vero, qui intervenire debeant, iterum proponatur.* De hoc igitur interventu ex rationibus, in Folio prædictæ Congregationis deductis, aliisque in eorum scriptis ad rem additis, agunt modo Parochiani sub infrascripto Dubio.

An, & qui Parochiani intervenire debeant in Parochiali Admuntia in casu &c.

Intervenire debere Parochianos Patresfamilias, & amplius.

Sess. 23.cap.5. de Reformat.

BITERREN. ORDINIS SUBDIACONATUS. Dum secundum supra vigesimum agebat annum, Subdiaconatus ordinem ab Episcopo Montis Pessulani accepit Joannes Petrus Silvestre ex oppido Paulhan Biterrensis Diæcesis in Galliis die 11. Junii 1776. Sed veluti ad id paternis coactus minis, atque sævitiis, ad majores non ascendit ordines, sibique victum, Biterrensi Episcopo teste, ex labore manuum, industriaque comparare consuevit. Anno tandem 1787. Biterrensem adiit Curiam, confectoque per ejus constitutum, Testiumque examen de passa violentia processu, declaratum ab ea fuit, citato, & annuente Promotore Fiscali, *che il Signor Giovanni Pietro Silvestre è stato violentato ad entrare in Sacris, ed a ricevere il Suddiaconato*, quodque supplicare idcirco deberet *SANCTISSIMO di rompere il suo vincolo, e proscioglierlo dal Suddiaconato, perche goda della stessa libertà, che aveva prima di ricevere il detto ordine*. Verba sunt sententiæ, in italicum idioma a gallico translatæ.

Duo igitur Subdiaconus a *Sanctitate Sua* postulavit, declarationem nempe nullitatis voti continentiæ, vel dispensationem ab illius observantia; precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, ex præscripto re-

retulit Biterrensis Episcopus, *quod Pater Oratoris ad calcem libelli assignatorii respondit, se vim reipsa intulisse præfato Petro Silvestre, ut dictum Sacrum Subdiaconatus ordinem susciperet; responsionem signavit signo manuali, quod verum, & authenticum esse recognovimus, & recognoscimus*; censuitque, dictum *Petrum Silvestre vere a Patre suo coactum fuisse sacrum Subdiaconatus Ordinem suscipere, dignumque videri, quem Sua Sanctitas benigne excipiat, & cum ipso super Subdiaconatus ordine dispenset; quod saluti Oratoris, ordinisque ecclesiastici honori erit quam maxime utile.*

Primo siquidem de nullitate quæritur voti, quum non agatur de coactione *absoluta*, ob quam non imprimitur sacri ordinis character *ex cap. majores* 3. §. *Item de Baptism.*, sed *causativa* ex metu, atque sævitiis, quæ illum non impedit, juxta *can. merito* 15. *quæst.* 1. & *gloss. in cit. cap. majores* §. *item quæritur*, *verb. conditionaliter*, solamque de voto, aliisque oneribus ordinis quæstionem relinquit. Ob gravem in id priorum Theologorum, & Canonistarum discrepantiam, tutius olim censuit *Sacra Rota* Summum adire Pontificem pro dispensatione *in Valentina Ordinis Subdiaconatus cor. Cæsare de Grass. decis.* 1. *tit. de his, quæ vi, metusve caus. fiunt*, relata inter *decis. divers. par.* 1. *decis.* 560., sed re denuo perpensa, in eadem deinde Causa, ac sequenti *decis. divers.* 161. statuit, ordinatum ex coactione causativa ad continentiam non teneri. Idque confirmavit *in Leodien. Nullitatis Ordinis Subdiaconatus, seu decis.* 870. *cor. Emer. jun.* Eamdemque tenuerunt sententiam *Fagnan. in cit. cap. majores de Baptism. num.* 105., & *seqq.*, *Sanch. de matrim. disp.* 29. *num.* 5. *ad fin. tom.* 2., *Anaclet. in jucanon. lib.* 1. *tit.* 40. §. 6. *num.* 58., *Barbos. vot. dec.* 37. *num.* 3., & *seqq.*, *Pignatell. consult.* 77. *num.* 11., & *seq. tom.* 7, *Benedict. XIV. in instruct. pro Cophtis, in ejus Bullar. tom.* 1. *Constit.* 129. §. 21., & *Sac. hæc Congregatio in Namurcen. Dispensationis* 10. *Martii* 1731.

De passa per Oratorem coactione, judiciales quatuor deponunt Testes. Eum namque ad sacros ordines compulsum affirmant a militari Patre per diuturnas, asperasque relegationis minas, privatum in compedibus, jejuniisque carcerem, ac violentum equinæ caudæ tractum. Duplex accedit ipsius Patris epistola, cujus

character ob illius contumaciam recognitus fuit per Testes, altera scilicet anni 1770., in qua hæc ad Oratorem, in Curia Pezevas existentem, scripsit: *se voi subito non lasciate* [Forum nempe] *per riprendere la sottana, io vi farò strascinare dalle Corazze in Brescou. Non mancate il più presto. Io sarò il vostro carnefice*; & altera diei 12. maii 1776., in qua ita per dies ante ordinationem viginti fatus est: *se voi non seguiterete gli altri per essere Suddiacono, verrò io stesso a prendervi in Bester, attaccandovi alla coda del mio cavallo per strascinarvi fino a Paulhan, ove vi farò perire nel Granajo colli ceppi ai piedi facendovi stare in pane ed acqua.*

Ex iis porro censentur hujusmodi minæ, atque sævitiæ, quæ in constantem cadunt virum, per *Text. in cap. cum dilectus de iis, quæ vi metusque causa*, & *leg. nec timorem ff. de eo quod met. caus.*, *Pirri gh. in jus canon. lib.* 3. *tit.* 31. *num.* 120., *Pignatell. in cit. consult.* 77. *num.* 4. *tom.* 7., metumque incutiunt, qui consensum removet, & irritat actum, *Fagnan. in d. cap. majores num.* 94. *de Baptism.*, *Piton. discept.* 110. *num.* 3. *tom.* 4., & *Sacra Congregatio in Gratianopolitana Restitutionis in integrum* 15. *Decembris* 1770.. Nec levis etiam ponderis est judicialis ejusdem Patris confessio, *che veramente egli ha forzato il detto suo figlio*, ita ut *pare a pieno giusto, che la Curia Romana accordi la dispensa*, ad *Text. in can. præsens* 20. *quæst.* 3., *Barbos. vot. decis.* 77. *num.* 123. *lib.* 3., *Rot. cor. Emer. jun. decis.* 870. *num.* 13., & 14., & *Sac. Congregatio in citat. Gratianopolitana Restitutionis in integrum* 15. *decembris* 1770.

Pauca adversus hæc Defensor ordinis. Duos ex judicialibus notat Testibus, quod sint fœminæ, quodque harum altera dumtaxat de publico deponat ad equinam caudam tractu. Reliquos veluti de auditu ab Oratoris Patre, ex pervulgata spernit regula, vixque ad liberum suadendum consensum in ordinationem, prætermissam innuit coactionis querelam, posteriusque plurium annorum silentium. Ex hoc namque tacita desumitur accepti ordinis ratihabitio, *Pignatell. cons. canon.* 145. *num.* 40. *tom.* 1., *Rot. in recent. decis.* 370. *n.* 10. *part.* 9. *tom.* 2.. Ponderandum tamen ex constituto Oratoris, quod semper fuit *disperato di essere impegnato nel Suddiaconato*, & nunquam hac de causa acceptum ordinem exercuit; quodque viventis Patris timore

more siluit. Acquiescentia enim, & silentium non inducit consensum ordinati, quousque durat causa metus, ex quo ordinem accepit, *cap.* 1., *ibique gloss, verb. postmodum*, *de iis, quæ vi metuque*, *Barbos. vot. decis.* 77. *num.* 121., *Pignatell. consult.* 77. *numer.* 7. *tom.* 7., *Rot. cor. Emerix jun. decis.* 225. *num.* 7., & *decis.* 870. *num.* 17.

De secundo agens Dubio, æquam saltem dicit Oratoris Defensor dispensationem. Nisi coactio saue *causativa* nullitatem suadeat voti continentiæ, justa reputari posset dispensationis causa, ut præter citatam *decisionem de Grassis*, docent *Jo. Andreas in cap. majores num. fin. de Baptism.*, & *Wiesner in jus Eccles. lib.* 4. *tit.* 6. *art.* 1. *num.* 15., & Sacra hæc censuit Congregatio *in Ipren. Dispensationis* 16. *Decembris* 1719., *in Parisien. Dispensationis* 25. *Januarii* 1721., & *in Posnanien.* 11. *Maii* 1782. *ad II. Dubium*. Potissimum, quia de juvene agitur, qui in maximo versatur Animæ periculo, *Perez. de matrim. disput.* 27. *sect.* 11. *num.* 2., & 6., *Corradin. in prax. dispensat. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 27. & *seqq.*, *Card. de Luc. de matrim. disc.* 9. *num.* 5., *Ursaya discept. eccles.* 12. *num.* 19. & *seqq. tom.* 1. *part.* 1.

Paucis & hic, ne dispensatio concedatur, obsistit Defensor Ordinis, eaque regerit, quæ adversus coactionis probationes, silentiumque Oratoris, ad primum Dubium animadvertit.

Respondere igitur placeat.

I. *An Orator teneatur ad votum continentiæ, & ad alia onera Subdiaconatui adnexa in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu &c.*

Ad I. Provisum in secundo.
Ad II. Affirmative.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

NEPESINA DOTIUM. Testamento anni 1709. tot Constantinus Antonelli, Collegiatæ Ecclesiæ Campaneani Canonicus, inter pauperes annorum sexdecim puellas distribui jussit dotes scutorum viginti, quot annua, detracto legato scutorum decem pro utensilibus Altaris Sanctæ Mariæ Angelorum ejusdem oppidi, hereditatis reditus ferrent. Suas vero in minori, sed nubili ætate præferri voluit consanguineas, dotemque earum favore ad scuta evexit 40. Reservato hinc jure nominandi Antonio Basilitta, & Thomæ Curzj, eorumque successoribus, absque ulla inter extraneas, & consanguineas distinctione præscripsit, *che ogni anno, ed in perpetuo debbano cavarsi a sorte dette Zitelle colla presenza, ed assistenza di tutto il Capitolo di detta Collegiata nella vigilia di tutti i Santi dopo il vespero, e la mattina poi della Festa siano pubblicate dall'Arciprete nella Messa solenne*, nominavitque ad priora subsidia filias Christophari Basilitta, ejus consobrinas.

Post defunctum executorem testamentarium, dimissamque a substituto Capitulo pii operis curam, res tota ad Pium Salvi Antonii Basilitta proximiorem delata est. Quum autem hic hereditariis abuteretur bonis, idoneum idcirco Nepesinus Episcopus in Visitatione anni 1756 deputavit administratorem, qui dotes Puellis ab eo nominatis solvit. Continuavit in nominationibus abusus; ideoque Sacrę Congregationi supplicarunt oppidanæ Puellæ pro reintegratione Capituli ad dimissam administrationem, condiditqne Episcopus ex præscripto super administratione, nominatione, & distributione dotium capitula quinque. Jus priora duo respiciebant Capituli deputandi administratorem, modumque exercendæ administrationis.

Versabatur tertium circa Puellarum nominationem, quod nempe *affinche le doti si diano nella maniera e forma, che ordina il Testatore, sì dovranno obbligare li successori di Antonio Basilitta, quali hanno il dritto di nominare, ad esibire la nota delle Zitelle, che dovranno imbussolarsi, all' Arciprete della medesima Collegiata dentro il mese di Settembre, affinchè nascendo difficoltà di Zitelle non presentate, o pure che le presentate non avessero li necessari requisiti, si possa dentro il mese di Ottobre avanti di Noi, o del nostro Vicario Generale appurare, e sciogliere ogni dubbio, e difficoltà, e fare l'estra-*

l'estrazione di due, o più secondo il comodo del denaro, che vi sarà .

Quartum erat, *che riconosciuto al fine dell'anno il sopravanzo di detta eredità, e soddisfatto prima il legato delli scudi 10. alla Cappella, ed Altare della Madonna Santissima degli Angioli, se sarà sufficiente per una o più doti delle parenti del Testatore, e delli legittimi successori, si diano le doti a queste di scudi 40., ed un'altra di scudi 20., si facciano due Bussoli, uno delli Parenti, ed uno dell'estranee, e se n'estragga una per Bussolo.* Et in quinto demum servabatur Episcopo *anche, a tenore della pia disposizione del Testatore la facoltà di dichiarare secondo l'occorrenza qualunque altro dubbio, e controversia sopra della di lui ultima volontà, e di dare qualunque altro provvedimento sopra l'amministrazione della medesima eredità .*

Hisce conditis capitulis, collegialiter resumere decreverunt Canonici administrationem. Pius vero Salvi protestationem exhibuit, in qua omnia approbans in ea non expressa, declaravit *di voler presentare a questo Rmo Capitolo ad effetto di essere imbussolate a tenore del testamento, e de capitoli fatti da Monsignor Vescovo le Zitelle, che saranno parenti di detto Costantino Antonelli, sino al quarto grado inclusive, ed in mancanza di queste le altre Zitelle povere, e native di Campagnano tanto di Padre, che di Madre*; addiditque, *non intendendo però, che tutte quelle Zitelle parenti, che possono essere nominate, debbano pretendere di essere tutte insieme nominate, ed imbussolate, ma solamente quel numero di esse, che da me, e miei successori piacerà sufficiente a potersi fare l'estrazione .*

Rei examen commisit Sacra Congregatio clar. mem. Càrdinali Elephantutio, qui ita corrigendum censuit capitulum quartum, ut propinquæ semper Puellæ extraneas excluderent. Reliqua probavit, laudavitque; ac die 24. Augusti 1765. prodiit rescriptum: *Pro approbatione, moderato tamen quarto capitulo juxta votum Emi Elephantutii; & quoad postremum super facultate reservata Episcopo, intelligatur cohœrenter ad dispositionem Testatoris, & juris.* Assumpta igitur per Capitulum administratione hereditatis, vix una ad nominationem Pii Salvi sortita fuit Puella anno 1776., quum erogari debuerint reditus in dimittendum ex parte debitum scutorum 200., & ultra, ob annuum Capellæ

non

non solutum legatum scutorum 10. Et si fides præstanda est alterius dotatę viro, similis anno 1782, collata fuit dos absque sortitione. Reliquo tandem dimisso Capellæ credito, scuta ad totum annum 1788. supererant 48. 92., suaque propterea ex gente unam Canonicus Constantinus Salvi ad dotale subsidium scutorum 40. nominavit puellam Theodoram.

Ex jure hac de re egit Administrator hereditatis in Ecclesiastica Curia Nepetis, & duplex adversus Canonicum Constantinum obtinuit decretum, alterum die 20. Septembris ejusdem anni *pro traditione notulæ Puellarum ad formam decretorum Sacræ Congregationis*, ad effectum scilicet mittendi sortem; & alterum die 23. Decembris *pro observantia resolutionum ejusdem Sacræ Congregationis juxta votum Emi Elephantutii*; utrumque sub resolutiva, *alias impertitus fuit licentiam Rmo Capitulo Campaneani nominandi, seu præsentandi Puellas*. Vestrum de hisce decretis judicium imploravit Canonicus, terminumque Nepesinus Episcopus interesse habentibus prefixit ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione. Utraque nunc Parte informante, infrascripta proponuntur Dubia,

Nominandi modum respicit primum, num una nempe nominari valeat consanguinea vel extranea Puella, quæ statim dotem obtineat, vel plures, ut sortem subeant. Priorem Canonicus Salvi tuetur partem, ne per nominationem plurium, quæ a sortitione pendeant, inutile evadat juspatronatus. Neque in testamento rursus, neque in capitulis anni 1765. præscriptam dicit Puellarum omnium nominationem, quæ tamen si ad unam dumtaxat per injuriam restringatur, facultatem reliquis non adimit implorandi auctoritatem Judicis. Ac ponderandum denique rogat, nullum per nominationem unius, consanguineæ præsertim Puellæ, præjudicium ceteris irrogari, dum eam consequi poterunt sequentibus annis.

Secundam contra quæstionis partem urget Administrator ex volita in testamento, & capitulis sortitione. De hac namque perpetuo actum, si una nominari liceret Puella. Nullibi quidem scriptum est, quod nominentur omnes, sed demandata sortitio exigit plures, in quibus eligendis utilis est patronatus. Nec quidquam per sortitionem detrahi ait consanguinearum

pre-

prælationi. Quandoquidem de pluribus facienda est extraneis in earum defectum, ac salvum remanet ipsarum jus, si prælative sortiantur. Hic autem notat Administrator, impugnari Canonicum non posse sortitionem, quam Antonellius in testamento, Sacra in approbatis capitulis Congregatio, ac ipsius Canonici decessor Pius in protestatione voluerunt. Testatoris enim præceptum, & Sacræ Congregationis decretum servari debent ut leges, §. *disponat in auth. de nupt.*, *Garz. de benefic. in præfat. circ. med.*, *vers. & quod attinet*, *Rot. in recent. decis.* 321. *num.* 2. *part.* 10.; neque patris factum impugnare valet filius, ac per consequens heres, qualis est Canonicus, *leg. heres in omne ff. de acquir. heredit.*, *leg. nihil aliud ff. de regul. jur.*, *Piton. de controv. patron. allegat.* 24. *num.* 20. *Rot. coram Molin. decis.* 1294. *num.* 5.

De secundo agens Dubio, nullam aliam Canonicus de tempore expletæ nominationis Theodoræ comparuisse asserit consanguineam Puellam, quæ collationem dotis impedire potuerit; ac duplicem memorat nominationis casum absque sortitione, alterum nempe anni 1732. ante condita capitula, alterumque anni 1782., retento intermedio anni 1776. Alia vero ex parte Administrator probat, alias esse consanguineas, & nubiles Puellas decem, quæ ex testamento, capitulis, & Sacræ Congregationis decreto jus habent ad sortitionem.

Respondere igitur dignentur Emi Patres.

I. *An, & quomodo sint conferenda subsidia dotalia in casu &c.*

II. *An sustineatur nominatio Theodoræ Salvi in casu &c.*

Ad I. Subsidia dotalia conferenda esse per sortes ad formam rescripti Sacræ Congregationis 24. Augusti 1765., & amplius.

Ad II. Negative, & amplius.

FERE-

Sess.5. cap.2. , & sess.24. cap. 4. de Reform.

FERETRANA JURIS PRÆSENTANDI CONCIONATOREM. In pervetusta Carpinei Communitas est quasi possessione præsentandi quadragesimalem Concionatorem, cui congruum subministrat stipendium. Mense igitur martio elapsi anni 1789. Feretrano præsentavit Episcopo regularem Sacerdotem Carolum Antonium Manfredi minorem Conventualem pro novissima quadragesima. Post aliquot menses muneri renunciavit præsentatus, nominavitque ex eodem Ordine Communitas die 10. subsequentis decembris P. Angelum Gasparri. At devolutum sibi autumans jus deputandi Concionatorem ob renunciationem prioris præsentati, admittere noluit Episcopus secundum, causamque dedit Communitati, cur post emissam in actis Curiæ Episcopalis protestationem, Sacram hanc ad eum cogendum adierit Congregationem. Plura ipse in informatione, ad suam tuendam jurisdictionem, ex Episcopali jure, synodali lege, & consuetudine animadvertit, atque ita demum concludit:

Ex huc usque igitur inscriptis nimis erronea videtur Carpinei Communitatum prætensio, quæ si eis faveret, & aliæ Communitates jure merito insurgerent, quum in hoc in nullo discrepent abillis; tuncque synodales sanctiones, decreta SS. Congregationum, consuetudo, & jus Episcopi in nihilum converterentur. Jus & consuetudo, quæ vigere usque a transacto sæculo, & per sex supra centum quadraginta annos continuata, & quorum Prædecessores mei scrupulosi fuerunt semper servatores, freti synodalibus sanctionibus, & quidem priscis. Absit itaque, Deusque avertat, quod ego neque fuerim suspicatus, ut EE. Vestræ, quarum recta fulget in omnibus justitia, irrationabilem Communitatum Carpinei petitionem adversus tot clara, patentaque monumenta sint admissuræ. Quæ ego sum operatus, mea exegit conscientia.

Ex veteri siquidem disciplina, Evangelicæ prædicationis officium ad Episcopos pertinebat, veluti ad Animarum Pastores, Fidelium que Magistros, *ex epistola 1. cap.6. Divi Pauli ad Corinth.*, alteraque *ad Tit. cap.1. vers.3.* Qua de re prædicationem dixerunt Tridentini Patres *præcipuum Episcoporum munus*, eamque fieri decreverunt per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ut *in sess.5. cap.2. de reform.*, quam exornat

Van-

*Van-Espen in jus Eccles. univers. part.*1. *tit.*16. *cap.*7. §.3., sacro præsertim Adventus, & Quadragesimæ tempore, juxta *sess.*24. *cap.*4. *de reform.*, *Barbos. de offic.*, *& potest. Episc. allegat.*76. *num.*3., *Ferrar. vers. Prædicator num.*4. *& seqq.* Et hac sane de causa servatur adhuc in illorum consecratione formula illa = *Accipe Evangelium, vade, prædica Populo tibi commisso.*

Ob auctum vero sequioribus sæculis Animarum pondus, munus illud explere consueverunt per alios, quorum deputatio ad Episcopalem pertinet jurisdictionem *ex cap. inter cetera de offic. Ordinar.*, *Barbos. de offic.*, *& potest. Episc. cit. allegat.*76. *num.*8. *& seq.*, *Pignatell. consult.*206. *num.*35. *tom.*4., *Ducass. de jurisdict. ecclesiast. cap.*7. *sect.*4. *num.*1. Si quæ tamen inferioribus est consuetudo nominandi Concionatorem, servari debet, dum eam *Tridentina Synodus* non sustulit, ut Sacra hæc definivit Congregatio *in Theanen.* 19. *Junii* 1728. *ad I. Dubium*; & in hoc casu, qui jus habent nominandi, eum præsentare debent Episcopo, vel mense novembri, ut censent *Monacell. form. legal.*7. *num.*1. *tit.*12. *tom.*1., *Nicol. in flosc. verb. Prædicator num.*1., *Pignatell. dict. consult.*206. *num.*5. *tom.*4., vel ante Festum Nativitatis Domini, secundum *Ursay. discept.*20. *num.*6. *tom.*2. *part.*2., *Card. Albic. de inconstant. in Fid. part.*2. *cap.*2. *num.*167., *Panimoll. decis.*91. *annot.*2. *num.*15., vel pluribus etiam ante Quadragesimam mensibus pro variis Diœcesum constitutionibus; quo tempore elapso, ad Episcopum pro ea vice nominandi jus devolvitur, *Monacell. in supplem. ad tom.*1. *part.*2. *num.*110., *& Sacra Congregatio in Aquilana* 20. *Decembris* 1739. *ad IV. Dub.*

Ex hisce Canonici juris regulis facile jus deputandi Concionatorem ad innatam suam jurisdictionem redire censet Episcopus, si intra legitimum tempus expleta non sit præsentatio. Idque evenisse ait quoad Communitatem Carpinei ex synodali Feretranæ Diœcesis constitutione. In ea namque servatur Communitatibus jus nominandi, *dummodo hæc nominatio mature fiat, & notificetur Nobis ante expletam octavam Corporis Christi, si in tali termino Communitates eorum nominationem nostræ Curiæ indicare solebant, vel octava Epiphaniæ non absoluta*, si *Communitates sic consueverant nominationem prædictam Nobis facere*,

notam ; *quibus terminis expletis* , *nominationem non attendemus* , *nec attendere debemus* . Ex hac profecto Constitutione infert , Communitatem Carpinei , quæ intra octavam Corporis Christi nominare consueverat , secundum Concionatorem die 10. decembris extra terminum nominasse , factumque idcirco fuisse locum resolutivæ synodalis legis . Ac septuaginta tandem & ultra ex Concionatorum regestro affert deputationis casus in similibus renunciantium terminis , quorum epocha , ab anno incipit 1771. , pluresque addit Testes de eadem consuetudine deponentes .

Sedulo contra animadvertendum rogat Communitas , primam Manfredii præsentationem , intra legitimum synodalis legis terminum expletam , sarctum ei tectumque servasse jus subrogandi ob illius renunciationem Concionatorem alterum , per *Text. in cap. si electio* 26. *de elect. in sexto* , ibi = *Si electio ex eo non sortiatur effectum* , *quia electus consentire recusat* , *vel post consensum renuntiat juri suo* , *aut forte diem claudit extremum* , *Electores* , *qui jam fecerant* , *quod spectabat ad ipsos* , *infra juris terminum eligendo* , *habebunt a dissensu* , *renunciatione* , *morte* , *ac si vacatio nova esset* , *tempus integrum ad electionem aliam celebrandam* , *dummodo nil fraudolenter egerint in præmissis* ; quem sequitur *Monacell. form. legal.* 8. *num.* 4. *tit.* 13. *tom.* 1. in hæc berba : *Concionatores præsentati ab iis* , *qui jus habent nominandi* , *si post præsentationem Ordinario factam renuncient*, *vel ex alio impedimento prædicare non valeant*, *non præjudicant Electoribus*, *sive nominantibus quin valeant alium Concionatorem nominare* , *& presentare* , *si hoc faciant tempore congruo* , *& sine fraude* .

Num autem secundam fecerit præsentationem *tempore congruo* , EE. Vestrę decernent . Si eam porro ob seram renunciationem facere non potuit primo octavæ Corporis Christi tempore , fecit saltem ante secundum Epiphaniæ , ac nedum sine fraude , sed absque ulla etiam culpa . Nemo enim in his terminis suo privari debet jure , *Monacell. form.* 7. *num.* 2. *tit.* 12. *tom.* 1. , magisque æquitas , quam juris servari consuevit rigor, a Sacra præsertim Episcoporum , & Regularium Congregatione in *Narnien.* 24. *Februarii* 1612. *apud Pignatell. consult.* 206. *num.* 54. *tom.* 4. , *& in Ariminen.* 8. *Februarii* 1686. *apud Monacell. loc. citat.* Maxime, quia stipen-

stipendium Concionatori præbet Communitas, ac majorem idcirco æquitatem mereri posset. Idque hodiernus ipse probasse videtur Episcopus, dum in antiqua confirmanda synodali lege addidit anno 1779. *hac in parte desides* (non inculpabiles) *a jure suo decidere nolumus.*

Negligendam postremo contendit Communitas recentem Episcopi observantiam, quia neque ex regestro Concionatorum, neque ex Testibus constat, expletam a nominantibus fuisse secundam nominationem, & congruo tempore; eaque non obstante, secundos Episcopum deputasse Concionatores. Facultativæ siquidem istæ deputationes absque contradictione, & acquiescentia, legitimam non constituunt consuetudinem, *Text. in cap. fin. de consuetud. in sexto, Bellett. disquisit. clerical. part.* 1. §. 3. *num.* 35., *& Sac. Congregatio in Placentina* 15. *Septembris* 1777. *ad* III. *Dubium.* Duplex immo affert secundæ præsentationis exemplum, alterum scilicet 1738., quo ob renunciationem Sacerdotis Francisci Ferrini, admissus ab Episcopo fuit Canonicus Torri ab ea subrogatus; & alterum anni 1781., quo idem respectu ad Communitatem S. Leonis evènit.

Dubium est.

An nominatio quadragesimalis Concionatoris, ob illius renunciationem extra prefinitum terminum, devolvatur ad Episcopum, seù potius sit locus novæ præsentationi in casu &c.

Negativè ad primam partem; affirmativè ad secundam.

FANEN. CAPELLANIÆ. Alexander Pilj instituit anno 1774. Joannem Baptistam, & Magdalenam conjuges Carradorini heredes in usufructu, jussitque, *che durante l' usufrutto di essi, e non più oltre si facci celebrare una Messa quotidiana nella Chiesa del SS. Suffragio all' Altare privilegiato, qual peso dovrà terminare* do-

Sess. 22. *cap.* 6. *& sess.* 25. *cap.* 4. *de reform.*

dopo la morte di ambedue gli Eredi usufruttarj, e non dovrà passare al mio Erede, o Eredi proprietarj. Fiduciarios vero scripsit Comitem Joannem Gastonem Marcolini, Equitemque Vincentium Corbelli, voluitque, quod *alla spiegazione della mia fiducia, ed intenzione ad essi confidata &c. per essere detti Signori Eredi fiduciarj a pieno intesi della totale mia volontà, tanto rispetto all' erede, o eredi proprietarj, che a tutt' altro da me ad essi confidato, e che saranno i medesimi per dichiarare in mio nome &c. gli si abbia tutta la fede, e venga tutto ciò, che sarà da essi dichiarato, ed ordinato puntualmente eseguito.*

Præ ceteris igitur declararunt anno 1776. Fiduciarii, quod post usufructuariorum obitum *dovessesi da detti Signori Eredi fiduciarj prima di tutto pensare ad assicurare una Messa perpetua in suffragio della di lui anima, de' suoi Parenti defonti, e di quella de Conjugi Carradorini nella Chiesa detta del Crocifisso di S. Francesco d'Assisi, separando dalla di lui Eredità, assegnando, e somministrando quel fondo maggiore, o minore, che da detti Signori Eredi fiduciarj sarebbesi giudicato, conveniente, e proporzionato all' adempimento di questa precisa sua volontà, con riservare il jus padronato a favore degl' istessi Fiduciarj*; quodque proprietarii heredes *di tutto ciò, che sarebbe rimasto dopo l' assegnazione del fondo*, proximiores essent consanguinei. Quoniam vero hæredibus fiduciariis supervixerunt Conjuges Carradorini, morte hinc præventi, capellaniæ dotem constituere non potuerunt.

Delata per obitum Carradorinorum hereditate ad Sacerdotem Antonium Massi, ejusque Sorores, legem ipsi urgebant testamenti, quod onus Missæ quotidianæ *non dovrà passare al mio erede, o eredi proprietarj*, ne ad quotidianam tenerentur Missam; sed obsistentibus fiduciariorum heredibus, scuta tandem pro illius fundo obtulerunt mille, Vestramque in id auctoritatem imploraruntAt rem modo fiduciariorum heredes in pristinum revocantes, a supremo EE. VV. judicio malunt omnino dependere.

Satis, contra votum synodalis Revisoris, non esse dixit Fanensis Episcopus scuta mille pro congrua capellaniæ dote, tum quia difficile in ejus Diœcesi Sacerdotes inve-

veniuntur, qui Missam celebrent cum eleemosyna obulorum 10., tum quia imminutioni fructuum obnoxia sunt prædia, in quibus oblata investienda esset summa, censuitque, augendam esse ad scuta 1150., *ut & Capellanus minus difficile reperiatur, & si quæ prædio jactura contingat, compensari queat.*

Ad confirmandam celebrationis difficultatem cum eleemosyna obolorum 10., recentiora in secunda informatione adduxit exempla, duplicis nempe capellaniæ, *quarum alteri aliquo ab hinc tempore non satis fit, quod nullus Sacerdos neque ex sæcularibus, neque ex regularibus, qui onus hoc suscipiat, reperiatur; alterius vero ideo adimplentur onera, quod nonnullis Regularibus sua in Ecclesia celebrandi facultatem fecerim quousque vel occurrat Sacerdos, qui ad Ecclesiam a Testatore præscriptam celebratum ire velit, aut aliquam a Sacra Congregatione providentiam patroni consequantur*; idque tribuit Missarum adventitiarum copiæ cum eleemosyna obolorum duodecim, quindecim, viginti, & quandoque etiam vigintiquinque. Synodalem taxam obolorum 20. tunc locum habere ait, *quando de oneribus agitur, perpetuo piis locis imponendis*, ab eaque decessores recessisse Episcopos, *qui modo leviorem taxæ Benedictinę regulam sunt sequuti, modo ut pia loca pro manuali tantum unius julii stipendio perpetuum onus susciperent, annuerunt*: Atque hinc conclusit, utramque taxam non habere locum in laicali, de qua agitur, capellania, sed *nostris hisce temporibus manuali, etiam certo, unius julii stipendio hujusmodi capellaniæ commodo, & perennitati non prospici.*

De suo in id Emus D. Cardinalis Borgia rogatus voto, mere præ omnibus laicalem, manualemque arbitratur capellaniam, ob non demandatam illius erectionem, simplicisque quotidianæ Missæ onus Laicis impositum; ideoque censet neque ejus respectu synodalem, neque Benedictinam taxam locum habere posse. Par oneri autumat fructus scutorum 1000., quum juxta testimonium Periti, & Revisoris synodalis, annua in prædiis reddere possent scuta quadraginta, quorum trigintasex pro Missarum eleemosyna, quatuor pro utensilibus. In dubium revocat difficultatem inveniendi Celebrantes ad manualem, ob contrariam attestatio-

stationem Sacristarum Fanensium septem. Gravandos propterea non arbitratur *proprietarios heredes ultra summam scutorum mille, habita scilicet ratione juris, quod remittunt, quodque, experiri non sine magna spe victoriæ possent contra ipsam, & omnimodam legati pii existentiam. Existentia enim legati non in expressa testamenti litera fundamentum habet, sed in declaratione fiduciæ, ad quam evertendam maximi momenti præjudicium afferre posse mihi videtur satis patens, quæ sese legentibus offert, contradictio testamentum inter, & fiduciam.*

Neque officere ait, *quod Testator voluntatem mutare post conditum testamentum potuerit. Fiducia enim ante testamentum communicata fuit, ipsique fiduciarii in actu declarationis eam sese explicare fiduciam profitentur, quam ipsis communicaverat Alexander Pilius ante testamentum.* Atque hinc concludit, *salvo semper meliore ac sapientiore EE. Vestrarum consilio, decernendum esse, ut dos legato pio ex hereditario asse constituatur in sorte scutorum mille, quæ ab heredibus heredum fiduciariorum collocari in prædiis debeant, reservato dictis heredibus patronatus jure ad formam fiduciæ; ex fructibus autem tot per Capellanum amovibilem celebrari Missas, quot consueta erogata stipe Missarum manualium celebrari poterunt.*

Quid igitur pro expiratione urget legati, vel ejus qualitate, & constitutione fundi scutorum mille, ex disertissimo habetur Emi Relatoris voto. Ea nunc de more notanda, quæ singulis adversantur. Ubi conciliari possunt, una alteram non destruit dispositionem, per *Text. in leg. ubi repugnantia* 149. *ff. de reg. jur.*, *Averan. interpret. jur. lib.* 5. *cap.*9. *num.*11., *& seq.*, *Polit. de fideicomm. disert.* 105. *num.* 6. *& 7. tom.* 2. Ita autem conciliandum videtur testamentum cum fiducia. Impositum testamento fuit Missarum onus usufructuariis absque designatione fundi, ideoque tanquam personale, transire non debebat ad proprietarios. Ex fiducia vero est reale, ob volitam separationem fundi ab hereditate priusquam proprietarii eam capiant, & sic ad illos non transit. Ex hoc sane, quod hujusmodi separationem fiduciariis demandaverat Testator, cavere debuit testamento, ut immunes essent proprietarii ab onere usufructuariis imposito, ne legatum scilicet in reale, & personale duplicaret.

Qua-

Quatenus igitur Emi Patres vigere censeant legatum, ponderari posset quoad ejus qualitatem, a qua pendet eleemosynæ, & constituendi fundi quantitas, quod res est de perpetuo, & nondū instituto Missarū legato cum destinatione fundi, quem voluit Testator, *conveniente, e proporzionato all'adempimento di questa sua precisa volontà*. In his sane terminis eleemosinam dimetiri consuevit Sacra Congregatio ad taxam perpetuæ, ut *in Romana* 27. *Febr.* 1734. *lib. decr.* 84. *pag.* 120. *terg.*, *in Lucana Applicationis Missæ quotidianæ* 12. *Febr.* 1735. *& in Fanen. Reductionis Missarum* 14. *Febr.* 1761. Quidquid præterea Fanenses dicant Sacristæ, difficillima est testimonio Episcopi celebratio Missarum ad manualem, ob hujusmodi Missarum copiam cum ampliore eleemosyna; et Testator contra per os heredum fiduciariorum præscripsit, quod *dovessesi da detti Signori Eredi fiduciarj prima di tutto pensare AD ASSICURARE una Messa perpetua in suffragio della di lui Anima*, Sua hinc EE. Vestræ judicent prudentia, num satis sint ad constituendum legati fundum scuta 1000. ab Oratoribus oblata, vel 1150. juxta votum Episcopi, seu potius 1500. ad taxam Concilii Romani, vel 2000. ad taxam perpetuæ, juxta Constitutionem *nuper* Innocentii XII. §. 10., & rescriptum Sacræ Congregationis *in Romana diei* 5. *elapsi Junii*,

Quæritur itaque.

An, quomodo, & pro qua summa sit constituendus fundus legati Missarum in casu &c.

Non proposita cum sequentibns.

ARIMINEN. ERECTIONIS PAROCHIÆ. Relata fuit hujus Causæ species in Folio diei 18. Julii elapsi anni sub duplici Dubio; I. *An, & quomodo sit locus erectioni novæ Parochiæ in casu &c.* Et quatenus negative; II. *An & quomodo sit providendum in casu &c.*, Atque in posteriori Congregatione diei 8. Augusti hæc pro- *Sess.* 21. *cap.* 4. *& 5. de reform.*

prodierunt rescripta . Ad I. *Dilata* , & *audiantur Ministri Datariæ* : Ad II. *Dilata* , & *scribatur Episcopo juxta instructionem* , ut nempe referret super novis Cameranensium precibus = *Auditis præsertim Parochis Podii Hibernorum* , *Ciolæ Cornialis* , & *SSmi Salvatoris super divisione Animarum inter binas ultimas Paræcias* , nec non Sacram Congregationem instructam redderet *de earumdem proximitate* , & *commodo Incolarum* , *de modo repartiendi* , & *de annuo emolumento* , *quod Rector Beneficii Capellano subministrat*. Ad primum ergo dubium plura ex facto & jure notant Ministri Datariæ , quorum votum de more eruditissimum , quamvis longiusculum , ex integro referendum videtur , ut quæ sit eorum opinio ad unguem accipiant Emi Patres .

Jussibus parentes (inquiunt) *animadvertimus* , *satis liquere de legitima causa propositæ erectionis* , *ob distantiam* , & *frequens præsertim hyemali tempore præ aquarum copia impedimentum itineris ad nunc extantem Parochiam* , & *ex Positione resultantibus constare*, *persæpe Incolas impediri Ecclesiam parochialem adire*, & *Parochum ad illos occasione infirmitatis pro administratione Sacramentorum sine periculo* , *aut magno incomodo aut opportune accedere non valere* . *Legitimitatem hujus causæ pro dismembratione* , & *respective pro novæ Parochiæ erectione palam fecit Concil. Trident. sess.* 21. *cap.*4. , & *antea Textus in cap: ad audientiam de Eccles. ædific· Estque de Sacræ hujus Congregationis sententia* , *quam probant resolutiones allegatæ in Ripana Beneficii* 17. *Junii* 1775. §. *Aut petuntur* ; *Et etiam Sacræ Rotæ juxta omnium Canonistarum doctrinam* , *ut in Melevitana Nullitatis dismembrationis* 17. *Maii* 1782. §.8. *cor. R.P.D. Lancellotto* .

Id tamen frequenter fieri solet , *Populo novam erigi Parochiam ob relatam causam postulante* , *dotem pro nova Parochia erigenda assignante* , *Card. de Luca de decim. discurs.* 12. *num.* 8. *Obstat hic Populi paupertas* . *Tunc doti novæ Parochiæ occurrere deberet Parochus* , *a quo æque ac necessitate urgente* , *onus ita* & *fructus* , *dismembrandi essent* , *si quos abundanter percipiat* . *Id an vel non concurrat*, *ignorantia redituum Parochiæ adhuc incertum est* . *In subsidium ad dotationem novæ Paræciæ Episcopus teneretur* , *Monacell. in formul. legal. pract. Eccles. tit.*2. *adnot. ad formul.*3. *num.* 11.

In

In casu de erectione agitur extraordinaria, per Beneficiorum unionem, quæ odii plena reputatur, cum illius titulus supprimendus veniat, idque fieri nequit, nisi consulto SSmo Domino Nostro, ut advertit Rota in allegat. Melevitana Anni 1782. §. 9. Agitur enim de reservatione ob officialitatem, clausa in corpore Juris, sub dispositione alterius cap. 5. Concil. Triden. loc. citat. non comprehendi solita: & nisi quæ sunt præjudicata ordinaria media omnino impraticabilia esse doceatur ex rationabili causa, quæ modo ignoratur, gratia concedi non solet. Attamen si SSmo gratiam suppressionis, & respectivæ unionis beneficii elargiri placeat, quum hæc operativa esset nunc pro tunc, cum vacare contigerit, interim veluti in administratores & commendatarios designari possent respectivi Rectores Ecclesiarum ab Episcopo indicatarum. Sed illius respectivi Rectores audiendi essent, an onus subituri forent, item super modo partiendi unius Gregis curæ attributionem, & cum eis de mercede, & a quonam rependenda cum esset præventivè tractandum. Recurrit hic necessitas hæc præmittendi ad quamcumque resolutionem SSmo referendam super beneficio supprimendo, ac respective in dotem futuram novæ Parœciæ assignando.

Hoc autem in casu extraordinario, si nempe erectio fiat ex beneficio liberæ collationis, vim intellectui faciunt conditiones honoris à Parocho propositas, debitas quidem de jure, in casu tamen ordinariæ dismembrationis, de qua, & quibus respective loquitur Textus in cit. cap. ad audientiam de Eccles. ædifican., non ubi ad dotem novæ Parœciæ minimè ipse concurrat, ut advertit Monacell. loc. citat. numer. 25.. Et ponderandum semper superesset, beneficium Sacris celebrandis diebus omnibus festis gravatum esse. Quomodo nam Parochus huic implebit oneri, qui obligatione tenetur Missam applicandi pro Populo? ut derivativè a Levit. 9. = Accede ad Altare, & immola pro peccata tua, offer holocaustum, & deprecare pro te, & pro Populo = sancivit Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. de reform.. Et applicationem obligatam esse pro Populo diebus festis sive Parochi habeant congruam, sive non, & sive sint amovibiles, sive perpetui, constans fuit affirmativa usque adhuc hujusce Sacræ Congregationis sen-

tentia, uti habetur ex resolutionibus allegatis a Monacell. tom. 1. pag. 32. num. 4. & tom. 2. pag. 219. numer. 18. & tom. 4. pag. 101. sub num. 121. . Et hæ resolutiones fuerunt ab Innocentio XII. confirmatæ, Clericat. in discord. forens. discord. 29. de benefic. sub num. 43. Hæc dixisse Ministri Datariæ profitentur quatenus venerabundo EE. VV. judicio arrideant,

Hæc vero quoad secundum Dubium Episcopus : *Oportet sane, ut Populi Camerani trans fluvium Rubiconem degentis positura magis clare ante oculos habeatur. In planitie Camerani trans Rubiconem duæ habentur Villulæ. Altera ex his prope fluvium, & non longe ab Ecclesia Camerani assurgens, ex decem, vel duodecim Familiis coalescit. In parte autem orientali, & aquilonari hujus Villulæ duodecim visuntur rurales domus, quæ præ ceteris distant à Parœcia Podii Hibernorum. Altera Villula multum à prima occidentem versus dissita, atque ex sexdecim Familiis composita, Castrum Camerani vulgo solet, seu improprie nuncupari. Huic quoque Villulæ, seu Castro quædam sunt domus campestres hic illic in agris ad occidentem adhuc magis positæ, quæ ad illam quodammodo pertinentes Ciolæ Corniali multo sunt proximiores,*

Castrum Camerani remotiorem habens Ecclesiam parochialem SSmi Salvatoris de Canonica, æque distat à Ciola Corniali, ac à Plebata Podii Hibernorum, & si fluminis impedimentum excipiamus, æque pariter ab illa adversus Ciolæ Cornialis Parœciam, cui nullo flumine sejunctæ, ac minori difficultate adeundæ addici utiliter possunt Ruriculæ omnes, illa in plaga degentes. Ruriculis vero, qui ad orientale illius latus, seu in Villula Ecclesiæ Camerani proxima, seu in campestribus casis habitant, sicuti nonnullis magis brevem, ita omnibus multo faciliorem præbet accessum ad Ecclesiam SSmi Salvatoris, quam propterea non sine magno commodo pro eorum Parochiali habebunt. Divisioni hujusmodi libenter subscribit Parochus Podii Hibernorum, qui hac super re de sua sententia per me requisitus, deque bono Animarum Camerani sollicitus, scripto declaravit, se ratum habiturum quodcumque remedium spiritualibus Popoli illius indigentiis Emæ Vestræ paraverint; dummodo tamen nullum exinde oria-

oriatur præjudicium suis, suæque Ecclesiæ Plebaiæ juribus, alias cautis. At Parochi Ciolæ Cornialis, & SSmi Salvatoris pari modo requisiti, responsione in scriptis pariter data protestati sunt, se partem Populi Cameranensis nolle prosus sub eorum Curam recipere, nisi præter incerta emolumenta, certum emolumentum annuum scutorum ad minus 25., utrique eorum absque ullo ejusdem Populi gravamine attribuatur, quo possint idoneum Capellanum respective conducere, atque hujus ope novo oneri satisfaçere.

Quamvis porro inficiari nequeat, præfatam divisionem utilem futuram Camerani Incolis, quibus generatim loquendo, expeditior quidem, & nullo unquam tempore interceptus erit ad novas Parœcias accessus; certum tamen est, quod longe utilior iis accidet novæ Parochiæ erectio in Ecclesia, & ex beneficio S. Mariæ de Camerano, ut in votis habent, facienda. Hanc enim Ecclesiam quasi mediam inter eos existentem, maxima pars Populi valde proximam habet, & iidem ipsi ruriculæ, qui remotiores inde sunt, facile adire poterunt. Nil propterea mirum, si novis suis precibus divisionem respuit Camerani Populus, novæqne Parœciæ cupiditate impotentius affectus pro illius erectione enixis verbis, ac suspiriis iterum atque iterum instat.

Innuendum mox foret stipendium Capellano subministrari solitum. Attamen nil certi ad rem colligere ex facto licet. Plurimis enim ab hinc annis in more habuerunt Rectores beneficii, universa hujus bona Capellanis locare, atque inter locationis onera tum Ecclesiæ, ac suppellectilis manutentionem, tum satisfactionem Missæ festivæ recensere. Morem hunc sectatus hodiernus Rector, similem cum suo Capellano inivit locationem. Recurrendum est itaque ad Diœcesis universæ consuetudinem, quæ una normæ in re, de qua agitur esse poterit. Fert autem consuetudo, ut Sacerdoti Missam sine applicatione per dies festos celebranti julius unus monetæ Romanæ pro sola præsentia solvatur; quod proinde stipendium stare dicendum est Capellano Camerani ad solam præsentiam obligato. Capellanis vero, Animarum curam gerentibus, julius unus quotidie, & julii duo pro singulis diebus Dominicis, & festis solvi ex consuetudine solent, etiamsi per hos festos dies Missam non applicent. Si proinde res sit de erectione

suis loco, & tempore effectum habitura, & ope Capellani interim providendum, par emolumentum, sive ex Populo, sive à Beneficiato, & Locatario, sive utrinque comparari debebit Capellano.

His itaque perpensis, ac resumpto Folio diei 18. Julii elapsi anni, deliberandum erit.

I. *An, & quomodo sit locus erectioni novæ Parochiæ in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo sit providendum in casu &c.*

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

NARNIEN. Quum clar. mem. Cardinalis Joseph Sacrl. pante Cathedralem Narniæ Ecclesiam ære suo ornasset, grati idcirco animi causa annuam ei Capitulum tum viventi, cum defuncto decrevit anno 1703. solemnem Missam, acceptaque capitulari resolutione, celebrationis dies statuit ipsemet Cardinalis, diem nempe festum S. Josephi quousque viveret, deindeque anniversarium ejus obitus. Verisimiliter promissa servarunt Canonici vivente Purpurato, licet non constet. Nunquam vero ab ejus obitu anniversarium celebrarunt, penitusque ipsorum seniores assumptum onus ignorabant, cum Marchiones Philippus, & Joseph Sacripante, Cardinalis pronepotes, per exhibitionem antiquæ resolutionis capitularis, illius memoriam excitarunt. Re igitur cognita, Sacram hanc adierunt Congregationem, ut de validitate obligationis Emi Patres decernerent, num veteres scilicet Capitulares obligare potuerint successores.

Negant ipsi, *facultatem habuisse assumendi onus perpetuum in præjudicium successorum absque ulla superioris licentia, & approbatione.* Fratres contra Sacripante absolvendos censent Canonicos quoad præteritum, *attenta bona fide, quæ desumitur ex ignorantia suscepti oneris*, damnandos vero ad implementum oneris quoad futurum, *non obstante defectu licentiæ*

Su-

Superioris, tum quia agitur de obligatione admodum tenui unius Missæ quotannis celebrandæ per actum. serium, & capitulariter assumptum; tum quia hujusmodi obligatio justa, ac rationabili de causa videbatur assumpta. Dum hæc ex ipsorum ore refert Narniensis Episcopus, descriptam esse testatur resolutionem anni 1703. in libris Capituli; nullum vero ejus observantiæ monumentum. *Adhibitis enim diligentiis in tabellis, ac libris Missarum, nullibi descriptum hujusmodi onus reperitur*. A ferendo se abstinet suffragio.

Cathedralia præ ceteris Capitula suscipere prohibentur perpetua Missarum onera *sine Episcopi, vel ejus generalis Vicarii consensu, & licentia in scriptis*, ex decreto *Urbani VIII.*, de quo apud *Girald. in jus Pontif. summ. Constit. Apost. sect.* 67. §. 8. *tom.* 3. *part.* 2. In nostro autem themate non constat, susceptum à Narniensi Capitulo fuisse perpetuum anniversarii onus de licentia Ordinarii. Nulla ergo videri posset capitularis resolutio, etiamsi decretum *Urbani* non irritet actum, *cap. nimia, de religios. dom., cap. quæ contra jus, de reg. jur. in sexto*, *Fagnan. in cap. cum accessissent, num.* 14. *de Constit.*, ibi = *Actus gestus contra prohibitionem legis est ipso jure nullus, licet lex ulterius non procedat irritando actum. Sufficit enim, Legislatorem tantum prohibuisse, ad hoc ut ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis habeantur*.

In eodem contra decreto certa sæcularibus Ecclesiasticis imponitur pœna, ut nempe *qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso*. Ubi de pœnali siquidem agitur lege, validus reputatur transgressionis actus, licet illicitus, & punibilis, *gloss. in clement.* 1. *verb. inhibentes, de jurepatr.*, *Rot. in Recent. decis.* 34. *sub num.* 2. *par.* 1. Consensus præterea, & licentia Episcopi, vel ejus generalis Vicarii, quæ in assumptione anniversarii ab initio defuit, suppleri ex justa causa posset ab hac Sacra Congregatione, per *Text. in cap. Ad audientiam in fin. de Eccles. ædificand.* Causa autem promittendi anniversarium beneficia fuerunt pii Cardinalis, qui plurimum in ornanda Cathedrali liberaliter impendit. Secum igitur Emi Patres reputent, num ferre debeant

Ca-

Capitulares successores levissimum anniversarii onus, quod ex tali causa decessores assumpserunt. Tenerentur profecto ad dimittendum etiam alienum æs, quod ob necessitatem Ecclesiæ (in qua erat Narniensis) contraxissent, *cap. hoc jus*, §. *& his creditor* 10. *quæst.* 2., *& cap. quod quibusdam, de fidejuss.*, *Fagnan. in cap. ad hoc, sub num.*6. *de solut.*

Deliberandum itaque: *An sit locus celebrationi anniversarii in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 18. *Septembris* 1790. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

FANEN. CAPELLANIÆ. *Sess.22. cap.6. & Sess.25. cap. 4. de Reform.*

An, quomodo, & pro qua ſumma ſit conſtituendus fundus Legati Miſſarum in casu &c.

Affirmative, aſſignato fundo ſcutorum 1500.

ARIMINEN. ERECTIONIS PAROCHIÆ. *Sess.21. cap.4. & 5. de Refor.*

I. *An, & quomodo ſit locus erectioni novæ Parochiæ in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo ſit providendum in casu &c.*

Ad I. Affirmative ex nunc pro tunc, reſervato tantum favore Parochi Podii jure ſubminiſtrandi Olea Sancta.

Ad III. Providendum eſſe interim conſtituto Capellano curato, à Beneficiato eligendo, & ab Epiſcopo approbando, aſſignata eidem congrua inter Epiſcopum, & Beneficiatum concordanda, & ad D. Secretarium cum Sanctiſſimo.

NARNIEN. *Ses.24. cap.12. de Reform.*

An ſit locus celebrationi Anniverſarii in casu &c.

Affirmative,

BRI-

Sess.24. cap.1. de Reform.matrim.

BRIXINEN. CANONICATUS. Dum clericus Joannes Nepomucenus de Spaur, Salisburgensis, & Brixinensis Capituli Canonicus, apud Comitem Franciscum ejus patrem Wetzlariæ morabatur, Blasbachum petiit cum Leopoldina de Sayn & Wittgenstein calvinista, ibique ei die 28. Maii 1781. coram Luterano Parocho nupsit. Wetzlariam deinde rediit cum Sponsa, ac post cœnam apud communem fidumque amicum, Marburgum altera die studiorum causa migravit, ut ad opportunam occasionem occultum esset matrimonium. Re tamen cognita, omnia ad impediendam illius exequutionem tentavit Comes Francicus, statimque filium in Brixinensem relegavit Civitatem. Hic vero per iteratas ejusdem anni epistolas ad Leopoldinam, ejusque Amitam, nulla vi separari posse profitebatur a Conjuge, quam deliberato duxerat animo, perpetuamque pollicitus fidem, neque, ajebat, *dilectam uxorem cum mille præbendis commuto*; licet albam de mandato subscripsisset pagellam, in qua contraria deinde expressa fuit voluntas.

Ex pervulgata matrimonii fama, Ecclesiæ suæ canonicatum contulit Salisburgensis Archiepiscopus Comiti Friderico Waltdstein die 23. Decembris ejusdem anni, *salvis tamen juribus quibuscumque, & sine omni ipsiusmet D. Joannis Nepomuceni Comitis de Spaur præjudicio*, contulitque SANCTISSIMUS mense Aprili seq. anni 1782. Brixinensem alterum canonicatum ad impetrationem Francisci Xaverii Baronis de Welden, uti vacantem *ob contractum matrimonium prætensum nullum, non tamen ex defectu consensus*. At mutato tandem consilio, impetratori se opposuit clericus Joannes, obtinuitque subsequenti mense Augusti remissionem Causæ ad Congregationem particularem Eminentissimorum de Zelada, Gerdil, Orsini, Salviati, & Secretarii Sacræ hujus Congregationis cum voto decisivo. Post *formalem* interim *inquisitionem* promulgavit Salisburgense Consistorium mense Septembri declaratoriam sententiam super vacatione prioris canonicatus *ob contractum matrimonium*; eamque per Apostolicum Breve confirmavit anno 1784. Sanctissimus PIUS, & per solemnem renunciationem accepit Nepomucenus.

Valde primum de inconstantia Comitis Joannis questa fuit Leopoldina, ac pro aris, & focis matrimonii validi-

liditatem tuebatur. Repente deinde mutata, a matrimoniali vinculo dissolvi curavit per etherodoxum Consistorium Wetzlariæ, nupsitque Comiti Ludovico Ernesto Scoenburg. Libere igitur Comes Joannes prosequutus fuit Causam adversus R. P. D. Georgeum Sigismundum Porzia, qui ob dimissionem Baronis de Welden, Brixinensem canonicatum & ipse impetraverat *ob contractum matrimonium prætensum nullum, non tamen ex defectu consensus*. Sed proposito sub die 27. Martii 1787. Dubio, *An sit inducta vacatio canonicatus, ita ut Literæ Apostolicæ sint exequendæ*, respondit particularis Congregatio, *Affirmative*. Contrarium die 14. Januarii seq. anni 1788. prodiit rescriptum, *prævio recessu a decisis, Literas Apostolicas non esse exequendas*; at in tertia propositione diei 27. Aprilis elapsi anni 1789. in qua secundum additum fuit Dubium, *An novæ Literæ Apostolicæ sint exequendæ*, impetratoriæ scilicet Literæ ob assumptum a Comite Spaur militare cingulum cum stipendio, stetit Sacer ille Consessus quoad primum Dubium *in primo loco decisis*, rescripsitque ad secundum, *provisum in primo*, suffragante clar. me. Cardinali Riminaldo in locum prædefuncti Card. Orsini. Provocavit ab edita sententia Comes Spaur, Causaque ad Sacram hanc Congregationem delegata, infrascriptum modo proponitur Dubium.

Quadruplici ex capite subreptitias, & obreptitias dicit Comes priores impetratorias Literas, ob falsam scilicet narrationem, quod Brixinensis Ecclesiæ canonicatum, & præbendam obtineret; quod matrimonium ab ipso contractum prætenderetur nullum, non tamen ex defectu consensus; quodque per consequens ex hoc defectu non esset nullum; ac ipso tandem jure canonicatus vacasset. Simplicem profecto de tempore impetrationis Welden fuisse ait Domicellarem cum expectativa ad canonicatum ob sacros non assumptos ordines, ac non expletum *carentiæ* quadriennium, quæ ex capitularibus Brixinensis Ecclesiæ Constitutionibus necessaria sunt requisita ad obtinendum canonicatum cum perceptione fructuum. Ideoque subreptitiam asserit impetrationem, hac reticita beneficii qualitate, ex deductis per *Rot. coram Falconer. de Benefic. decis.* 3. *num.* 17., *cor. Molin. decis.* 248. *num.* 2., *& in Compostellana Parochialis super novis Literis* 11. *Januarii* 1751. §. *fin. cor. de Vais*.

Absolutum insuper negat consensum in matrimonium, ex quo secundum, & tertium desumit obreptionis caput; suamque in id, & Leopoldinæ deducit declarationem, quod illud contraxerint sub conditione futuri consensus Parentum, qui ex provincialibus etiam Ordinationibus in matrimoniis filiorum familias pro forma requiritur. Nullum autem est matrimonium etiam ex defectu consensus, non purificata conditione, sub qua contractum fuit; quum perinde ab initio deficisse censeatur consensus, ac si nunquam præstitus fuisset, *Piton. discept. eccles.* 52. *num.* 1. *tom.* 2., *Sanch. de matrim. lib.* 4. *disput.*6. *num.* 2., *Pont. eod. tract. lib.*4. *cap.* 21. *num.* 7. Quo deficiente consensu, ad valorem matrimonii requisito, neque beneficium vacasse censent *Lotter. de re benefic. lib.* 3. *quæst.* 26. *num.* 71., *Sanch. de matrim. lib.* 7. *disput.* 45. *num.*7.

Contrarias spernit liberi consensus probationes ob defectum processus ad formam Benedictinæ Constitutionis *Dei miseratione*, quæ illum requirit *quotiescumque contigerit, matrimoniales Causas super validitate, vel nullitate coram Legitimo Judice disceptari*. Neque hujusmodi defectum suppleri posse inquit ex processu Archiepiscopalis Curiæ Salisburgi, tum ob defectum jurisdictionis quoad canonicatum Brixinensem, cum ob non expletam illius transportationem. Nullius enim roboris est sententia ab extero Tribunali lata, nisi transportatis actis, *Rot. coram Falconer. de jurepatr. dec.* 4. *num.* 7. *coram san. mem. Clem. XIII. decis.* 45. *num.*2., *& in Calven. Beneficii* 29. *aprilis* 1754. §. 2. *coram clar. mem. Card. Elephantutio*. Amantium vero deliria appellat Epistolas, quibus invicem ipse, & Leopoldina validum initio matrimonium contraxisse dixerunt.

Omnium postremo falsissimam asserit narrationem, quod *ob contractum matrimonium prætensum nullum, non tamen ex defectu consensus*, ipso jure vacasset canonicatus. Haud enim inducta censetur hujusmodi vacatio, nisi in casibus a jure expressis, per *Text. in can. si habeas quæst.* 3., *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancellar. gloss.* 15. *num.* 136. *& sequen.* Expressa autem non autumat Comes Spaur quæ id id afferri solent canonici juris dogmata, *cap.* nempe 1. *de Cleric. conjugatis*, *& cap. nuper* 4. *de Bigam. non ordinan.* Disponit *cap. primum*, quod *si qui Clericorum infra subdiaconatum acceperint uxores, ipsos ad reliquenda ecclesiastica beneficia*, &

re-

retinendas uxores districtione ecclesiastica compellatis. Hæc vero habet quartum: *Tertius articulus videbatur habere non modicum quæstionis; quoniam cum in matrimoniis contrahendis non juris effectus, sed ANIMI DESTINATIO attendatur, unde illum comitatur infamia, qui duas simul uxores habet: quod partim ad factum convenit retorqueri. Sicut in canone legitur de Presbytero, qui non legalibus nuptiis detinetur, eadem censura tales videntur inter bigamos reputandi. Licet obviet ex adverso, quod opinioni sit veritas præferenda, & quod juxta præmissa, qui nullam uxorem habuit, foret bigamus reputandus, quod contigeret, si quis de facto contraheret cum diversis, quibus de jure non possit matrimonialiter copulari. Nos autem in hac quæstione taliter respondemus, quod cum hujuscemodi Clericis, qui quantum in ipsis fuit, secundas mulieres sibi matrimonialiter copulaverunt, tanquam cum bigamis non liceat dispensari, licet in veritate bigami non existant, sed propter affectum intentionis cum opere subsequuto.*

Ex verbis igitur illis *capituli* 1. *de Clericis conjugat.*, *ad retinendas uxores compellatis*, notat Comes, rem ibi esse de matrimoniis validis, ex quibus dumtaxat retinere licet uxores, juxta *Pirhingh. in jus can. lib.* 3. *tit.* 3. *de Cleric. conjug. sub num.* 28., *Bolch. in comment. jur. can. lib.* 3. *de Cleric. conjug. nu.* 28., *Sanch. de matrim. lib.* 7. *disput.* 43. *& seq. per tot.*, ideoque trahi non posse illius dispositionem ad matrimonium, de quo agitur, utpote nulliter contractum coram alieno Parocho Blasblaci, contra censuram *Sacri Concilii Tridentini* ibidem recepti, & absque consensu Parentum contra provincialem Legem. Quo vero ad *cap.* 4. *de Bigam. non ordinandis* advertit, alienum a nostro esse illius casum, quum non agatur de bigamo in sacris ordinibus constituto, neque de matrimonio nullo *cum opere subsequuto*. Hoc namque inficiatur opus, licet cum dilecta sponsa apud fidum cœnaverit amicum, & aliquandiu in ejus domo moratus fuerit.

Eos idcirco appellat *Doctores*, qui ob matrimonium nullum, præterquam ex defectu consensus, ipso jure vacare non censuerunt beneficium, eo quod Clericus per hujusmodi matrimonium nec in legem, nec in proprium peccat statum. Tales sunt *Schmier. in jus can. tom.* 1. *de coelib. pag.* 319. *num.* 58. *Bolch. comment. jur. can. lib.* 3. *tit.* 3. *de Cleric. conjug.* §. 2. *numer.* 9.

& 27., *Sanch. de matrim. disput.* 43. *num.*3., *Garz. de benefic. part.* 11. *cap.* 8. *num.*15., *Pirhing. in jus can. lib.*3. *tit.*3. §.3. *num.*16. Atque hinc concludit, non aliter vacatum dici posse controversum canonicatum, quam si declaratoria in id prodierit sententia, *Barbos. in cap.* 1. *de homicid. in* 6. *num.* 2., *Garz. de benefic. cap.* 10. *de vacat. per privat. part.* 11. *num.*5., *Pirhing. lib.* 3. *tit.* 3. *numer.* 16. & *seq.*, *Murg. de benefic. quæst.* 3. *art.* 1. *num.* 830. Neque hujusce declaratoriæ vim habere ait sententia Salisburgi, quum posterior fuerit impetratione, neque ad eam, deficiente privationis lege, retrotrahatur, *Rocc. de delict. cap.* 11. *num.*2., *Gonzal. ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 15. *nu.*153., *Gravach. in pract. lib.* 5. *cap. ult. num.* 21.

Præ cæteris contra, quæ ad elidendum Domicellariatus objectum deducit R. P. D. Porzia, notandum est, collatum reipsa fuisse Comiti Spaur per Apostolicas Literas anni 1777. *canonicatum*, & *præbendam* Brixinensis Ecclesiæ traditamque possessionem *modo consueto installationis in choro*, & *postea per contactum annuli ferrei Granarii*, & *Cellæ Vinariæ*. Idque congruebat *capitulo* 11. Statuti sub titulo *de receptione Canonicorum ad Ecclesiam Brixinensem*; nam ejus virtute tradi, & accipi debet possessio *canonicatus*, & *præbendæ*. Inde autem vera dici posset impetratoris narratio, quod unum, & alteram Comes Spaur contracti matrimonii tempore possideret. Suspensa ei erat admissio in Capitulum, fructuumque perceptio quousque sacros susciperet ordines, & quadriennium expleret *carentiæ* ad formam Statuti; ex hoc tamen excludi fortasse nequit canoniæ, & præbendæ proprietas, & titulus. Quandoquidem *in provisis de canonicatibus, qui ad formam Statutorum debent aliquid adimplere, si non adimplent in tempore, non per hoc desinunt esse canonici, sed solum carebunt aliquibus emolumentis*, ut per hæc verba monet *Card. de Luc. de præeminent. disc.*38. *num.*9. Duo siquidem distincte considerantur in præbenda, jus nempe, & perceptio fructuum, & unum sine altero ad omnes juris effectus consistit ex *Sac. Concil. Trident. sess.*22. *cap.*4. *de Reform.*, *Gonzal. ad regul.*8. *Cancell.* §.1. *gloss.*5. *de præben. num.*5., & *Rot. divers. decis.*197. *num.*9.

De absoluto in matrimonium agens consensu, codicem exhibet Præsul Porzia Blasbacensis Parochi, gravesque

Co-

Comitis Spaur, & Leopoldinæ epistolas, non suspecto tempore conscriptas, ex quibus non obscura desumuntur illius argumenta. Valde siquidem in id parochiali deferendum libro, *Rot. in recent. decis.* 117. *num.*1. *part.*4., & *decis.*433. *num.*6. *part.*14., & *Sac. hæc Congregatio in Maceraten.* 17. *elapsi aprilis*, valdeque posteriori contrahentium declarationi, *gloss. in cap. super eo, vers. confessionem, de eo, qui cognat. & consanguinit.*, *Rot. in recen. decis.* 610. *part.* 4. *tom.*1. *num.*3.. Nec aliunde de conditione futuri consensus Parentum, quam ex recentioribus constat Leopoldinæ, & Comitis epistolis, & declarationibus post mutatam scilicet priorem voluntatem. Minus fidas autem hujusmodi declarationes censet Cœlestinus III. *in cap. super eo, de eo, qui cognovit*, ibique *Gonzal. num.*2., & Imperator *in Leg. non nudis* 14. *Cod. de probat.*

Longeque a nostra specie alienam dicit formam Constitutionis Benedictinæ, quasi necessario ex ea confici debuisset processus super absoluto, vel conditionali consensu. Respicit porro Benedictina *matrimoniales Causas super validitate, vel nullitate*, & sic nostrum fortasse non respicit casum, in quo non de validitate, vel nullitate quæritur matrimonii inter Comitem, & Leopoldinam, sed de vacatione canonicatus ob contractum matrimonium prætensum nullum, non tamen ex defectu consensus, inter Comitem illius possessorem, & Præsulem Porzia provisum Apostolicum. In hoc sane casu satis esse contendit Præsul absoluti consensus probationem, quæ ex Blasbacensi Codice, & prioribus habetur epistolis, quas tempore non suspecto contrahentes scripserunt, ad tradita per *Rot. in recen. decis.*466. *num.*3. *part.*19. *tom.*2. Judicialis de cetero est Saliburgensis Curiæ processus, qui veluti conditus super consensu in matrimonium, hoc ipsum in pari Brixinensis canonicatus Causa probare videtur factum. Maxime, quia confirmavit *Sanctissimus Dominus Noster* Salisburgensis Consistorii sententiam super vacatione canonicatus, probavitque per consequens processum, ex quo promulgata fuit.

Transit post hæc ad gravem illum articulum, utrum ipso jure vacet, nec ne beneficium per contractum matrimonium nullum, præter quam ex defectu consensus; & affirmativam tuetur sententiam

ex

ex *cap.* præsertim 1. *de Cleric. conjug.* Ratio siquidem, cur ibi *Alexander III.* compellendos edixerit nubentes Clericos ad dimittenda beneficia, ea fuit, quod is, qui uxorem ducere statuit, *cogitat quomodo placere possit uxori, & ideo minus quæ Dei sunt, valeat cogitare*. Haud ergo ad validum dumtaxat respexisse censetur matrimonium, sed ad simplicem etiam animi destinationem, de qua expresse loquitur *Innocentius III. in cap.* 4. *de Bigamis*. Quæ autem in Comite Spaur fuerit animi destinatio, jam supra notatum est, & hæc potissimum pandunt ejus epistolæ verba: *Postulatur a me, ut statum clericalem assumam? An non ego uxorem duxi? O superi, fortunam, quam maritus tam dilectæ uxoris beatur, qualis tu es, ego nec cum mille præbendis commuto. Repeto maritum tuum, ubicumque sias, sequar te, properabo ad te; sic conjuncti vivamus, quemadmodum nobis jus a Deo per copulationem datum est.*

Quatenus igitur de simplici quoque animi destinatione intelligenda sit dispositio *cit. capituli* 1., jam per matrimonium nullum, non tamen ex defectu consensus, ipso jure inducta dici deberet beneficii vacatio, juxta *gloss. verb. relinquenda*, ibi = *Merito compellendi sunt, ut ea dimittant, quia vacare intelliguntur ipso jure: unde quoad factum solum, sive possessionem detorquetur ista compulsio*; quam graviores sequuntur *Doctores*, eo quod æque in matrimonio valido, ac nullo, non tamen ex defectu consensus, voluntas concurrit ducendi uxorem, & deserendi clericalem statum. Ita *Fagnan. in cap. nuper de Bigam. num.* 42., *Picler. jur. can. lib.* 3. *tit.* 3. *de Cleric. conjug. n.* 3., *Ricciull. de jur. personar. lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 25.. *Lojes in* 3. *Decretal. tit.* 2. *de Cleric. conjug. num.* 17., *Tondut. de pension. cap.* 75. *num.* 24., *Capon. discept.* 255. *num.* 40., *Cardinal. de Luca tract. posth. de pension. cap.* 13. *num.* 7., *Rigant. ad reg.* 58. *Cancell. num.* 29. Idemque definivit Sacrum Rotæ Auditorium *in decis.* 8. *coram Lancellot. sen. post Farinacc. respons. crimin. tom.* 2., *in recen. decis.* 250. *num.* 2. *part.* 7., *coram Ansald. decis.* 30. *num.* 12., *in Leodien. Matrimonii* 25. *Februarii* 1733. §. *Ita quidem coram Corio*. Et Sacra tandem hæc Congregatio in Causa *Dubium Matrimonii, & resignationis Beneficii* 21. *Julii* 1674. *lib. Decret.* 28. *pag.* 340., in qua quum quæreretur tertio, *an Cajus* (qui matrimonium contra-

traxerat nullum) *resignare possit beneficium , quod obtinet in tali statu* , rescripsit , *negative , & beneficium vacasse* .

Posita autem vacatione canonicatus Spaur ipso jure , opus forsan ad veritatem impetrationis non fuit declaratoria sententia . Ubi enim non agitur de privatione beneficii *ex facto* , vel delicto , in jure non expressa , quæ sententiam requirit *condemnatoriam* ; sed de privatione *ex jure* , quæ simplicem exigit *declarationem* , tunc necesse non est , ut collationem præcedat sententia , per *Text. in cap. Licet Episcopus de præbendis in sexto* , *Covarr. in cap. Alma Mater* , *part.* 1. §. 2. *num.* 9. , *Ros. de exequut. liter. Apostol. part.* 1. *cap.* 6. *num.* 200. , sufficitque, ut subsequatur , *Felin. in cap. super quæstionem de offic. delegat.* , *Card. Petr. ad Constit.* 7. *Nicolai V. num.* 33. *tom.* 5. , *Rot. in Recen. decis.* 122. *num.* 6. *part.* 3. . Sententia profecto *declararoria non operatur* , *ut tunc vacet beneficium* , *sed illius vacationem ostendit* , *atque detegit* , ut in hæc verba observat *Card. Petr. loco citat.*

Pauca hinc inde de secundis impetratoriis Literis ob assumptam a Comite Spaur militiam armatam , quum comprehensæ non sint in sententia Congregationis particularis , de qua dumtaxat sub infrascripto agitur Dubio . Assumptio de cetero armatæ militiæ cum stipendio ipso jure vacationem inducit beneficii , per *Text. in cap. quicumque ex Clero* 6. , *caus.* 23. *quæst.* 8. , & *cap. ex multa* 9. §. *fin. de vot.* , *gloss. in cap. Clericos* 17. *de Cleric. non residen. verb. redierint* , *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 14. *num.* 63. , *Barbos. de offic.* , *& potest. Episc. alleg.* 57. *num.* 216. *part.* 3.

Deliberare itaque dignentur Emi Patres .

An sententia Congregationis particularis sit confirmanda , vel infirmanda in casu &c.

Esse confirmandam , & amplius .

VE-

Sess.21. cap.7. & sess.22. cap. 6. de Reform.

VELITERNA SUSPENSIONIS MISSARUM. Actum in Congregatione diei 5. elapsi junii de suspensione Missarum, & contributione Beneficiorum parochialis Ecclesiæ SS. Salvatoris Velitrarum ad reparandum ejus ædificium. At proposito Dubio, *an*, *& quomodo sit providendum*, EE. Vestræ rescripserunt, *dilata*, *& expectetur relatio Emi Episcopi super petitione Collegii S. Bonaventuræ*. Insignem namque in ea Ecclesia possidens capellaniam annui reditus scutorum 800., concordiam inierat Collegium cum Deputatis Fabricæ super contributione, ejusque approbationem postulaverat. Quasi profecto contribuere non teneretur in illius reparationem, gratuitum in eam, suæque Capellæ causam obtulit donum scutorum 550., aliaque despondit scuta 50., quatenus Missarum suspensionem Deputati non obtinerent; idque etiamsi ad majorem peritiæ summam ascenderet reparatio.

De hac concordia ad EE. Vestras retulerat Emus Salviati Collegii Protector, ac post memoratam capellaniæ acquisitionem ex providentia Xisti V., utilem Deputatis dixerat promissionem scutorum 550. ob amotam litem, quam ex prætensa contributionis exemptione Collegium minabatur; considerabilem vero ipsius Collegii utilitatem, eo quod *vice annuorum scutorum* 40., *quæ habita proportione ad sumptus necessarios, a Peritis designatos in quantitate scutorum* 2400., *summam importarent scut.*800., *eamque, sicut experientia in ædificiis passim edocet, facile adaugendam, absolutum abiit unica præstatione, eaque ita in exemplum nusquam abitura, ut pro quibuscumque sinistris in posterum eventibus, immune factum fuerit ab omni contributione*. Atque ex his arbitrabatur, *præmissam transactionem dignam esse benigna approbatione EE. Vestrarum*.

In hoc res erat statu, cum prodiit rescriptum diei 5. Junii. Nuper autem Emus etiam retulit Episcopus, *ita Beneficiatos participantes massæ communis Ecclesiæ Parochialis SSmi Salvatoris inter diversa rationum momenta hærere, ut potius ad rescindendam transactionem inclinare videantur*, suamque sententiam in hæc aperuit verba: *Præterquamquod ejusmodi transactio, me penitus inscio, & inconsulto inita est, accedit etiam, quod super re incerta celebrata est. Licet enim Peritorum judicio impensæ restaurationis summa scutorum* 2400. *circumscriptæ fuerint, satis tamen experientia docet, haud*

haud maximopere hujusmodi Peritorum judiciis fidendum esse; quod ipse Emus Protector Collegii S. Bonaventuræ opportune pro sua prudentia animadvertit. Ideoque minime probanda videtur transactio, cujus vi altera ex partibus certam contributionem constituit, quæ minor esse possit, quam quæ pro ratione operis perficiendi requiratur. Hinc enim in alteram partem detrimentum redundaret; nec unius partis compendium cum alterius incommodo quærendum est. Quum itaque minime dubitari possit, quominus quicumque beneficium possident, ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas teneantur, ideo omissa prædicta transactione, ad hujus Sacræ Congregationis sapientiam, & auctoritatem pertinebit, vel eam contributionem, quæ meo decreto in actu S. Visitationis Ven. Collegio indicta est, confirmare, vel aliam imponere. Dum non resolutum itaque reproponitur Dubium, secundum additur super transactione.

Satis quoad primum sunt notata *in folio* 5. *Junii*. Quo vero ad secundum, justa transigendi causa videri potest comminata lis, ad tradita per *Valeron. de transact. tit. 2. quæst.* 3. *num.* 1.. Quibus rationibus vero evadere Collegium potuisset contributionem scriptam *in Tridentina Synodo sess.* 21. *cap.* 7. *de reform.*, omnino ignoratur. Sixtinam urgere valeret Capellaniæ unionem ad Juvenes instituendos Collegii S. Bonaventuræ; sed quærendum esset, utrum derogatum per eam fuerit dispositioni juris. Præ ceteris insuper, quæ Emus notat Episcopus, animadversionem meretur. quod maximum fortasse reparationis pondus in reliquos recideret Ecclesiæ Beneficiatos contra indolem transactionis, quæ æquam inter transigentes requirit lancem, per *Text. in Leg. prima ff. de Transact.*

Deliberandum igitur.

I. *An, & quomodo sit providendum in casu &c.*

II. *An sit approbanda transactio in casu &c.*

Ad I. Affirmativè juxta votum Emi Episcopi.

Ad II. Negativè.

Sess.25.cap11. de Reform.

SENOGALLIEN. EMPHYTEUSIS. Locari hactenus consueverunt Abbatialia bona S. Mariæ in Sitria, & S. Gaudentii, vulgo *della Barbara* pro annuis scutis 3150.. Ut meliorem igitur faceret Abbatiæ conditionem, Sacræ huic supplicavit Congregationi Emus D. Cardinalis Albanus, Sacri Collegii Decanus, & Abbas Commendatarius, pro facultate concedendi bona illa ad tertiam generationem masculinam Marchioni Aloysio Herculano, qui in concursu Josephi de Grandis meliora offerre videbatur. Remissis precibus *eidem Emo Commendatario, qui dignetur Sac. Congregationem instruere, & votum suum aperire, prævia nova affixione edictorum favore majoris oblatoris ad tertiam generationem masculinam tantum, transmissis oblationibus, consensu Conductoris, & copia Constitutionis san. mem. Urbani VIII., firmis interim remanentibus oblationibus Ercolani, & Grandi*, obtulit de Grandis in nova edictorum affixione annuum canonem scutorum 3780., seque obligavit *a quelli patti, e condizioni espresse nello stromento d'affitto stipolato in Roma a pro di Gio. Battista Asinelli*. Ne ulla vero super hisce pactis, & conditionibus oriretur controversia, solemnem addidit declarationem, & hæc insuper ad formam instrumenti locationis pollicitus fuit; quadraginta scilicet rubra frumenti; musti sarcinas 54., olei libras 448., alia statis temporibus scuta 320., arborumque trium millium plantationem intra spatium annorum quatuordecim.

Minorem contra Herculanus despondit canonem scutorum 3735., sed ultra recensitas præstationes ad formam locationis, ampliora in reliquis obtulit; laudemia nempe Emo Commendatario in particularibus renovandis investituris; constructionem ædium quatuor pro Colonis, ac decem millium Arborum plantationem primo emphyteusis decennio. Hisce igitur acceptis oblationibus, in evidentem præ omnibus Abbatiæ utilitatem cessuram fore retulit Emus Commendatarius emphyteusim. *Bona enim Abbatialia* (sunt ejus verba) *usque ad præsens nunquam pluris locata sunt, quam scutis* 3000.; *præter annuam scutorum* 130. *cibariorum titulo præstationem, ac solummodo in recentiori affictu a Jo. Baptista Asinelli annua scuta* 150. *aucta fuere, ita ut propositus contractus emphyteuticus, computatis laudemiis, quæ nunc mensæ Abbatiali reservantur,*

tur, conspicuam scutorum 700. plus minus utilitatem Abbatiæ statim in singulos annos sit allaturus.

Unam deinde, & alteram expendens oblationem, hæc habuit : *Nonnihil quidem major quoad annuum censum apparet oblatio Josephi de Grandis. At nihil dubitem affirmare, quominus multo melior censendus sit Marchio Aloysius Ercolani. Primo enim Abbati Commendatario omnem curam adimit reportandi ab actuali conductore consensum, ad quem obtinendum se obligat. Secundo, ad amplissimas meliorationes se obligat, quæ bonorum Abbatialium conditionem multo meliorem reddituræ sunt, quæque frustra ab ullo unquam conductore expectari possent. Accedit tertio, quod ad securitatem mensæ abbatialis, & ad perficiendas non modo promissas, sed alias etiam multo ampliores meliorationes, prout loci opportunitas, & sua ipsius utilitas eidem consulere potest, multo magis idoneus, & paratus præ Josepho de Grandis est Marchio Aloysius Ercolani. Quantum enim iste opibus, & fortunarum amplitudine præstat, notius est, quam ut opus sit hic referre.*

Contra vero, si de Josepho de Grandis ab experientia judicium ferre debemus, cum ipse tribus novennis continuis abbatialium bonorum affectum retinuerit, haud sane ita se gessit, ut ejus diligentiam in bonorum manutentione, & fidem in adimplendis pactis laudare debuerim. Quum enim adveniente tertio novennio, multa & gravia ad me delata fuissent de bonorum deterioratione, Visitationem generalem anno 1770. indicere debui, qua inventum est, ipso confitente conductore de Grandis, in bonis abbatialibus deesse arbores 19489., atque ille quidem tantam cladem maxima ex parte reparare subsequenti novennio conatus est ; sed tamen cum ex Affictu discessit, defectum 6908. arborum reliquit, ut colligi potest ex restrictu inventarii, qui exhibetur sub num. 5.. Atque hoc quidem quoad arbores. Quod vero pertinet ad ædificia, quæ plurima retinentur in fundis abbatialibus, ita negligenter illa curavit, ut hodiernus conductor plures ab eo restaurationes repetere coactus fuit. Qua de re conclusit, *uti propositum contractum emphyteuticum ex evidenti utilitate amplectendum esse, ita oblationem Josephi de Grandis, tantum abest, ut meliorem existimem, ut illi Marchionem Aloysium Ercolani præferendum esse omnino arbitrarer.*

Hac igitur attenta informatione rescripserunt EE. Vestræ die 28. Novembris 1789., *Pro facultate arbitrio Emi Abbatis favore Ercolani ad formam oblationis* 6. *Septembris* 1789., *exclusa facultate concedendi subemphyteuses, salvo jure vigesimæ, & sextæ cum insertione Plantæ, per Bullas*. Dum Apostolicæ vero expediendæ erant Literæ, Sacram Congregationem adiit de Grandis pro prælatione, iterumque Emus Abbas, priorem confirmans informationem, despiciendam censuit illius instantiam. Sua tamen per infrascriptum Dubium deducit jura.

In genere siquidem de evidenti constat emphyteusis utilitate ex informatione Emi Abbatis. Uterque enim oblatus canon annuam superat conductoris pensionem. Ea autem concurrente, emphyteuticus permittitur contractus, vel quælibet alia bonorum Ecclesiæ alienatio *in Clement.* 1. *de reb. Eccles. non alien.*, & *cap. ad aures, de reb. Eccles. alien. vel nom.*. Quæ vero utilior sit oblatio, Marchionis ne Herculani, an Josephi de Grandis, sedulo ponderandum. Minor est illa Herculani quoad canonem; sed ampliora sunt, quæ in meliorationem bonorum despondit, ut relatum est in facto. Ad majorem profecto dimetiendam utilitatem, non major dumtaxat canonis quantitas, sed reliquæ etiam spectandæ sunt conditiones, quæ meliorem conjunctim reddant oblationem, ad *Text. expressum in Leg.* 5. §. *melior autem ff. de in diem addict.*, *Card. de Luc. de judic. disc.* 40. *num.* 69., *Campell. ad Constit. Ducat. Urbin. decret.* 33. *num.* 91., & *seqq.*

Magis præterea Emus Abbas idoneum dicit Marchionem, eo quod *opibus*, & *fortunarum amplitudine præstat*, quam de Grandis, cujus patrimonium ignoratur, ac non bona conductionis tempore experta est in deterioratis prædiis fides. Præ ceteris autem in concedenda emphyteusi spectanda est oblatorum qualitas, isque præferri debet, qui opibus, ac bona præstat fide, per *Text. in leg. Si quis stipulatus* 112. §. *fin. ibique gloss. verb. quoque ff. de verbor. obligat.*, *Campell. loc. cit. num.* 94. & *seq.*, *Rot. in Romana Affictus* 2. *Junii* 1761. §. 16. *cor. Herreros*.

In sua de Grandis confidit majori oblatione, neque utiliores censet reliquas Marchionis conditiones. Longe porro futuram asserit ampliorem plantationem arborum,

rum, ab ipso desponsam per relationem ad novissimam locationem, quum ter mille arbores ad decimum quartum illius annum promissæ, ad numerum ascendant triginta millium & ultra; si eadem obligatio de quartodecimo in quartodecimum annum ad finem emphyteusis producatur. Novam insuper spernit quatuor ædium constructionem, veluti perniciosam bonis Abbatiæ, ob reservatam facultatem incidendi necessarias arbores, licet sub obligatione subrogandi alias. Minus idoneum asserit Marchionem ob fideicommissariam ejus bonorum qualitatem, quam tamen non probat; seque ei præstare concludit, qui solidales exhibet fidejussores quatuor.

Quæritur ergo.

An, & cujus favore sit locus stipulationi instrumenti, de quo agitur in casu &c.

Iterum proponatur.

CERVIEN. Proposito in Congregatione diei 17. elapsi Aprilis Dubio, *an sit valida electio Beneficiati S. Sebastiani, seu potius nova, & a quibus sit facienda*, rescripserunt Emi Patres, *affirmative ad primam partem, negative ad secundam*. In repropositione tamen Causæ diei 19. Junii in resolutionem non convenerunt; ideoque prodiit rescriptum, *iterum proponatur*. Tertio nunc redit Causa post trasmissas de mandato Vestro a Cerviensi Episcopo patentes Literas Vicarii Berardi, qui electionem Officialium Societatis Consortii Massæ Fiscaleæ prorogavit. Eadem fere est hujusmodi Literarum formula, quæ pro Vicariis Generalibus præscribitur *in form. legal.* 1. *Monacelli tom.* 1. *pag.* 1. ac diversissima est ab altera, quę *ibid. formul.* 4. *pag.* 19. pro Vicariis Foraneis legitur. Resumpto igitur Folio 17. Aprilis, respondere placeat. *Sess.* 22. *cap.* 8., & *sess.* 25. *cap.* 9. *de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

CIN-

Sess.25. cap.4. de Reform.

CINGULANA REDUCTIONIS MISSARUM. Quatuor olim Cinguli institutæ fuerunt laicales capellaniæ; duplicis una hebdomadalis Missæ ex tabulis Nicolai Bellaspica in Ecclesia S. Joannis; cum eodem onere altera ex testamento Alexandri de Bernardis in Ecclesia Cathedrali; reliquæ Missarum decem pro qualibet in singulos menses ab Hipolyta Bernardi Simoncelli in Ecclesia S. Philippi Nerii. Fundus singulis in tot prædiolis, & censibus erat scutorum 500., sed tria in eorum locum anno 1766. subrogata fuerunt prædia scutorum 2078. per Sententiam A.C., unum scilicet in Vocabulo *il Borgo* pro scutis 1778., alterum *dei Covarelli* pro scutis 180., ac pro scutis 120. tertium *Trentavizj*, quibus annuum etiam impositum fuit onus Missarum 26. ex legato Casimiri Simoncelli. Prædia autem hæc cum onere in totum Missarum 474., dotis titulo transierunt ad Mariam Marini, quæ ob imminutos illorum fructus, Missarum reductionem cum Venantio Lattanzj ejus Viro ab EE. Vestris postulavit.

Precibus ad Emum Auximanum Episcopum pro informatione & Voto ablegatis, juratam ei exhibuit notulam Joachim Lattanzj capellaniarum Rector, ac per decennem introitus exitusque calculum, in scutis constituit 22. 85. 3. $\frac{1}{2}$ reditum prædii *il Borgo* (in quo contineri ajunt Oratores reditum alterius prædii *Trentavizj*) aliisque additis scutis sex pro tertio *dei Covarelli* (quod absque Beneplacito Apostolico Lactantii vendiderunt pretio scutorum 130.) integrum capellaniarum reditum ad scuta evexit 28. 85. 3. $\frac{1}{2}$, oneri Missarum 474. ad Cingulanam manualem obolorum 10. omnino imparia. Huic vero non acquiescens calculationi, rem Emus Episcopus commisit Peritis, qui reditus existentium prædiorum *il Borgo*, & *Trentaviz*, in annuis statuerunt scutis 34. 50., atque ex duplici causa eorum imminutionem desumpsit.

PRIMA, *quod suprarelatum prædium* dei Covarelli, *æstimatum in scutis* 180. *sub die* 16. *Novembris* 1767., *venditum fuit absque ulla licentia Sacræ Congregationis ab iisdem Oratoribus Lattanzj pretio scutorum* 130., *quod pretium iidem Lactantii libere*, & *absque ulla obligatione*, *ut par erat*, *reinvestiendi receperunt*. *Verumtamen Oratores prædicti*, *ut capellaniarum indemnitati consulant in hac parte*, *alium fundum æqualis valoris etiam nunc subrogare minime detrectant*. *SE-*

CUN-

CUNDA, *quod præsens valor intrinsecus prædii nuncupati S. Laurentii* (seu Burgi) *æstimati juxta supradictam sententiam A.C. in scutis* 1778. *una cum domo, non excedit summam scutorum* 1075., *& valor alterius prædii in vocabulo Trentavizj, æstimati juxta citatam sententiam in scut.* 120., *non excedit summam scutorum* 50., *prout mihi retulerunt duo in arte Periti per me electi*. Hoc tamen non obstante, expletam fuisse dixit Missarum omnium celebrationem quoad præteritum, *licet non sine gravi Oratorum incommodo*. Et a suo abstinens aperiendo voto, testatus fuit de consensu Mariæ Marini, & Joachimi Lactantii in reductionem; idque tandem monuit, *quod bona in præsentiarum existentia pro manso dd. quatuor capellaniarum, non sunt eadem met, quæ a Testatore relicta, & assignata fuerunt*.

Quoad reductionem in genere, justa quidem illius causa est redituum imminutio, *Monacell. form. legal.* 19. *tit.* 20. *part.* 1. *num.*25., *& Sac. Congregatio in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1785., *& in Urbanien. Reductionis Missarum* 30. *Augusti* 1788. At duo ad eam concedendam requiruntur, quod sequuta nempe sit imminutio absque culpa possessoris fundi, quodque certus fundus, sive *taxative*, sive *demonstrative* a Testatore relictus, ab herede traditus fuerit, ex sententia *Benedicti XIV. de Synod. Diœcesana lib.* 13. *cap. ult. num.* 33. Quamvis autem census, & prædiola, in quorum locum subrogata fuerunt auctoritate Judicis prædia *il Borgo*, *dei Covarelli*, *& Trentavizj*, assignata ab heredibus fuissent ex Testatorum præscripto, ob imminutum tamen dd. prædiorum valorem, qui nostris immo temporibus augeri debuisset, argui liceret Lactantiorum culpa in negligenda illorum cultura, ex qua imminuti etiam dici possent reditus; ac deneganda idcirco videretur Missarum reductio, ut censuit *Sacra Congregatio in Romana Reductionis* 7. *Februarii* 1756.

Notandum contra, quod a Cingulana Oratores absunt Civitate, utpote Camerinenses; itaut conductorum potius, quam ipsorum culpa in deterius forsan abjerint prædia. Hæc rursus non tanquam heredes Fundatorum, sed peculiari possident dotis titulo, integramque Missarum celebrationem non obstante redituum imminutione, *non sine gravi incomodo* in præteritum

ex-

expleverunt. Ubi porro deficit, vel excusabilis est culpa, adhiberi solet indulgentia pro reductione, *Fag nan. in cap. ex parte de constit. num.* 7. *Bianchin. de reduct. Missar. cap.* 8. *&* 9.

Quo vero ad reductionem in specie, ponderandum est in hypothesi, quod concedatur in genere, num dimetiendi sint prædiorum reditus ex jurata Rectoris notula, vel Peritorum potius relatione. Præferendam contendunt Oratores notulam, quæ verę nititur fructum collectioni, quum sequantur Periti opinionem; ductoque calculo ad manualem obolorum 10. cum additamento alterius oboli pro utensilibus, reducendas esse autumant Missas ad 262. Sua vero prudentia deliberent Emi Patres, num attendi potius debeat Peritorum judicium, quod minus suspectum est notula, Annuum ipsi existentium prædiorum reditum in scutis constituunt 34. 50., additisque scutis sex pro alienato prædio *dei Covarelli*, integer emergit reditus scutorum 40. 50., quæ ad rationem obolorum undecim, comprehensis utensilibus, Missas capiunt 365. Atque decernere tandem dignentur de novo fundo in locum dicti prædii *dei Covarelli*, quem Oratores *etiam nunc subrogare minime detrectant*.

Dubium est.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Sess. 14. *cap.* 7. *de Reform.*

CANADIEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Temulentus Sacerdos Adamus Bramberger, Stejerdorffii Parochus, nedum Sebastianum Stegmajer ejus parochianum ad ægrotam Sacramentis munitam Uxorem verberandam incitavit, sed ei quoque virgarum prębuit fasciculum, manibusque infelicem tenuit mulierem, ut commodius ille nefarium facinus patraret. Tertio igitur vapulata, post triduum decessit infirma, damnatusque fuit Parochus die 4. Julii 1787. biennii carceris pæna. Hac expleta, *Sanctissimo* supplicavit pro dispensatione ab irregularitate; precibusque cum commendatitiis Canadiensis Episcopi literis ad

ad Sacram hanc Congregationem ablegatis, secundo Antistes ille refert, jam Parti, & Fisco satisfactum; *vita* oratorem *omnino inculpata* ante adeptam Parochiam fuisse; sæpius postea inebriatum, ita ut non immerito censeri valeat, *quod vini potus largior ad eam quoque inhumanam actionem illum deduxerit, aut potius præcipitaverit*; biennio tamen *sibi omni prorsus vino interdixisse, certissimaque præbere sequutæ emendationis argumenta*. Atque hinc concludit, quod *tametsi in Comitatu Krossoviensi, ubi prærecensitum crimen admisisse convictus, atque ad biennales carceres condemnatus fuit, magis sit diffamatus, quam ut citra scandalum in eodem denuo curæ Animarum admoveri valeat; quia tamen Diœcesis mea ad alios etiam Comitatus, utpote Torontaliensem, Canadiensem, & Aradiensem exporrigitur, potest idem in horum aliquo ad Beneficium Parochiale exponi; hoc magis, quod hæc mea Diœcesis ab aliquot annis, gravi, & in dies increscente Sacerdotum penuria laboret. Pro qua gratia, dum humillimas inter preces Vestræ Sanctitatis pedibus advolvor, in omni submissione emorior.*

Irregularis est, qui homicidam instigavit, *cap. sicut dignum §. qui vero de homicid.*; *Fagnan. in cap. ad audientiam num.* 31. *eod. tit.*, vel ei præbuit arma, *Fagnan. in cap. Henricus num.* 1. *de Cleric. pugnan. in duell.*, aut occisum detinuit, ne aggressori resisteret, *cap. suscepimus de homicid.*, *ibique Fagnan. num.* 6.. A fortiori ergo talis censeri valet Orator, qui ea simul omnia patravit, & nedum voluntate, sed facto etiam homicidium commisisse censetur, *cap. dilectus, ibique gloss. de homicid.*, *Gibert. in jus can. part.* 3. *tit.* 5. *de homicid. pag.* 164. §. 7.. Duplici quidem excusari posset ratione; quod mulier scilicet *gravissimè ægrotans*, ex morbo potius, quam verberibus fortasse decessit; quodque deliquit Orator per ebrietatem. Quandoquidem *ebrii non dicuntur studiose delinquere, sed impetuose*; & *ideo mitius puniendi*, ut inquit *Fagnan. in cap. constiterit num.* 45. *de accusat.*, ac docet *Pichler. in jus canon. lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 60.. Ac teste Episcopo, *certissima* accedunt *emendationis argumenta*; Sacerdotum penuria in Diœcesi, enixæque ipsius Episcopi preces, ex quibus concessa nuperrime fuit dispensatio ab irregularitate nedum Sacerdoti homicidæ *in Sabinen. Irregularitatis* 27. *Junii elapsi anni* 1789., sed simplici

etiam Clerico *in Lemovicen. Dispensationis ab irregularitate* 8. *Augusti ejusdem anni* .

Sed alia ex parte notandum , quod nisi ex una verberatione mulierem decessisse constet, verisimiliter tamen acceleratus ex ea fuit illius obitus . Id autem satis est, ut pro irregulari habeatur Orator , qui consilio , & ope adfuit verberanti ; nam ex dubio etiam homicidio contrahitur irregularitas , *Fagnan. in cap. Significasti , il secondo , sub num. 2. de homicidio* . Quin eum vero excuset ebrietas , gravius fortasse reddit ipsius delictum , quum turpissima sit in Sacerdote , magisque indecora in Paroco , *cap. a crapula , de vit. , & honest. Cleric. , ibique Fagnan. num. 3. , & seq.* . Sedulamque postremo animadversionem meretur inhumanitas , qua in ægram mulierem , & sine causa cum viro sæviit Orator. Ubi enim de atroci agitur homicidio , piaculum reputatur dispensatio ab irregularitate , *Fagnan. in cit. cap. Henricus num. 35. de Cleric. pugnan. in duell.* . Inexorabilis porro cum similibus homicidis fuit Sacra hæc Congregatio *in Aquinaten. Irregularitatis* 8. *Aprilis* 1775. , *in Melevitana Dispensationis* 10. *Januarii* 1778., ac potissimum *in Camenecen. Dispensationis ab irregularitate* 30. *Julii* 1785. . Agebatur de Parocho , qui vel ex crassa ignorantia , vel falso zelo uxoricidam cum cadavere uxoris tumulari fecit ; propositoque dubio : *An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate* ; EE. Vestræ rescripserunt : *Negativè absque spe gratiæ* .

Quæritur ergo .

An sit consulendum SSmo prr dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Die

Die Sabbathi 27. Novembris 1790. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

TRES, quæ præ ceteris proponuntur Causæ, ob negotiorum copiam sub judice remanserunt in novissima Congregatione diei 18. Septembris. Dignentur itaque Emi Patres de his ex præcedenti folio, & de reliquis ex præsenti decernere.

CERVIEN.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c. *Sess. 22. cap. 8. & sess. 25. cap. 9. de Reform.*

Consulendum Sanctissimo pro sanatione, & amplius.

CINGULANA REDUCTIONIS MISSARUM.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c. *Sess. 25. cap. 4. de Reformat.*

Iterum proponatur.

Sess. 14. cap. 7. de Reformat.

CANADIEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Negative.

Sess. 22. decret. de observ. & evitan. in celebr. Miss., & sess. 22. cap. 6. de Reform.

ROMANA CAPELLANIÆ. Omnino in designata Ecclesia S. Nicolai ad forum Archimonium Urbis celebrandum EE. Vestræ decreverunt anniversarium relictum a Sacerdote Vincentio Garbi. Ad II. enim Dubium, *an, & quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis quoad celebrationem anniversarii*, rescripserunt sub die 16. Maii elapsi anni 1789. *negative*. Anniversarium illud sive per se, sive per alium celebrare tenetur P. Joseph Masetti Ordinis Servorum Mariæ, ex altero rescripto ad I. Dubium Cappellaniæ Garbi possessor; sed Paræciæ suæ S. Marcelli curis distentus, EE. Vestris supplicavit, ut perpetuam ejus cessionem favore Ecclesiæ S. Nicolai permitterent, cum facultate recitandi per se ipsum in anniversaria die privatum officium defunctorum, quod unum Superiores Religionis ob tenue emolumentum respuunt. Sacerdotibus enim, qui præter recitationem officii, Missam ea die celebrare deberent lectam, obolos dumtaxat quindecim assignavit Fundator. Oratori autem favet Emus Urbis Vicarius in hæc verba: *Hæc res quum non arbitrariam illam initio propositam, ac improbatam referat commutationem, sed reductionem potius, seu remissionem jure debitam ob paucitatem redituum ea ex parte, qua emolumentum oneri non respondet, Oratori Masetto, ipsisque Patribus poterit assentiendum esse videri.*

Propositam impedire posset cessionem sequentium Capellanorum interesse, qui facultate privarentur celebrandi anniversarium. Tenuissimam contra amitterent Mis-

Missæ solemnis eleemosynam, quum majora reliquis Sacerdotibus debeantur emolumenta. Ne absque publica rursus fiat officii recitatione, urgere videtur, quod reliquos P. Masettus percipit capellaniæ fructus, ex quibus tenuis illa obolorum quindecim eleemosyna augeatur. Notandum vero, quatuor ultra aniversarium, ex fructu Locorum Montium duodecim, celebranda esse hebdomadalia Sacra, pro quibus vix eleemosyna superest aliorum obolorum circiter quindecim, quæ minor est notissima Vicariatus taxa. Resumere igitur dignentur Emi Patres Folium diei 16. Maii 1789. & assueta maturitate decernere.

An, & quomodo sit locus cessioni anniversarii in casu &c.

Negative.

ALEXANDRINA REDUCTIONIS MISSARUM. Heredes scripsit anno 1618. Aloysius Aulari binos filios suos, eisque substituit proximiores cum onere quotidjani Sacri in ejus Capella Ecclesiæ S. Martini PP. Eremitarum S. Augustini Alexandriæ. Hac purificata substitutione, tributa infra semissem fuit hereditatis pars filiis Lauræ Inviliati cum onere Missarum 120., reliquum Thomasiæ Franciscæ Aulari cum Missis 240. per concordiam anni 1632. Hereditariam suam portionẽ vendidit Aularia sequenti an. 1633. Joanni Gamundio sub lege, *quod præfatus Gamundius, & sui teneatur celebrare facere portionem spectantem ipsi D. Thomasiæ Missæ quotidianæ &c., & ad d. effectum possit & valeat in se retinere tantam partem prædicti capitalis pretii, quantum capit ejusdem Thomasiæ contingens portio.* *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Domum ex acquisitis bonis vendidit Gamundius anno 1634. Francisco Mariæ Pellati, eumque delegavit ad solvendos ex pretio Patribus S. Martini mediolanenses *ducatonos* 250. in perpetuum levamen dimidii oneris Missarum 240., quæ ipsi incumbebant. Rem gessit Pellatus per cessionem censuum, & Gamundium a Mis-

Missis 120. liberarunt Patres, ita ut ab eo tempore solvere ceperit libras dumtaxat 120. pro tertia parte legati, At per sententiam Alexandrini Judicis nedum damnatus fuit anno 1676. Priamus Gamundius ad solutionem dd. librarum 120., sed reservatum etiam fuit Religiosis *jus consequendi a quibuscumque aliis obligatis, & possessoribus aliorum bonorum residuum usque ad summam librarum* 240. *Mediolani annuatim pro completa eleemosyna Missæ quotidianæ*, seu, ut Alexandrinus ponderat Episcopus, reservatum fuit jus praliis Missis 120., a quibus Joannes Gamundius absolutus fuerat.

Ex hac jurium reservatione in jus vocarunt Religiosi Pium Gamundium; sed per privatam concordiæ syngraphum convenerunt anno 1745., ut in posterum præstare teneretur mediolanenses libras 182. pro totidem Missis, sub declaratione, quod *quando sia tenuto solamente alle Messe* 120. .. *il sopra più vadi in suffragio dell'Anima sua, e de suoi Antenati*. Sua tamen ei cesserunt jura adversus coobligatos, & in casu, *che in dipendenza di dd. ragioni si potesse ricavare il supplemento del di più, a cui si obbliga il d. Signor Pio, in tal caso tutte le Messe sudette vadino a sgravio dell' obbligo*. Concordia hæc deducta fuit anno 1770. in stipulationem, per quam Primus Gamundius, Pii nepos, camerales solvit Pedemonti libras 571., solidosque decem pro eleemosina Missarum 182., quas annis singulis celebraverant Religiosi; promisitque pro futura illarum celebratione annuas ejusdem monetæ libras 121., solidos sex, denarios octo, quorum valor sive ob diversitatem librarum, sive ob illarum augmentum, mediolanenses fortasse æquabat libras 182., de quibus in præcedenti actum fuerat syngrapha, ad quam Transigentes relationem habuerunt.

Nil in novissima ista stipulatione de declarationibus emissis in syngrapha circa minorem Missarum numerum. Expresse immo renunciatum legitur *ad ogni e qualunque ragione ed eccezione, che una Parte verso dell'altra, ed a vicenda aver potesse in contrario al sovra convenuto, e pattuito in questo istromento, da qualunque titolo, documento e ragione proceda*; illudque à Primo Gamundio additum, quod *in contrasegno non solamente della premura e viva brama, che egli nudrisce presentemente, perche vengano puntualmente celebrate*

le

le sudette Messe 182., *ma eziandio di quella, che egli in futuro sarà per maggiormente nudrire, e dimostrare, anche ad esempio ed insegnamento de suoi Posteri, così che non si cessi nell' avvenire dalla celebrazione di esse Messe, o vero la medesima si ritardi, ha quì nell'atto di questo istromento anticipatamente in saldo del semestre terminando con tutto il mese di aprile* 1771. *sborsate lire* 60., *soldi* 13., *e denari* 4.

Facultatibus lapsus, Sacram hanc Congregationem adiit Primus anno 1777. pro commutatione Missarum in Anniversarium; reique examine ad clar. mem. Cardinalem de Simone delegato, annuendum non censuit ex simplici Oratoris paupertate, sciteque animadvertit, *Missis legatis ab Aulario nullum certum fundum addictum; earum onus heredibus indistincte injunctum; integram proinde hereditatem iisdem obligatam. Nil rursus proponi in facto de redituum diminutione, vel ex alicujus culpa, vel etiam fortuita; quæ ceteroquin neque proposita fortasse prodesset, quia non modo Testatoris bona, sed heredum quoque, omniumque ab eis causam habentium obligata essent. Tandem auctorem Gamundi hereditatis partem hoc onere affectam emisse expressa obligatione satisfaciendi eum Missarum numerum, qui Thomæ Frauciscæ venditrici in ejusdem hereditatis divisione obtigerat.*

Nulla tamen habita ratione concordiæ anni 1745., ex qua onus assumpsit Pius Gamundius Missarum 182., ac solemnis instrumenti in id stipulati anno 1770. à Primo illius nepote, in sensu fuit restringendi obligationem Oratoris ad Missas dumtaxat 120. juxta emptionis venditionis contractum anni 1634., in hæc verba: *At vero quum ultra id, quod in contractum deductum est, præstare non debeat Gamundius ad Text. in leg. Titius* 9. *Cod. de pact., id potissimum observandum in facto, ejus Auctoris obligationem in emptione partis hereditatis Aulari coercitam fuisse ad numerum tantum* 240. *Missarum, quot Thoma Francisca venditrix in hereditatis divisione adimplendas promiserat. Ex hoc numero detrahendæ sunt Missæ* 120., *quot satisfaciendas Gamundus injunxit Francisco Mariæ Pellati, cum ei vendiderit domum pariter hereditariam. Pellatus enim facta compositione cum Patribus S. Martini, jam injuncto oneri satisfecit. Gamundus igitur ad numerum tantum Missarum* 120. *præstandum obstringi potest. Reliquæ ad Patres S. Martini spectant.*

Fa-

Fateor equidem, si quid deest ad integram mensuram oneris Missarum ab Aulario indicti implendam, id primum inspiciendum ab Episcopo esse, num alia bona hereditaria supersint; deinde an quis ex obligatis, ab heredibus causam habentibus, & præsertim ab Inviliatis superstes sit. Hoc unum demum curandum, ut bona hereditaria, apud quemcumque possessorem sint, executiantur. Si hæc frustra sint, tunc de diminutione pertractandum. Interim hoc certum est, Gamundum ex contractu ad 120. Missas præstandas obligatum esse, Patres S. Martini pari stipulatione ad alias 120. satisfaciendas teneri.

Hisce perpensis, rescripserunt EE. Vestræ die 15. januarii 1780. *Scribatur Episcopo juxta votum Emi Relatoris*; aliudque deinde *ex audientia SSmi* ad iteratas Gamundii preces prodiit die 14. Februarii sequentis anni rescriptum: *Quoad præteritum, celebratis Missis sex, pro absolutione*; *quo vero ad futurum, gaudeat impetratis*. Quid juxta primum rescriptum decessori Episcopo Alexandrino significatum fuerit, ex regestis Secretariæ non constat. Si fides vero præstanda est Epistolæ, quam sibi Orator ab illo conscriptam affirmat, exhibetque, transmissum ei fuit votum clar. mem. De Simone, atque ex illo Oratorem monuit: *non farsi luogo a domandare per parte di V. S. veruna riduzione di Messe, ma spettare a lei di farne celebrare cento e venti all' anno, ed altre tante a questi Padri, e Convento di S. Martino, aggiungendovi l'istruzione di ciò che potrebbe sperarsi rispetto alle altre Messe, che non si fanno celebrare*. Ob non expressum tamen in utroque rescripto numerum Missarum 120. de sua nuper præcisa obligatione dubitavit Orator, conscientiæque stimulis agitatus, explicitam ab EE. Vestis posulavit illius numeri præfinitionem.

Transactioni innixus anni 1745., annuendum in prima informatione non censuit hodiernus Alexandrinus Episcopus; *eo vel maxime, quod Orator illud ipsum* [onus Missarum 182.] *in eadem ipsa quantitate, a transactione saltem, & deiuceps sine contradictione portavit, adeo ut ipsemet in primis suis precibus hac de re oblatis ingenue fassus est, familiam suam gravatam reperiri annuo legato quindecim Missarum quolibet mense*. Addidit tamen, quod *Patres S. Martini, quos audiendos putavi, quia eis, & fortasse solis, præter pium Testatorem, harum Missarum imminutio interesse potest*, post

post laudatam præsertim transactionem cum Gamundio, declararunt per actum Capituli sui mihi traditum diei 20. labentis julii, se non dissentire, quæcumque reductio, seu minoris harum Missarum numeri declaratio Oratori concedatur; dummodo nihil inde ipsi, eorumque Conventus damni patiantur, & ipse idem Orator eosdem, eorumque Conventum indemnes quocumque tempore servare teneatur.

Iterumque requisitus, ut referret, *a quibus, & in qua rata adimpleta fuerit celebratio Missæ quotidianæ ab Aloysio Aulari præscriptæ*, ita rescripsit: *Percunctanti mihi Patribus Augustinensibus S. Martini hujus Civitatis, in quorum Ecclesia hujusmodi Missarum celebratio peragenda foret, ab illorum assertione constitit, ipsis nihil aliud innotescere, quam quod etiam Missæ quotidianæ celebrandæ per alium neminem satisfactum jam per plurimos annos fuisse, quam per ipsum Oratorem, ejusque patrem, & avum, non tamen integre, sed sola celebratione Missarum centum octoginta duarum singulis annis; postremis vero superioribus annis* [post rescriptum nempe diei 15. januarii 1780.] *centum tantummodo atque viginti. Addunt tamen iidem Patres, non semper eleemosynas obtinuisse Missarum, quas ipsi, committentibus Gamundis, celebrarunt; sed transactum postea cum ipsis fuisse, ita ut hac de causa nihil in præsens debeatur eis.*

Rescriptum profecto diei 15. januarii 1780. numerum appellare videtur Missarum 120., in quibus Gamundii obligationem statuit Cardinalis de Simone, utpote editum juxta Ejus votum. Quoniam vero ad petitionem ipsius Gamundii de illius viribus, atque intelligentia sub infrascripto quæritur Dubio; accuratius idcirco perpendendum, utrum res ex antiquo contractu anni 1634., quam recentiori potius altero anni 1745. definiri debeat. Dum Joannes siquidem Gamundius hereditariam Aulari domum vendidit Pellato, onus in se retinuit Missarum 120., reliquis per traditionem capitalis in Patres S. Martini transfusis. Ultra ejus fines ergo extendi non debere videretur obligatio, per *Text. in leg. Si ita stipulatus, & in leg. Quidquid astringendæ ff. de verb. obligat.* Subsequens autem transactio, ex qua onus illud ad Missas 182. Pius, & Primus Gamundi ampliarunt, inita dici posset ex falsa hujusce obligationis opinione, quæ illam irritat, ex deductis

per *Valeron. de transact. tit.* 6. *quæst.* 3. *num.* 1. & 14., *Urceol. eod. tract. quæst.* 96. *num.* 35. & 38. Consensus enim per errorem præstitus, abfuisse censetur, secundum *leg. Nihil consensui ff. de reg. jur.*, & *leg. Si per errorem ff. de jurisd. omn. Judic.*

Omnino contra Pius Gamundius non ignorabat, onus Missarum 240. assumptum in contractu anni 1633., reductum sequenti anno fuisse ad missas 120.; & tamen in syngrapha anni 1745. declaravit, quod *quando sia tenuto solamente alle Messe* 120. . . . *il sopra più vadi in suffraggio dell' anima sua, e de' suoi Antenati*. Idemque sciens, renunciavit Primus anno 1770. *ad ogni, e qualunque ragione, ed eccezione*, enixeque voluit celebrationem Missarum 182.. In his porro terminis pro exequutione concordiæ est *Text. in leg. Fratris sui* 10., *leg. Non minorem* 20., & *leg. Nec intentio* 23. *Cod. de Transact.*. Maxime quia plures per annos promissam Gamundii adimpleverunt celebrationem Missarum 182. ad diem usque editi rescripti, de quo agitur. Hujusmodi namque observantia validiorem reddidit eorum obligationem, *Fagnan. in lib.* 3. *Decretal. cap. Tuæ num.* 14. *de Cleric. non residen.*

Neque deesse videtur ratio, cur auctus fuerit Missarum numerus. Juxta novissimam sane Episcopi relationem, nemo alius transactionis tempore, præter Gamundios, celebrationi satisfaciebat Missarum. Integrum ergo in eos, uti possessores bonorum Aulari, refundi potuisset illarum onus, ob non designatum legati fundum. De Missis igitur per Oratorem celebrandis deliberaturi, sua etiam prudentia de reliquis Emi Patres decernant, quas in se Religiosi S. Martini accepto capitali assumserunt. Ex ore namque Episcopi fatentur, *Missæ quotidianæ per alium neminem satisfactum per plurimos annos fuisse, quam per ipsum Oratorem, ejusque patrem, & avum.*

Dubium est: *An, & quomodo sit exequendum rescriptum diei* 15. *Januarii* 1780. *in casu &c.*

Rescriptum esse exequendum pro nunc celebratis Missis 120. per Gamundium; in reliquis dilata, & scribatur Episcopo juxta mentem.

RO-

ROMANA PRÆCEDENTIÆ. Duodecim in Basilica S. Mariæ trans Tyberim sunt Canonici; ex presbyterali ordine sex, diaconali tres, totidemque ex subdiaconali: sed distinctam non habent præbendam. Qui ex presbyterali sunt classe, præcedere consueverunt Diaconis; qui ex diaconali Subdiaconis; reliquis unius ejusdemque classis antiquiores, in quocumque constituti essent sive sacerdotali, sive clericali ordine; initiumque duxit pervetusta hæc consuetudo ab anno 1656. Contendi quidem cepit anno 1707. cum Canonico clerico, sibique reliqui in sacris constituti precedentiam vindicare tentarunt; at ob dimissum ab eo canonicatum conticuit lis, eademque ad hæc tempora continuavit consuetudo. Renovata nuper est controversia, Vestramque auctoritatem novissimi Canonici Sacerdotes implorarunt, ut antiquioribus clericis, vel in sacris etiam constitutis præcedant. *Sess.5. cap.1.; & sess.24. cap. 2. de Reform.*

Disertissimum in id, auditoCapitulo, pandidit votum Emus D. Cardinalis Antici Titularis, satque videtur ad rem definiendam illius expositio. De duplici siquidem disserit præcedentia, inter Canonicos scilicet unius, & alterius classis, eosque iterum, qui in eadem sunt classe. Quoad primam censet, *in choro, aliisque muniis capitulariter obeundis, unicuique Canonicorum classi suam servandam esse prærogativam, ut qui canonicatus habent presbyterales omnibus præant cum Diaconis, tum Subdiaconis. Qui vero sunt in classe diaconali præcedant Subdiaconos, utcumque exteț inter Diaconos, qui sacerdotali dignitate sit insignitus, aut inter Subdiaconos, qui diaconatu polleat, aut sacerdotio.*

Hisce autem movetur rationibus. *Siquidem in Collegiis, aliisque Universitatibus absolutissimum ex jure est, ut ad statuendam honoris prærogativam spectari non debeat, quæ privatim sit cujusque dignitas, sed quo quisque gradu sit in ipso Collegio; eosque proinde, qui altiorem in Collegio gradum obtinent, ceteris anteferendos esse, quorum alioqui privata dignitas longe præstet, Gratian. discept. 298. num. 33., Contelor. de præceden. cap. 9. num. 23., & seq., Rot. cor. Seraph. decis. 1216. in fin. in Leodien. Præcedentiæ 4. Martii 1759. §. 4. cor. clar. mem. Card. Elephantutio. Quoties itaque canonicorum Capitulum quodam veluti ordine Hierarchiæ*

distinctum est in plures classes ; ut alii nimirum Presbyteri sint , alii Diaconi , alii Subdiaconi , sicuti qui ad diaconalem classem pertinent , quamvis constituti in sacerdotio , non aliud sunt in Capitulo , nisi Canonici Diaconi , & qui sunt in classe subdiaconali , quamvis aut diaconatu , aut sacerdotio insigniti , quoad Capitulum tamen haberi nequeunt , nisi ut Canonici Subdiaconi ; ita in actibus capitulariter ineundis , seposita privati ordinis dignitate , suam quique classem teneat necesse est .

Constat reapse apud omnes , hunc servandum esse ordinem , ubi præbendæ distinctæ sint in presbyterales , diaconales , & subdiaconales , ut late probat Ceccoper. lucubr. can. tit. 11. num. 8. , & Scarfant. in adnot. numer. 16. Id immo fatentur ipsi etiam Canonici S. Mariæ. Cum tamen in ea Basilica nulla sit præbendarum distinctio , servandam idcirco esse contendunt dispositionem cap. Statuimus de majorit. , & obdient. , ut Presbyteri primum locum , Diaconi secundum , Subdiaconi tertium, & sic de reliquis , obtineant gradatim . At vero tum demum obesset illius capitis dispositio , si nec ulla foret præbendarum distinctio , neque per gradus distincti essent canonicatus . Ubi vero licet reditus in communem cumulum rediganturr , certæ tamen , distinctæque sunt canonicatuum classes , non modo non adversatur , sed maxime immo congruit juris dispositioni , ut sedendi incedendique prærogativa inter Canonicos definienda sit ex præstantia classis , quam quisque occupat in Capitulo .

Ac profecto , si in confesso est , id jure fieri , ubi variæ sint præbendarum classes , fatendum utique ex rationis identitate , recte etiam id fieri , ubi variæ sunt classes canonicatuum . Eatenus namque præbendarum distinctio præeminentiam tribuit Canonicis , quia necessario secumfert distinctionem canonicatuum , quibus illæ cohærent , efficitque proinde , ut qui præbendam habent presbyteralem Canonici Presbyteri censeantur , qui diaconalem Diaconi , qui subdiaconalem denique Subdiaconi , licet in majori etiam ordine sint constituti . Quoties igitur sine præbendarum discrimine , eadem tamen est canonicatuum distinctio in plures classes , eadem quoque esse debet cujusque classis prærogativa .

Di-

Dispositioni juris consuetudinem addit Patriarchalium Urbis, & Sacri etiam Collegii in hæc verba: *Tres quidem in ordines distinctum est amplissimum Cardinalium Collegium. Neminem autem latet, eos, qui sunt ex ordine Episcoporum Presbyteros antecellere, & Presbyteros item Diaconos, quamvis in Diaconorum numerum ii quandoque cooptentur, qui presbyteratu polleant. Idem obtinet in Patriarchalibus Urbis Basilicis; id in aliis pluribus, in quibus pro ordinum varietate extant canonicatuum gradus. Id ipsum denique perpetuo servatum est in hac ipsa Basilica S. Mariæ. Non raro enim canonicatus diaconales delati sunt ad Presbyteros; sæpe etiam subdiaconales obtinuerunt qui in sacerdotio erant, vel in diaconatu; numquam tamen aut in choro, aut in Capitulo, aut in aliis muneribus perfungendis confusæ permixtæque sunt classes; sed ut presbyteralis diaconali præivit, ita diaconalis præcessit subdiaconalem, in quocumque demum essent ordine canonici subdiaconi. Quod si in controversiis, quæ de præcedentia exoriuntur, gravissima in primis est habenda observantia, tum eo gravior hoc in themate esse debet, quia & juri congruit, & universali etiam consuetudini.*

Hæc de præcedentia inter classem, & classem scitissimæ sunt ejus animadversiones. Quo vero ad præcedentiam in qualibet classe, in sensu pariter est, *singulis in classibus eos esse anteferendos, qui prius in suam classem recepti fuerint, tametsi ordine fortasse sint inferiores. Manat id scilicet ex eadem illa juris regula, ut in Collegiis non privatus cujusque ordo spectari debeat, sed Collegii gradus. Hinc enim fit, ut licet Sacerdos canonicatum diaconalem obtineat, in Collegio tamen Canonicorum nonnisi pro Diacono haberi debeat; & æque sit Canonicus Diaconus, ac diaconali dumtaxat munere fungatur, ac alii omnes ejusdem classis. Quod idem dicendum est, si canonicatus subdiaconalis ei conferatur, qui Presbyter sit, aut Diaconus. Quoniam igitur qui sunt ejusdem classis æque omnes sunt Canonici Diaconi, aut æque Subdiaconi, ratio utique temporis habenda est; cum inter eos, qui æquales sunt gradu, certum sit, prærogativam temporis honoris quoque secum ferre prærogativam, ad Text. in leg. Honores ff. de Decurion. Ceccoper. lucubr. can. lib. 1. num. 167., & seq., Barbos. de-*

decis. collect. 46. num. 5., Rot. coram Emer. jun. decis. 66. num. 2., & coram Molin. decis. 849. num. 50.

Apte autem huc redit, quod antea adductum est exemplum ex Cardinalium Collegio. Utcumque enim in Presbyterorum ordine quandoque adsciscatur, qui aut episcopali, aut archiepiscopali, vel patriarchali dignitate præfulgeat, aut in ordinem Diaconorum, qui presbyteratu polleat, non ideo reliquos antecedit ejusdem ordinis, sed suus cuique gradus manet pro antiquioritate temporis, quo quisque eam dignitatem sit assequutus. Nemo autem existimaverit, in spectatissimo totius Ecclesiæ Collegio id esse inductum, quod absurdum sit, & juri repugnet. Quod si non est absonum, ut inter eos, qui æque sunt Cardinales ex Presbyterorum aut respective Diaconorum ordine, anteriores tempore promotionis posterioribus antecedant, tametsi majori ordine privatim fulgeant, nec absonum nec repugnans videri debet, ut id ipsum obtineat inter canonicos, qui in Collegiata Ecclesia æque sunt Canonici Diaconi, aut Subdiaconi, nempe ex Diaconorum, aut Subdiaconorum classe.

Quin secus censendum quoad clericos, qui canonicatum subdiaconalem obtinuerint, minores ordines nondum egressi. Hoc ipso enim, quod clerici subdiaconalem canonicatum assequuntur, in Canonicorum Collegio pro Subdiaconis sunt habendi, & quoad dignitatis gradum æque sunt Canonici Subdiaconi, ac reliqui omnes, qui vere sunt Subdiaconi, aut diaconatum habent, aut presbyteratum. Quoniam proinde sunt pares in gradu collegialis dignitatis, recte hinc sequitur, ut si tempore anteriores sint, aliis antecedant, qui eodem illo in gradu canonicatuum subdiaconalium sunt posteriores. Idque eo pronius retinendum, quia hac etiam in parte observantia accedit plusquam sæcularis. Siquidem ex Canonicorum tabellis, aliisque Capituli monumentis compertum est, jam inde ab anno 1656. ad hæc tempora etiam clericos, canonicatum subdiaconalem obtinentes, pro antiquioritate adeptæ possessionis ceteris præivisse Canonicis Subdiaconis, qui vere essent in subdiaconatu, aut in majori etiam ordine constituti. Et licet anno 1707. controversia excitata fuerit adversus clericum, cum tamen ille paullo post canonicatu se abdicasset, non modo conquievit Capitulum, sed cum postmodum

dum alter ex clericis subdiaconalem canonicatum obtinuisset, vetus iterum servata est consuetudo.

Ad hanc confirmandam sententiam, Constitutiones tandem expendit Capituli, quæ ita *cap.*22. de ascensu ab una ad alteram classem disponunt: *Vacando un Canonico, i Canonici presenti in Roma solamente possano salire di grado, cioe il primo Suddiacono al diaconato, ed il primo Diacono al luogo dell'ultimo Prete. Che se sono assenti, o non vogliono passare, passi chi viene dopo. E se nessuno volesse passare, allora il nuovo Canonico, se vuole, e già sia promosso all' ordine requisito, entri nel luogo del defonto.* Ex hac profecto capitulari Lege sic argumentatur: *Primo occurrunt notatu digna ea verba,* salire di grado, *ex quibus eruitur, sanctionem illam præcise ad præcedentiam referri, atque ad præcedentiæ ordinem definiendum pertinere. Etenim gradu super alios ascendere, idem unumque est, ac alium præcedere, quum utraque sint synonima verba.*

Hisce positis, attentaque prænarrata Constitutionum sanctione, duo inde omnino consequuntur. Primum; quod is, qui vacantem canonicatum assequitur, quocumque tandem privatim ordine polleat, sive presbyterali, sive diaconali, prout sæpe sæpius usuvenit, non idcirco ad presbyteralem, aut diaconalem classem illico adscribi, neque in Canonici defuncti locum suffici, sed indistincte in ultima subdiaconali classe novissimus recipi, ac considere debeat. Alterum, quod præcedentiæ ordo ex dignitate classis, quodque itidem cujusque in sua quaque classe præcedentia ab antiquitate temporis, quo quisque ad eam classem gradum fecit, non a dignitate ordinis, quo quisque privatim pollet, dimetienda sit. Id nimirum clare ostendunt ea verba; passi il primo Suddiacono; passi il primo Diacono; passi chi viene dopo; passi al luogo dell'ultimo Prete. *Quum enim ad effectum* di salire di grado, *cautum ea Lege fuerit, ut attendatur, quis sit* il primo *in sua classe, quis ille,* che viene dopo, *nullo perpenso itidem discrimine, nulla expresse mentione habita de personali cujuscumque dignitate, clare inde patet, statutum ibi fuisse, illum ut ascensu, ita gradu præcedere alios debere in unaquaque classe, qui prior sit tempore, non qui potior dignitate.*

Qua

Qua de re concludit, quod *quum præcedendi ordo, hucusque in meo Transtyberiano Capitulo servatus, nec juris dispositioni obversetur, & peculiaribus ejusdem Capituli legibus fulciatur, ac sæculari tandem observantia probatum sit, idcirco nihil esse immutandum censerem. In quam quidem sententiam eo libentius adducor, quod quoties res est de honorum prærogativa, caute admodum procedendum sit in eorum ordine permutando* . EE. tamen Vestris deliberandum relinquit .

An, & quomodo sit locus præcedentiæ in casu &c.

Affirmative juxta Votum Emi Titularis .

Sess. 22. decret. de observan. & evitan. in celebr. Miss.

NICIEN. Cæduam elapso anno 1789. ad vicennium conduxit sylvam Joseph Antonius Perez, extruxitque in ea Sacellum, ut Sacro diebus festis assisteret operariorum colonia . Illud namque ob æquam fere trium horarum distantiam a vicinioribus oppidis Illionza, di Maria, Bairols, Lieucia negligere ceperat. Difficultas erat Sacerdotis celebrantis; neque ulla ex Oppidis spes, quorum tres Parochum, & Ludimagistrum oppidanis necessarium, Parochum dumtaxat habet quartum . *Sanctissimo* igitur supplicavit Perez, ut facultatem alteri ex Ludimagistris ad vicennium illud indulgeret celebrandi diebus festis duplicem Missam, sub auroram nempe in Oppido, procedente mane in Sacello sylvæ .

Precibus ad Sacram hanc Congregationem remissis, exposita primum confirmavit, deindeque in secunda informatione addidit Niciensis Episcopus, provideri non posse necessitati coloniæ per unicam alterius Ludimagistri Missam, eo quod *i Popoli respettivi delle tre suddette Parrocchie pagano il Maestro in particolare per aver due Messe ne' giorni festivi, e queste due Messe sono loro indispensabili, attese le circostanze delle famiglie, e de' loro bestiami* ; Unum vero superesse

resse remedium, si aliunde conductor sylvæ Sacerdotem evocet, & apud coloniam retineat; sed ejus judicio *sarebbe di molto aggravio alla di lui impresa, già pericolosissima in se stessa per i moltiplici accidenti, a cui è soggetta di sua natura*. Res igitur sub infrascripto proponitur Dubio.

Sacrum eadem die prioribus Ecclesiæ sæculis iterare consueverunt Sacerdotes; idque pro Fidelium copia exiguus requirebat illorum numerus, testibus *Card. Bona rer. liturgic. lib.* 1. *cap.* 18. §.5., *& seq.*, *Thomasin. de vet. & nov. Eccles. discipl. part.* 3. *cap.* 72. §.3., *& Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 5. *cap.* 8. §.8. Diu tamen, permittente Ecclesia, hoc ipsum aucti servarunt; & si fides præstanda est *Walafrido Strabo-ni de reb. eccles. cap.* 21., plura etiam Leo III. una die fecit Sacra. Quum ea autem abuti cepissent facultate, præ omnibus decrevit sæculo undecimo Concilium Salegunstadiense, ut *unusquisque Presbyter in die non amplius, quam tres Missas celebrare præsumat*, apud *Thomasin. loc. cit.*, auctoqué deinde abusu statuit Leo IV., ut *nullus Presbyter plures Missas in die celebret, quam unam tantum, excepto die Nativitatis Domini, & in Dominica præsente funere*, quemadmodum in antiqua legitur historica anonimi collectione. Hoc ipsum edixit Alexander II., juxta *Joannes Cartonen. lib.* 2. *cap.* 18., *& Gratian. in can. sufficit, distin.* 1., Ac Innocentius tandem III. *in cap. consuluisti*, & Honorius III. *in cap. te referente, de celebrat. Miss.* strictius iterationem interdixerunt Missæ, una excepta festivitate *Nativitatis Domini*.

Plures quidem Theologi ponunt casus, in quibus bis die festo celebrare liceat, si ministrandum nempe sit Viaticum infirmo, si benedictio urgeat nuptiarum, vel magnus superveniat Princeps, qui Missam non audierit. Ita *S. Antoninus* 3. *part. summæ tit.* 3. *cap.* 6. *num.* 5., *Hostiens. ad tit. de celebr. Miss. num.* 4., *& seq.*, *Salmaticenses oper. moral. tom.* 1. *tract.* 5. *de Sacrific. Miss. cap.* 4. *punct.* 1., aliique. De hoc tamen Benedictus XIV. *in tract. de Synod. Diœces. lib.* 6. *cap.* 8. §.2., loquitur casu, quod binæ, dissitæque Parœciæ sub uno sint Rectore, nec alter sit Sacerdos, qui in altera ex ipsis Missam celebret. Idque confir-

mavit in Constitutione *Declarasti* 3. in ejus *Bullar. tom.* 2. Ob aliorum idcirco Sacerdotum existentiam probavit laudatus Pontifex *de Synod. diœces. loc. cit.* §.3. constitutionem synodalem, qua unius & alterius Paræciæ Rectori duplicem Oscensis Episcopus interdixerat Missam.

Versari videremur in casu Benedicti XIV., quum longe operariorum colonia a proximiore distet Parœcia, cujus dici posset membrum, neque supersint in circumjectis Oppidis Sacerdotes, qui in ea diebus festis Sacrum faciant. Notandum tamen, quod alter aliunde haberi valet Sacerdos, quem retineat Orator in sylva, omnisque difficultas consisteret in sumptu, quem Episcopus censet *di molto aggravio alla sua impresa*. Justa, nec ne hæc sit causa concedendi indultum celebrandi eadem die duplicem Missam, EE. Vestræ decernent. Absolute quidem Benedictus XIV. aliorum Sacerdotum defectum requirit, ut liceat, quod Canones prohibent.

Deliberandum itaque.

An, & quomodo sit concedendum indultum celebrandi eadem die duplicem Missam in casu &c.

Negative.

Sess.25. cap.4. de Reform.

ARIMINEN. LEGATORUM. Testamento præscripsit anno 1662. Pompejus Fabri, ut germanus ejus frater Matthæus, & Elisabeth soror, ex asse heredes, tenerentur *celebrari facere Missas quinque singulo anno eorum vita durante*. In tabulis rursus anni 1675. jussit Matthæus, *che nel giorno di S. Bartolomeo Apostolo, oltre le cinque Messe solite, che fà celebrare, li faccino celebrare altre cinque in perpetuo per l'Anima sua*. Utrumque legatum veluti perpetuum ejus descendentes adimpleverunt. Advertentes tamen Sebastianus, & Dominicus Antonius Fabri ad temporariam prioris qualitatem, supremum in id postularunt EE.

Pa-

Patrum oraculum, ne illius onus diutius subeant. Licet ex literali dispositione Pompei temporarium Ariminensis Episcopus fateatur illius legatum, factum tamen censet perpetuum non tam ex voluntate Matthæi, quam diuturna observantia. Hæc sunt ejus verba: *Matthæus in institutione sui legati perpetui, fratris legatum commemorando, iis verbis eoque loquendi modo usus est, ut lateat profecto, utrum fratris Missas voluerit temporaneas, prout erant, relinquere, vel potius perpetuas facere, ut certo poterat. Si dum testamentum condidit, soror Elisabeth superstes adhuc fuisset, cujus cum vita perdurare debebat primum legatum, valde quidem minueretur difficultas, & jure dici posset, quod Matthæus legatum fratris adhuc duraturum ratione sororis ibi solummodo commemoravit. Verum deficientibus omnino libris parochialibus ejus temporis, in vanum abierunt adhibitæ diligentiæ. In hoc rei statu ad præteriti temporis observantiam, uti ad interpretem dispositionis recurrendum esse arbitror. Descendentes porro Matthæi primum legatum tanquam perpetuum una cum secundo semper habuere, atque uti tale huc usque adimpleverunt. Unde concludi posse videtur, Oratores, eorumque heredes ad utriusque legati adimplementum in perpetuum teneri.*

Favere Oratoribus posset expressa unius Legantis voluntas de temporaria Missarum celebratione quousque heredes viverent, & non expressa alterius dispositio de ea perpetuanda. Tacita enim expressæ non derogat voluntati, juxta sententiam *Bart. in leg. Licet Imperator in* 1. *notab.*, & *Jas. num.* 4. *de legat.* 1. Alia vero ex parte urget regula, quod sumenda est in legatis piis latissima interpretatio *ratione pietatis causæ, ac favore Divini cultus pro perpetuitate*, ut inquit *Card. de Luc. de legat. disc.* 19. *num.* 7., & *Rot. coram Molin. decis.* 35. *num.* 6. Ita autem interpretari posse videretur dispositio Matthæi, qui tanquam heres Pompei, ejus legatum ampliare poterat. Dum enim præter Missas a Pompejo legatas, quas ipse celebrare faciebat (quia soror fortasse coheres decessisset) reliquit *altre cinque in perpetuo*, perpetuum quoque voluisse censetur primum legatum; nam dictio illa *altre* identitatem inducit naturæ, eamdemque repetit qua-

litatem, per *Text. in leg. Quidam relegatus ff. de reb. dub.*, *cap. sedes de rescript.*, *Barbos. dict. alius n.* 1., *Rot. in recen. decis.* 271. *la prima num.*15. *part.*13.

Diuturna accedit plus quam centenaria heredum observantia, de qua testatur Episcopus. *Descendentes porro Matthæi primum legatum tanquam perpetuum una cum secundo semper habuere, atque uti tale huc usque adimpleverunt.* In quolibet enim dubio legatum declarat, juxta *leg. si quis plures, ibique Jas. num.* 1. & 4. *ff. de legat.*1., *Bart. in leg. gerit* 87. *num.* 17. *ff. de acquiren. heredit.*

Deliberandum igitur.

An legatum Pompei Fabri sit perpetuo adimplendum in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 22. *cap.*6. & *sess.*24. *cap.* 15. *de Reform.*

LISBONEN. APPLICATIONIS. In postremis tabulis anni 1703. sepeliri jussit Antonius Gomez Lopez ejus corpus in Ecclesia S. Mariæ *della Stella*, religioso indutum S. Benedicti habitu; certisque eidem Ecclesiæ in celebrationem Missarum legatis bonis, perfici ex reliquis mandavit majorem illius Capellam voluitque, quod *il di più, che rimarrà delle rendite in ciascun anno, sarà applicato in opere della detta Cappella, e non mai si potrà diminuire il principale di tutti i beni, che vincolo alla detta Cappella.* Verba sunt testamenti, in italicum ex ulyssiponensi idiomate translati. Absoluto Capellæ opere; sacris omnibus ad ejus usum comparatis utensilibus; annuisque detractis expensis, realia supersunt 132098., seu scuta circiter 132. Omnia administrat Benedictinus prot empore Abbas *della Stella*. Dum redundant autem Capellæ reditus, angustiis præmitur Benedictinorum illud Collegium, subsidiisque indiget eorum Ecclesia. Congruam porro non habent eleemosynam Religiosi tres, qui Missas celebrant pro Testatore; aliorum manutentioni

tioni pares non sunt Collegii reditus ; et post passam ex terræmotu anni 1755. violentam concussionem, Collegium adhuc, & Ecclesia reparari debent . Hisce de causis applicationem postulat hodiernus Abbas redundantium redituum Capellæ, qui sunt, & futuri erunt; & a suo Ulyssiponensis Nuntius Apostolicus abstinens voto, hactenus exposita per Testes confirmat .

Expressa quidem est Testatoris voluntas de redundantibus erogandis reditibus *in opere della detta Cappella* ; neque idcirco in alium usum converti debere videretur, quod in certam relictum est causam, per *cap. tua nobis de testam.*, *Pignatell. consult.* 50. *num.* 1. *tom.*6., *Scarfanton. ad Ceccoper. lucubr. can. lib.* 4. *tit.*5. *tom.*2. *in animad. num.*1. Maxime, quia de Religiosis cogitavit Testator, & tamen nil aliud eis reliquit, quam fundum Missarum . Nimia contra erga illos, eorumque Ecclesiam fuit ipsius benevolentia ; idque ostendit benedictini habitus votum in funere, *Piton. discept. eccles.*148. *num.*14. , *Pignatell. consult.* 151. *num.* 5. *tom.* 4. , atque eximia in Capellam largitio, quæ præcipuam quoque erga Ecclesiam præfert voluntatem, per *Text. in leg. penult. ff. de oper. publ.*, *Arnost. de caus. piis lib.* 1. *cap.* 14. *num.*35. , *Barbos. de offic. & potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 83. *num.*12.

Una insuper ex parte graves notandæ sunt circumstantiæ Ecclesiæ S. Mariæ *della Stella*, eique adnexii Collegii, quibus etiam Testator per tantam Capellę sollicitudinem consulere voluisse censetur, *Pasqualig. de Sacrific. nov. Leg. quæst.* 1145. *num.* 5. *tom.* 2. , *Piton. discept. eccles.* 2. *num.* 12. . Animadversionem ex altera meretur, nedum juxta votum Testatoris extrustam fuisse Capellam, sed rebus etiam omnibus instructam esse, itaut redundantes Gomesiæ hereditatis reditus ad plura scutorum centena otiosi remaneant . In his sane terminis absurda videri non posset illorum erogatio in pium aliud, reparationis præsertim Ecclesiæ opus, ad tradita per *Piton. discept. eccles* 69. *num.*4.

Quatenus autem indulgere velint Emi Patres petitioni Oratoris in genere, deliberandum erit de perpetuo, quod postulat, applicationis beneficio . Redundant quidem Capellæ reditus; sed supervenire poterit illorum necessitas . Indigent modo Ecclesia, Collegium, & Re-

& Religiosi; sed per reparationem fabricæ, vel pium aliquod relictum cessare posset indigentia. Ad tempus applicati fuerunt superextantes reditus hereditatis Ugolini, in Missas, & Anniversaria destinati, ut ejus dimitteret creditores, *in Forolivien.* 13. *junii elapsi anni* 1789. *ad II. Dub.* Et ad tempus assignata fuerunt inopi Parocho Oppidi Meggiani legata quædam Missarum *in Spoletana* 27. *junii ejusdem anni*.

Quæritur ergo.

An, & quomodo sit locus applicationi in casu &c.

Die

Die Sabbathi 18. *Decembris* 1790. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sac. Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

Sess.25. cap.4. de Reformat.

ARIMINEN. LEGATORUM.
An Legatum Pompei Fabri sit perpetuo adimplendum in casu &c.

Affirmative.

LISBONEN. APPLICATIONIS.
An, & quomodo sit locus applicationi in casu &c.

Sess.22. cap.6. & sess.24. cap. 15. de Refor.

Affirmative pro fructibus in posterum decurrendis ad decennium, & ad effectum restaurandi Ecclesiam tantum, facto verbo, cum Sanctissimo.

Sess.25.cap.11. de Reform.

LAURETANA. Emerat anno 1777. Sacerdos Joannes Ginami jus exigendi pensiones domus adnexæ beneficio Jo. Bernardini Morichi. Quæsitum hinc fuit in Congregatione diei 30. Augusti 1788., *an constet de nullitate contractus, ita ut sint restituendi fructus*, atque EE. VV. rescripserunt, *affirmative in omnibus*. Confirmatorium die 17. Januarii sequentis anni 1789. accessit rescriptum *in decisis & amplius*, addita declaratione, *& cui sint restituendi fructus, ad D. Secretarium cum San-*

Sanctissimo. Hac tamen suspensa relatione, de restituendis actum fuit fructibus inter summaria precum in Congregatione diei 7. Februarii, prodiitque declaratio, *a die initi contractus, compensata sorte, fructus tantum superextantes*. Atque hinc in audientia diei 11. ejusdem mensis *Sanctitas Sua fructus superextantes relaxari mandavit favore Joannis Ginami*.

Hoc fretus Pontificio rescripto, contendere cepit Ginamus pro restitutione superextantium fructuum non usque ad diem primæ resolutionis Causæ 30: Augusti 1788., sed ad diem 11. Februarii 1789., quo relaxationis gratiam obtinuit. Adversus eum vero notandum retulit Lauretanus Vicarius Apostolicus in facto, *consensum in actis præstitisse Ginamium, ut prædictus Morichi pensionem, de qua agitur perciperet*, atque hinc censuit, *incongruum, & irrationabile esse, ut quod semel placuit in judiciali palestra, sibi postea displiceat, & ab EE. Vestris per viam gratiæ expostulet, quod in actis ultro concessit*.

Supplicem alterum Ginamus dedit libellum, & a resolutione monitus Causæ cum Morichio, Vestram imploravit definitionem super consimili contractu. Anno siquidem 1786. jus pariter emit a Lauretano Beneficiato Vincentio Belardi exigendi annuam pensionem beneficialis ejus domus pretio scutorum centum, eoque per nonnullos menses usus est. Acceptum modo pretium, exactis demptis pensionibus, reddere pollicetur Belardus, remque alias discussam, expeditam autumat Vicarius Apostolicus, ita ut declarandum videatur, *venditionem juris prædicti cum Belardo ab Oratore stipulatam, inter vetitas comprehendi, similique nullitatis vitio* (ac illa Morichii) *supponi*.

Tertia inter hæc accedit instantia Laurentii Breccia, ut absolvatur a reddendis Morichio pensionibus, quas jamdiu ob parem emptionem percepit, nec in restitutam sortem imputavit; eademque illiciti contractus ratione arbitratur Lauretanus Vicarius, quod *quum Morichius in redemptione juris prædicti integrum pretium refuderit, nec pensiones deduxerit, videtur, quod optimo jure easdem pensiones repetat, a Breccia receptas*.

Sibi postremo timens Petrus Franciscus Gaudenti, si gratiam obtineat Breccia, ne concedatur rogat. Ei anno 1772. jus vendidit exigendi ex beneficiali domo pensiones Antonius Gaudenti germanus illius frater, & Lau-

re-

retanæ Basilicæ Archidiaconus, redditaque deinde sorte absque pensionum imputatione, similem anno 1783. iniit contractum cum Joanne Corpi. Veretur itaque, quin adversus ipsum retorqueatur gratia, quam ille implorat, sibique facultas adimatur repetendi summam, quæ favore defuncti ejus fratris imputata non fuit. Quum autem hujusmodi preces connexæ sint reliquis, ad alias idcirco informationes se refert Vicarius Apostolicus.

A prima exordientes Ginami petitione, notat ipse in exhibitis animadversionibus, distinctum a *Sanctissimo* non fuisse in rescripto diei 11. Februarii 1789. tempus, ad quod frui deberet Pontificia gratia; neque restringendum idcirco esse illius beneficium, *Text. in cap. si nulla* 36. *de præben. Paulut. dissert.* 62. *decis.* 3. *num.*95., *Polit. dissert.* 36. *num.* 23. *de dot. tom.* 3. Maxime quia uberiores, quas postulat, pensiones decurrerunt ad summam scutorum septem pendente ad Pontificem recursu, ex quo cedit tempus beneficio recurrentis, *Pax Jordan. Lucubrat. lib.*10. *tit.*7. *num.*360. *tom.*2., *Piton. de controv. patron. allegat.* 54. *num.*10. Neque obesse ait illarum exactio post diem 11. februarii; nam dietim cessisse censentur, licet non venisset solutionis dies, *Gratian. discept.*20. *num.*45., & *Rot. post. Cenc. de cens. decis.* 177. *num.*15.

Ponderandum contra, num rescriptum illud referri potius debeat ad eas pensiones, quas jam Sacra Congregatio reddendas decreverat, ideoque ad diem retrotrahi primæ resolutionis juxta *cap.* si *eo tempore de rescript. in sexto*, *Cost. de retrotract. eas.* 18. *numer.* 3. *pag.* 141. Idque etiam animadversionem meretur, quod pensiones ab ea die decursas, Morichio permisit Ginamus in judicio, in quo quasi contrahitur, *Barbos. axiom.* 132. *nu.*3. Qua de re inquit Vicarius Apostolicus, *incongruum*, & *irrationabile esse*, *ut quod semel placuit in judiciali palestra*, *sibi postea displiceat*, & *ab EE. VV. per viam gratiæ expostulet*, *quod in actis ultro concessit*.

Nullam altera Ginami instantia involvit difficultatem. Jam enim ex rationibus deductis in Folio diei 30. Augusti 1788. nullas EE. VV. declararunt emptiones venditiones juris exigendi pensiones beneficialium domorum Lauretanæ Basilicæ; nec dubium propterea esse valet, quin ejus juris venditio per Ginamum inita

cum Belardo, inter vetitas comprehendatur. Hoc tamen deliberandum, num restitutio sortis cum imputatione perceptarum pensionum permittenda sit in ratas portiones, de qua re Ginamus principaliter queritur. Favere posset Belardo gravis ejus paupertas, quam Ginamus ipse fatetur; nam a qualibet etiam restitutione excusat impotentia *Fagnan. in cap. Odoardus num.26. de solut.*, *& S. hæc Congregatio, in Syracusana 7. Februarii 1705. lib. decret. 55. fol. 44.* Alia vero ex parte cogi non potest creditor ad minutam crediti exactionem, *Lup. de usur. comm.2. §.2. num.71. Rot. in recent. decis.229. num.15. part.9. tom.15.*

Postulatum superest Laurentii Breccia, a cujus resolutione pendet Gaudentii sors. Emptiones siquidem juris exigendi pensiones per eum initæ cum Morichio, & Gaudentio, jamdiu per restitutionem sortium resolutæ fuerunt. Atque ex hoc non teneri ait ad restituendum, quod vigentibus contractibus imputatum non est in sortem, ne ad vitam scilicet revocentur gelidi similium contractuum manes cum gravi tot familiarum perturbatione. Juxta nec ne sit hujusmodi excusatio, a supremo EE. Patrum pendet judicio. Semper quidem reddi debet, quod illicite exactum est, *Text. in leg.2. §. item si dedero, ff. de condit· ob turp. vel injust. caus.*, *Molin. de just. & jur. lib.1. tract. 2. discept. 83. col. 3. sub litt.D. vers. quando autem.*

Dubia sunt.

I. *An, & ad quod tempus relaxari debeant Ginamo fructus superextantes in casu &c.*

II. *An constet de nullitate contractus per eum initi cum Belardo, & quomodo sit restituendum pretium in casu &c.*

III. *An, & quibus Laurentius Breccia reddere teneatur pensiones in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad diem 30. Augusti 1788.

Ad II. Affimative, & restituendum esse pretium, imputatis pensionibus per Ginamum exactis, unica solutione·

Ad III. Ad Secretarium cum Sanctissimo juxta mentem.

SPO-

SPOLETANA. Ob gravem inopiam parochialis Ecclesiæ oppidi Meggiani, ad aliud ei quinquennium prorogata fuit in Congregatione diei 27. junii elapsi anni 1789. assignatio legatorum Antonini, & Statera, & reductio Missarum 85. ad 60., quibus Parochus gravatur, addita clausula: *& interim curet Episcopus providere indigentiæ Paræciæ aliis mediis a Sacro Concilio Tridentino præscriptis*. Clementiam modo EE. Patrum implorat Parochus, & Populus pro perpetuitate gratiæ, tum quia reliqua desunt providendi media ad formam Concilii, tum quia dissita legatorum prædiola, & infirma eorum domus cum meliori permutari poterunt prædio, in quo, de perpetuo jure tuti, facturi erunt Parochi melioramenta; impenseque in nova informatione Spoletanus Episcopus eis favet in hæc verba: *Oratores præ oculis habent, & ægre ferre coguntur, bona dictorum legatorum adeò deteriorari in diem, ut quam cito infrugifera prorsus, & sterilia evadant causa de hac, quod Parochus, ceu temporaneus administer, sibi opus facere plantandi non devinci fatetur, vel quum prædicta bona inter se dissita, & in diversis vocabulis constituta, necnon disjuncta à ceteris etiam Curæ bonis, eadem plantare inutile judicatur ob Belvarum damna sæpe sæpius obventura, Quibus absurdis certo certius consequuturis minime obviari potest, nisi reductio præfata ad tempus indefinitum, hoc est donec Ecclesia provisa remaneat, protendatur. Tunc sane præviis necessariis permutationibus ad effectum uniendi, plantationes ad meliorandum incunctanter curabuntur. Equidem ut alias referre debui, ex una disquisitis remediis, ac providentiis à Sacro Concilio Tridentino adsignatis ac traditis, singulis eorum nedum destitui indubiè exploratum, sed vix tempora multa, optatum finem sperandi, fundamentum præbent: parte ex altera si de rore Cæli id acciderit, & utinam eveniret, tunc bona prædictorum Legatorum non omnino deteriorata invenientur, & si indivisa efficiantur permutationum causa à bonis Curæ, Parochus pro tempore erit devictus onere, integrè Legatorum implementum sibi adcumulandi.*

Sess. 21. cap. 5. & sess. 24. cap. 13. de Reform.

Quæritur ergo.

An, & quomodo sit locus perpetuæ applicationi legatorum, & reductioni Missarum in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi.

Sess.21. cap.7. de Reform.

BALNEOREGIEN. ECCLESIÆ CATHEDRALIS. Dum Præsul Joseph Aluffi ad Balneoregiensem evectus fuit Episcopalem Cathedram, plura ab heredibus decessoris Episcopi Baldassini vindicavit; per rem judicatam nempe cameralem scuta 156. 58. pro animalibus deficientibus in bonis mensæ Episcopalis: scuta 124.40. per sententiam A. C. pro deteriorationibus prædiorum; ac per iteratum Sacræ hujus Congregationis rescriptum diei 17. augusti 1776., & 28. ejusdem mensis 1779. reintegrationem omissarum reparationum Ecclesiæ Cathedralis *ad formam Peritiæ*. Animo hinc ad infelicem advertens illius Ecclesiæ statum, novum fere in decentiorem formam designavit ædificium, pro quo hæc habuit subsidia: remissionem annuæ pensionis scutorum centum super ejus mensa: scuta 60. ex redundantibus Fidelium largitionibus pro celebratione festivitatis S. Bonaventuræ. scuta 1565. 80. ex eleemosynis, dimidiis annatis, multisque, seu juxta calculum Aluffi scuta 1422. 70., arbores ex bonis mensæ per rescriptum Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium; gratuitam Civium operam: nonnullas Capituli domunculas: cujusque Capellæ sumptum a patronis: ac sub assertione tandem, quod scuta in opus impendere deberet circiter 5000., indultum a san. me. Clemente XIV. obtinuit testandi.

Sive substructionum vitio, sive fragilitate materiæ, sive Architecti errore fatisci ceperunt novæ Ecclesiæ fornices, & tecta. Sacræ huic idcirco Congregationi supplicavit Balneoregiense Capitulum, ut Episcopum compelleret ad reparationem; precibusque ad Em̄um remissis Cardinalem Antambrum, qui pendente adversus illum in Sacra Congregatione Episcoporum & Regulatium notissima Causa, Apostolicus erat Balneoregiensis Ecclesiæ Visitator, accuratam vigilantissimus Purpuratus, audito Episcopo, & Capitulo, dedit relationem. Ex ore siquidem Fabri murarii inquit, *imminens non esse periculum, nisi in casu terræmotus, vel copiosæ nivis super tecto . . . ceterum reparationi locum esse, ne ruina* [Ecclesiæ] *non longe metuenda contingat*; expensam vero ascendere *non ad scuta* 1425., *ut ajunt Periti a Capitulo exhibiti, sed ad scuta* 578. 30. Rationes hinc exposuit, ex quibus refundere conabatur Capitulum reparationis onus in Episcopum; & de quibus opportunius infra; atque ita conclusit.

Omnibus hisce perpensis, dubium mihi maximum erit, quod vere onus reparationis ad Rm̄um P. D. Episcopum

per-

pertinere debeat. Siquidem ipse ita voluit, ita obtinuit contra immediatum antecessorem, adeoque respuere non debeat legem, quam ipse contra alium ferri postulavit. Capitulum paupertate pressum, ut est, ille ipse probavit. Non solis sumptibus propriis Ecclesiam ædificavit; sed nonnulla præstita sunt subsidia. Capitulum forte ultra vires contribuere non renuit. Ecclesia non a fundamentis, sed a solo renovata est; non ampliata in latitudine, immo coarctata, quia novi super veteribus muris constructi sunt. Longitudine ex pecuniis Canonicorum auctam novimus, quodque mihi semper mirandum fuit, etiam in Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium, quam pluries informare debui, illud est, quod quanta fuerit expensa ab eodem Rmo Episcopo de proprio erogata, sive quanta in ædificatione erogata sit, per exhibitionem notularum, aut computorum, nunquam scire possibile fuit, utpote per peritias sui arbitrio factas ingentem summam erogasse vocitavit, & vocitat. Si quid autem impendit, quantumcumque sit, fassus est, onus ultro suscepisse, ob idque specialissimam gratiam [testandi] *à san. mem. Clemente XIII. obtinuisse animadvertendum quam maximè opinor.*

Atque hinc EE. Vestræ præfigi jusserunt terminum *arbitrio Emi Visitatoris tam Episcopo, quam Capitulo ad deducenda jura sua in Sacra Congregatione*, addita clausula *& in casu necessitatis Emus Visitator provideat prout de jure*. Dimisso interim per Præsulem Aluffi Episcopatu, reparationum necessitatem per architectum Josephum Antolini novit successor Episcopus Cordella, iteratoque ad eum rescripto *provideat PROUT DE JURE*, omnem sibi deesse retulit providentiam; Ipsoque propterea urgente, die tandem 29. augusti elapsi anni 1789. rescripsit Sacra Congregatio, *reparationem, de qua in precibus, conficiendam esse pro nunc, & per modum provisionis sumptibus mensæ Episcopalis, etiam per creationem, & impositionem census, reservato jure contra quem, seu quos de jure*. Vigore igitur hujusce rescripti sub fœnore accepit Episcopus scuta 800., operique admotæ sunt manus. Ut de confectis vero, conficiendisque constaret reparationibus, ædificium describi mandavit Sacræ Congregationis Secretarius ad instantiam Capituli; & ita die 15. octobris ejusdem anni 1789. in contumaciam Præsulis Aluffi, præsente tamen ejus architecto Josepho Viscardi

scardi factum est, constititque ex relationibus Peritorum Episcopi, & Capituli de reparationum necessitate, & qualitate. Res modo sub duplici proponitur Dubio.

Ad probandam reparationum necessitatem, de qua sub primo, relationes urgent Promotor Fiscalis Balneoregiensis Curiæ, & Capitulum Fabri murarii ab Emo D. Cardinali Antamoro deputati, Architecti Antolini, & Peritorum judicialium, qui singula etiam in fornice & tecto ex deteriori structura, fragilique materia notant vitia. Quanti autem judiciales præsertim faciendi sint Periti, docent *Pinell. ad leg.* 2. *Cod. de rescinden. vendit. part.* 3. *cap. ult.*, *Pacion. de locat.*, & *conduct. cap.* 34. §. 5. *num.* 49., & *Sacra Rot. in Romana Horrei super Damnis* 14. *martii* 1755. §. 3. *coram clar. mem. Card. Caprara*. Neque obesse ajunt, quod partem in judiciali descriptione habere noluerit Præsul Aluffi. Ad eam namque interpellatus fuit, ejusque idcirco voluntaria contumacia solemnem fortasse non vitiavit actum, cui Promotor Fiscalis, & Capitulum cum suis Peritis interfuerunt, per *Text. in leg.* 3. §. *si tamen ff. quod quisq. jur.*, & *in leg. meminerit Cod. unde vi*.

Sub fide contra Architecti Ceccarelli, qui fabricæ præfuit, ac unius, & alterius Fabri murarii, qui operam in ea præstiterunt, suadere contendit Præsul Aluffi firmitatem operis, suamque solicitudinem pro recta illius confectione. Ponderandum tamen, num extrajudiciales istæ relationes præferri queant judicialibus, contra regulam *legis si irruptione ff. fin. regun.*, de qua *Rot. in Privernen. Aquarum super secundo Dubio* 5. *junii* 1789. *coram R.P.D. Paracciano*. Plures quidem inter extrajudiciales, & judiciales Promotoris Fiscalis, & Capituli Peritos notat contradictiones; sed de his Emi Patres ex illorum scriptis decernent. Sæpe insuper ex relatione Emi Antamori dictitat, *imminens non esse periculum*, *nisi in casu terræmotus*, *vel copiosæ nivis super tecto*; nec tantum postremo supponi posse ait malum in ædificio, cui præfuerunt Canonici ab ipso deputati, ipsumque plausit Capitulum. Notandum vero, quod licet imminens non sit periculum, Peritorum tamen, & Emi Antamori judicio *reparationi locum est*, *ne ruina non longe metuenda contingat*; quodque materialis Canonicorum assistentia, laudesque Capituli necessitatem non excludunt reparationum, de qua judiciales potissimum testantur Periti.

Ad

Ad quem hujusmodi reparationum onus pertineat, quæritur secundo; seque Præsul Aluffi ab eo solutum autumat per dimissionem Episcopatus; fructuarii instar, qui rem post dimissum usumfructum reficere non debet, per *Text. in leg. si absente* 48. *in princip.*, *in leg. cum fructuarius* 64. *ff. de usufr.*, quod *Frances. de Eccles. Cathedr. cap.* 13. *num.* 28. exstendit *ad casum*, *in quo ruina Ecclesiæ Cathedralis tempore Episcopi antecessoris evenisset*; *nam cum actio sit realis, contra præsentem Episcopum procedi potest*. Eoque minus ad reparandum ædificium damnari posse censet, quia optimum ipse per Deputatos, Architectum, Peritosque murarios curavit opus, omnique vacavit culpa, quæ in refectione damni requiritur, *Gratian. discept.* 125. *num.*4., *Polit. de Fideicomm. dissert.*94. *num.*20. *tom*2., *Rot. cor. Molin. decis.* 606. *num.* 12., & 607. *per tot.*

Canonicas ejus adversarii memorant sanctiones, ex quibus Cathedralis Ecclesiæ reparatio incumbit Episcopo, *Canonem* nempe *de reditibus* 12. *quæst.* 2., quem exornant *Pirringh. in jus canon. lib.* 3. *tit.* 48. *num.* 19., *Lotter. de re benefic. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 50., & Benedictinam Constitutionem *Pius*, *& misericors Deus* apud Concilium Romanum §. *Quoniam*. Potiori autem jure ad eam teneri ajunt Præsulem Aluffi, quia fatiscere cepit Balneoregiensis Ecclesia ante dimissionem Episcopatus, isque fuit causa cur præ nimia parsimonia, materiæque fragilitate in præceps iverit ædificium; quod ex pluribus probant. Vix sane operis pretium in scutis constituunt 5000., quot Præsul ipse ad impetrandum indultum testandi impendere debere inquit, & ex relatis subsidiis fortasse collegit. Erroneam vero affirmant peritiam Ceccarelli de majori impensa scut. 13084.62., & cum Eminentissimo Antamoro notandum rogant, *quod quanta fuerit expensa ab eodem Rmo Episcopo de proprio erogata*, *sive quanta in ædificatione erogata sit*, *nunquam scire possibile fuit*, *utpote per peritias sui arbitrio factas ingentem summam erogasse vocitavit*, *& vocitat*. Impossibilem immo dicunt hujusmodi sumptum ex reditibus Balneoregiensis Episcopatus, de quorum tenuitate questus semper fuit Aluffius, qui indultum de cetero impetravit, ut de illis testamento disponeret. Maximi tandem faciunt resolutiones annorum 1776., & 1779., ut eodem ipse jure ad reparationis sumptum damnetur, quo adversus heredes ejus decessoris

soris Baldassini obtinuit, ad *Text.* expressum *in leg. 1. ff. quod quisq. jur. in alter. stat.*

Quæritur ergo:

I. *An, & de quarum restaurationum, ac reparationum tam factarum, quam faciendarum in Ecclesia Cathedrali necessitate constet in casu &c.*

II. *An, & ad quem illarum onus pertineat in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad formam peritiæ Termini deputati ab Emo Visitatore.

Ad II. Spectare ad R. P. D. Aluffi pro summa contenta in peritia Termini.

Sess. 23. cap. 18. de Reform.

FANEN. SEMINARII. Ad perficiendam Fanensis Seminarii fabricam scuta adhuc octingenta circiter requiruntur; annuique præterea illius reditus magnum non permittunt Alumnorum numerum. Vix enim scuta attingunt 1100, ex quibus detracto Præceptorum, Ecclesiæ, aliorumque onere, scuta dumtaxat pro Alumnis undecim remanent circiter sexcenta. *Sanctissimo* igitur supplicavit Seminarii Rector pro applicatione superextantium scutorum 400. Societatis B. Virginis Succursus Montis Majoris, annuaque ex illius reditibus præstatione pro Alumno; necnon pro augmento annui legati scutorum centum, quæ Patres Oratorii S. Philippi Civitatis Fani ex hereditate Juliæ Urfreducci Danieli pro Alumnis quatuor solvunt. Precibus autem ad Sacram hanc Congregationem remissis, prolixam initio, juribusque confirmatam informationem dedit Fanensis Episcopus, quam Emi Patres in circumferendo Oratoris *Summario* perlustrare poterunt.

Hæc porro est ejus summa. Per biennium, ædificii causa, dimisisse ait Alumnos e Seminario, ejusque reditus in fabricam erogasse. De ulteriori testatur sumptu in enunciata summa scutorum 800., omniaque deesse sacri Concilii Tridentini remedia. Loco superextantium scutorum 400., desponsam a Sodalibus Montis Majoris fuisse cessionem prædii quæsiti a Vincentio Zaffinio illius debitore, annuamque pensionem pro Alumno, dummodo per octennium singuli in Seminario permaneant, & sint oppidani, ut ex comitiis Socie-

cietatis diei 13. Augusti labentis anni. Ultro Patres Oratorii sub resevatione Beneplaciti Apostolici subministrasse ex reditibus hereditatis Danieli scuta biscentum; reductionem permisisse Alumnorum quatuor ad tres, & annua pro eorum quolibet despondisse scuta 55. Ita autem concludit: *Vos igitur oro, obtestorque* I. *, ut solutio scutorum* 200. *, quæ intuitu fabricæ Presbyteri Oratorii cum Vestri beneplaciti reservatione ex hereditate Danieli Seminario contribuère, hæc Vestra concessione, approbationeque accedente firmetur.* II. *ut prædium a Vincentio Zaffinio Sodalitio (del Soccorso) concessum, per Vos pro inchoata ædificatione perficienda Seminario adjudicetur.* III. *ut Presbyteris Oratorii, hereditatis Danieli administratoribus, per Vos liceat antiquæ pensioni annua quinque, & sexaginta scutata addere pro tribus Alumnis.* IV. *ut onus illud, quod sponte in se susceperunt Sodalitia duo Montis Majoris, & Saltariæ, Alumni nominandi, & pensionem solvendi scut.* 55. *perpetua duratione consistat. Immo si quando deerunt ex Oppidis iisdem Clerici, non propterea fraudentur alii arbitrio Episcopi, qui cum magna Diœceseos utilitate, neque exigua Sodalitatum gloria, eadem possint substentari. Quæ omnia si me a Vestra benignitate exorare sinitis, Patres Emi, novum profecto boni omnes Seminarium, sin minus, quantum res ferret, copiosum, aliquod tamen, stare Vestro beneficio veluti redivivum gratulabuntur.*

Præfixo interesse habentibus termino ad deducenda jura sua in Sacra Congregatione, additaque per Episcopum in confirmationem alterius secunda informatione, per assuetum *nihil transeat* obstiterunt Sodalitia, licet Episcopi votis per consiliares resolutiones annuissent. A contentione tamen abstinet illud Montis Majoris, licet pluries interpellatum; quoad alterum vero Saltariæ sublatum est impedimentum ob solemnem Rectoris Seminarii declarationem de nihil adversus ipsum petendo. Res igitur sub infrascriptis proponitur Dubiis.

Quantum Religioni proficua sit Clericorum institutio in Seminariis, nemo est, qui ignoret; maximeque propterea sollicitum de ea fuit *Sacrum Concilium Tridentinum sess.* 23. *cap.* 18. *de reform.*. Certa ad illorum conservationem, atque incrementum præscripsit *Sancta Synodus* media: sed ubi deficiunt, consulendum est ex superfluis sæcularium Confraternitatum, aliarum

rumque piarum; licet immunium institutionum reditibus, *Franzes. de Eccles. Cathedral. cap.* 28. *sub numer.* 303., *Card. de Luc. ad Concil. Trident. disc.* 25. *num.* 11. Episcopo autem teste, *remediis* (in nostro themate) *a Sacro Tridentino Concilio propositis uti non dabant Ecclesiastica beneficia pauca, ac tenuissima, ut subsidium nonnisi exiguum, & hoc non sine questibus prudenter expeti liceret.*

De singulis igitur subsidiis ab Episcopo propositis agentes, ex hoc reprehendi posset subministratio scutorum 200., quod utilior fortasse fuisset illorum erogatio in augmentum alterius subsidii, quod Orphanis Danielia reliquit. Notandum contra, pari eam fuisse voluntate erga Saminarium, in quo quatuor institui voluit Clericos; ejusque hereditatis reditus, secundum decennem statum ab Episcopo transmissum, in scutis excedere 448. 26. 3., quæ majori ex parte superfuerunt. Alterum pro fabrica Seminarii proponitur subsidium prædii Societatis Montis Majoris, eique obesse videtur, quod non de superextante pecunia, sed de perpetua agitur alienatione fundi. Animadversionem tamen meretur, quod prædium illud acquisivit Societas ab ejus debitore, ex pecunia scilicet superextante; & insignem de cetero habet censum.

Quo verò ad Alumnos; præcepto Danieliæ adversatur reductio numeri ab ea præscripti; & commutationem sapit voluntatis. In aucta rursus pensione eadem est difficultas minoris erga Orphanos subsidii, quum ei addi non posset, quod ultra summam a Testatrice præfinitam, præstandum esset Seminario. Ponderare tamen dignentur Emi Patres, eo tempore Danieliam de minori pensione disposuisse, quo uberior erat annona. Fortasse enim, si nostris viveret temporibus, aut minorem præscriberet Alumnorum numerum, aut majus subsidium. Ex ipso preterea Testamento facultas est Patribus Oratorii, tanquam executoribus testamentamentariis = *di poter sminuire il numero de Seminaristi.*

Multum postremo res non angit in genere quoad pensionem Alumni Montis Majoris. Legitime enim de ea statuit illius Societatis Congregatio. Facilis vero non est in specie. Duplicem porro Sodales addiderunt conditionem, quod per octennium permanere deberent Alumni in Seminario, ac semper essent oppidani

Obli-

Obligatio siquidem condirionalis deficiente conditione resolvitur, argumento *Textus in leg. qui testamento, ff. de testam.*, quem sequitur *Rot. in Recent. decis.* 318. *num.* 7. *pari.* 6., & *coram Molin. decis.* 158. *num.* 14. Non omnes tamen Clerici sublimi sunt ingenio, ut scientiis, ad ecclesiasticum præsertim statum necessariis, tam cito institui valeant; idemque publicum bonum, si Clericus diæcesanus pro deficiente oppidano in Seminarium recipiatur. Quatenus igitur Emis Patribus irrationabiles videantur conditiones a Societate adjectæ, iis tunc rejectis, suprema servari posset auctoritate obligatio.

Dubia sunt.

I. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro fabrica Seminarii in casu &c.*

II. *An, & in qua summa sit augenda pensio hereditatis Danieli pro Alumnis in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit approbanda resolutio Confraternitatis* del Soccorso *Montis Majoris diei* 13. *Augusti* 1790. *pro manutentione alterius Alumni in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta votum Episcopi.

Ad II. Affirmative juxta votum Episcopi, & ad mentem.

Ad III. Affirmative ad formam resolutionis, pro tempore arbitrio Episcopi.

CAMERINEN. DEMOLITIONIS ECCLESIÆ. Rector est Præsul Alexander Lacchini simplicium Beneficiorum quinque sub invocatione SS. Petri, Laurentii, Nicolai, Martini, & Valentini, quæ Abbatiæ nomine in Camerinensi existunt Diæcesi. EE. igitur Vestris supplicavit pro facultate alienandi prædiolum unius Beneficii in utilitatem alterius, ac demoliendi fatiscentem Ecclesiam Beneficii S. Laurentii, prodiitque die 17. januarii elapsi anni 1789. rescriptum; *Quoad alienationem, lectum ad instantiam; in reliquis Orator doceat, utrum Ecclesia, de qua agitur, sit titulus ejusdem Beneficii.* In exequutionem hujusce *Sess.* 21. *cap.* 7. *de Reform.*

rescripti titularem fassus est Ecclesiæ qualitatem, pluribusque additis rationibus, priorem renovavit demolitionis instantiam, quæ ad Camerinensem remissa fuit Archiepiscopum *pro informatione, & voto, auditis, transmissa copia unionis perpetuæ Beneficiorum; & referat de expensa vere necessaria pro restauratione, & an actio competat contra heredes Beneficiati, & an omnes Ecclesiæ sitæ sint intra fines ejusdem Paræciæ, & quænam sit magis accomodata Populi devotioni, & necessitati.*

Hæc autem, Archiepiscopo absente, Generalis refert ejus Pro-Vicarius: *Ecclesia*, inquit, *de cujus demolitione agitur, quæque sita est, in confinio duarum Paræciarum S. Urbani, & S. Angeli Terræ Apiri hujus Diœcesis, nullo modo inservit commoditati Populi prope eam commorantis, quum alia existat vicina, & magis accommodata Ecclesia sub titulo SS. Annunciationis, nec in illa ulla fuit imposita obligatio Missarum, neque Sacramentorum administrationis, uti testantur Parochi dicti loci in folio adnexo, ex quo habetur etiam eorum assensus circa ejusdem Ecclesiæ demolitionem.* Affigi ulterius fecisse testatur ad fores Ecclesiæ notificationem; nullumque comparuisse *ad contradicendum Oratoris petitioni*. Infelicissimum ipsius Ecclesiæ statum ex transmissa ostendit peritia. Bini enim referunt murarii Fabri, *come l'abbiamo ritrovata in pessimo stato, diruta in parte, e vecchissima, e formata di Ciuzaglie, per cui non può essere in stato di risarcimento, tanto più, che evvi vicinissima una ripa, o sia fosso . . e secondo la nostra arte vi vorrebbe la spesa di scudi* 220. . In deterius illam abire cepisse sub decessore Beneficiato, *attamen dictæ fabricæ ruina jam maxima, juste incuriæ, & culpæ ejusdem prædecessoris adscribi non posse*. Atque ex ore tandem Oratoris deesse affirmat unionis Beneficiorum documentum, cujus loco indivisam Orator ipse dictorum Beneficiorum collationem probat.

Ubi fieri valet, reparandæ, non destruendæ sunt Ecclesiæ, ex aperta dispositione *Sacri Concilii Trtdentini sess.* 21. *cap.* 7. *de reform.*, eæ præsertim, quæ titulum præbent Beneficiis, ut illa est S. Laurentii. Expedit enim, ne piarum fundationum pereat memoria, *& quæ Sacris ministeriis dicata sunt, temporum injuria abolescant*, ut *ibid.* monet *Tridentina Synodus*. In casu au-

autem nostro locus fortasse esse posset reparationi, quum annuus reditus Beneficiorum in Litteris Apostolicis sit: *septuagintaquinque Ducatorum auri de Camera, & juliorum trium* absque ullo onere, & impensa pro restauratione ascendit ad scuta 220. tantum.

Hæc contra EE. Patrum judicio subiicit Orator, ne ad gravem hunc sumptum cogatur; tenuitatem nempe Beneficii, cui quatuor dumtaxat sunt terreni rubra; ipsius Beneficii qualitatem absque ullo prorsus onere; incommodam habitantibus Ecclesiæ positionem in prærupto, difficilique loco; exemplum alterius Beneficii S. Valentini, quod nullam habet Ecclesiam. Homines præterea Villæ Casalinorum erigere pollicentur Altare in honorem S. Laurentii in proxima eorum Ecclesia SSmę Annuntiatæ, dummodo ad eam ampliandam demoliendæ Ecclesiæ cæmenta concedantur. Ad servandam insuper rei memoriam, Sacellum cum Imagine S. Laurentii in loco demoliendæ Ecclesiæ construere pollicetur Beneficiatus. Addenda quoque est circumstantia loci, in quo ruens positum est ædificium. Fortasse enim ob proximam ripam diuturna non esset illius restauratio. Illudque postremo animadversionem meretur, quod nullus ex iis, quorum interesset existentia Ecclesiæ, licet per notificationem moniti, illius demolitioni adversatur. In levioribus profecto terminis similem EE. Vestræ permiserunt demolitionem *in Lucana Demolitionis, & Translationis onerisMissarum* 18. *Augusti* 1781., ac sub eodem titulo *in Ariminen.* 5. *Aprilis* 1788.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

An, & quomodo sit locus demolitioni Ecclesiæ in casu &c.

Affirmative, extructo in Ecclesia SSmæ Annuntiatæ Altari in honorem Sancti Laurentii per concessionem cæmentorum demoliendæ Ecclesiæ.

PERUSINA COMMUTATIONIS VOLUNTATUM. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

In postremis Tabulis anni 1765. demandavit Nicolaus Taddei investimentum scutorum centum in annuo censu scutorum quatuor, piumque singulis annis ex fructu instituit legatum Missarum triginta cum eleemosyna obolorum 10. pro qualibet, quarum octo celebrari deberent per Plebanum S. Angeli Castri Derutæ exe-

executorem testamentarium in ejus Ecclesia, sex per Parochum S. Nicolai in ejus pariter Ecclesia, sex aliæ per Parochum S. Salvatoris, aliaque decem per Minores ejusdem Oppidi Conventuales, nulla quoad istos, & Parochum S. Salvatoris designata Ecclesia. Quinque ex reliquis juliis decem assignavit executori testamentario, quinque *a quella Sagrestia di quella Chiesa, ove si dovranno celebrare dette Messe per gli utensilj, e cera da consumarsi, per cui ne prega li PP. di S. Francesco Minori Conventuali*; quæ verba adversari videntur præcedenti Ecclesiarum destinationi, unamque pro omnibus Missis innuere Conventualium Ecclesiam in qua tumulatum est Testatoris cadaver. Quidquid vero post obitum usufructuariæ ejus Uxoris superfuturum esset, in Missas erogari jussit manuales.

Eumdem anno 1785. pro annuis Missis triginta, & utensilibus reliquit fundum scutorum centum decessor S. Angeli Parochus Jo. Baptista Campi, eosdemque cum pari elemosyna obolorum 10. destinavit Celebrantes absque designatione Ecclesiæ. Alia insuper Guardiano Cœnobii S. Francisci legavit scuta centum, ut totidem ex fructibus ab manualem per Parochos ipsos, & Religiosos celebrarentur Missæ ad privilegiatum S. Antonii Altare. Ac in totidem postremo cum eleemosyna obolorum quindecim erogari voluit manuales Missas in Plebana sua Ecclesia reliquæ hereditatis pretium.

Manualibus detractis jam celebratis Mssis, in eas eroganda supersunt ex hereditate Taddei scuta 245., ex altera Campi 250. suspensa tamen est hujusmodi erogatio per supplicem libellum Sacerdotis Valentini hodierni Plebani S. Angeli ad Sacram hanc Congregationem. Vix certi ejus Plebaniæ reditus, Perusino Episcopo teste, annuam attingunt summam scutorum sexdecim, *& in incertis minus confidere potest*. Ut aliquantulum igitur suæ consulat inopiæ, EE. Vestras exorat pro tribus uniendis perpetuis legatis Missarum 90. in sua persona, & Ecclesia, ac facultate investiendi favore Plebaniæ pecuniam, in manuales Missas destinatam, sub sua, ejusque successorum obligatione celebrandi quotannis pro unoquoque Testatore Missas vigintiquinque.

Impense præ inopia ei favet Episcopus, eo quod *succurrere necessitati Parecie, & Parochi valde congruum, & commendabile sese ostendit*. Quidquid de-

de cetero ait, *apparere possit majoris utilitatis pro Plebanis ex cogitato investimento scut.quatuorcentum nonaginta quinque cum sola obligatione Missarum quinquaginta, commensurari aliquo modò poterit cum parvo reditu aliarum Missarum nonaginta, quibus saltem elemosyna obolorum decem septem cum dimidio, ceu perpetuis foret tribuenda*. Atque hæc tandem de interesse habentibus habet: *Executores testamentarii, alteri duo locales Parochi, & Patres Conventuales, authorizati etiam ab hodierno eorum Provinciæ Commissario Generali, pro interesse expetiti, libentissime omnibus blandiuntur. Reliqui Sacerdotes ad hujusmodi manualium Missarum celebrationem vocari soliti, possent fortasse aliqualiter conqueri, cum dispositio Sacerdotis Campi statuat eleemosynam obolorum quindecim; sed commodo publico, & perpetuo melioris & sanctioris finis, lædere necessum est privatam utilitatem, quæ in puncto ad pauca julia refertur*.

De commutanda siquidem agitur utriusque Testatoris voluntate, tum quoad perpetua unienda, & transferenda legata, cum respectu manualium Missarum, quæ in legatum converti vellent perpetuum, idque sine justa fieri non debet causa, ex censura *S. Concilii Tridentini sess.22. cap.6. de Refor.*,& decretis Sac.Congregationis *in Romana Commutationis Voluntatis* 27. *Februarii* 1734., *& in Melphien. Commutationis Voluntatis* 22. *Junii* 1743. Tenuitas quidem urgere videtur parochialium redituum Ecclesiæ S. Angeli, quæ rationabilem inducit necessitatis, atque utilitatis causam, ex qua simplicium etiam beneficiorum unionem permittit Honorius III. *in cap. exposuisti de Præben.*, & Tridentina Synodus *in sess.* 21. *cap.* 5. *de Refor.* Sedulo tamen notandum,satis eam Testatoribus perspectam fuisse, ac Sacerdoti præsertim Campi, qui erat illius Ecclesiæ Plebanus, & neuter tamen tenues augere voluit reditus. Plerasque immo per alios celebrari jusserunt Missas in alienis Ecclesiis, vel Celebrantium arbitrio ob omissam illarum designationem.

Perpetuæ insuper Missæ Nicolai Taddei ob relicta Sacrario Conventualium utensilia, ex verisimili illius voluntate celebrandæ sunt in eorum Ecclesia, in qua sepultus est; idque impedimentum præstare posset illarum translationi, secundum *Ricc. in prax. part.4. resol.* 69., *Pax. Jordan. tom.1. var. resolut. leg.4. tract. primo de Sacrific. Miss. num.* 540., *& Sac. Cong. in Lu-*

Lucana 28. *Julii* 1781. Idemque fortasse de altero dicendum ex perpetuis legatis Campi ob præcipuam Testatoris devotionem erga Altare S. Antonii in eadem Conventualium Ecclesia, *Card. de Luc. de testam. disc.* 72. *num.* 15. *& seq.*, *& Sac. Congregatio in Casalen. Reductionis Missarum* 15. *Decembris* 1787. Quo vero ad Missas manuales adverti debet, utilius esse Animabus Testatorum, ut statim omnes celebrentur, quam per institutionem perpetui legati in annos partiantur, *Pasqualig. de Miss. Defunct. quæst.* 291. *num.* 1.

Vestram alia ex parte excitare posset indulgentiam nimia beneficii curati tenuitas, interesse habentium consensus, & non admodum gravis voluntatum commutatio. Si litera enim spectetur testamenti Taddei, iam in Ecclesia S. Angeli perpetuæ quædam celebrari deberent Missæ ab ipso præscriptæ. In ea quoque celebrandæ sunt manuales Missæ decessoris Plebani Campi, nec absonum esset, perpetuas reliquas ad eam transferre, perpetuumque legatum ex manualibus instituere, ut in proximis terminis censuit Sacra Congregatio *in Piscien. Commutationis Voluntatis* 21. *Junii* 1721., *in Bononien.* 28. *Junii* 1724. *ad* 1. *Dub.*, *& in Comen. Translationis* 24. *Novembris* 1774.

Quatenus autem in id EE. Vestræ conveniant, deliberare etiam dignentur de numero Missarum quinquaginta, quas pro utrisque manualibus in perpetuum pollicetur Orator. Scuta profecto 495. annuos reddere possent fructus paullo infra summam scutorum viginti, quæ ad taxam etiam perpetuæ pro Missis sufficerent circiter centum. Observat tamen Episcopus, quod majus Oratoris, ejusque successorum emolumentum *commensurari aliquo modo poterit cum parvo reditu aliarum Missarum nonaginta, quibus saltem eleemosyna obolorum decem septem cum dimidio, ceu perpetuis foret tribuenda.*

Dubium est.

An, & quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatum in casu &c.

Non proposita cum sequenti r

VI-

VICENTINA IRREGULARITATIS. Nil Sacerdos Andreas Bon ex oppido Roncade a Josepho timens Allegri, cum quo post rixam reconciliatus fuerat, inopinato sub die 8. Maii 1783. aggressus ab eo fuit, ac duplici saucius vulnere, omnique evadendi via præclusus, ferro confodit aggressorem, qui spiritualibus ejus opera ab idoneo Sacerdote acceptis subsidiis, paullo post occubuit. Paucis elapsis mensibus, absolutoriam obtinuit sententiam, compositaque Parte & Fisco, spiritualia ad menses tres egit exercitia in Conventu S. Blasii Civitatis Vicentiæ, ibique deinde ad integrum annum moratus fuit. *Sanctissimo* tandem supplicavit *Domino Nostro* pro dispensatione ab irregularitate, precibusque ad Sacram hanc Congregationem ablegatis exposita confirmavit, favitque Oratori Vicentinus Episcopus. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Sub fide siquidem Parochi de Roncade testatur, *tum post infortunium perseveranter* (Oratorem) *præbuisse evidentia resipiscentiæ argumenta, tum ante infortunium fuisse assiduum in exercendis muneribus sacerdotalibus: in loco de Roncade nullum esse omnino consanguineum Josephi Allegri; nullum imminere periculum scandali, si Orator commoretur in loco patrati homicidii, in eoque Missam celebret.* Atque ex his censet, *Sacerdotem Andream Bon post lapsum tot annorum ab ejus infortunio, post peractam pœnitentiam, post exhibita non æquivoca perseverantis resipiscentiæ argumenta promereri gratiam, quam humiliter expostulat.*

Oratoris vitio verti posset, quod armatus incederet contra expressum canonici juris interdictum *in cap. Clerici, ibique gloss. de vit. & honest. Clericor.*, & *in Clement. 1. eod. tit.*, de quo agit *Fagnan. in lib. 1. Decretal. cap. Ecclesia S. Mariæ num. 35. de Constitut.* Maxime, quia id fecisse videtur, ut suo resisteret Adversario, si rixam redintegraret. Hoc sane pacto causam præbuisset ad homicidium ordinatam, illudque voluntarie patrasset, ex censura *Text. in cap. continebat, & cap. suscepimus de homicid.*

Nisi contra instructus fuisset ferro, suam fortasse non servasset vitam, quum verisimiliter a vulnerando non destitisset aggressor, neque spes esset fugæ. In his profecto terminis ad propriam potius defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ patratum, veniaque di-

gnum videri posset homicidium *ex Sacro Concil. Trident. sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*, & decretis Sacræ Congregationis *in Placentina* 30. *Septembris* 1724., & *in Elboren. Irregularitatis* 16. *Martii* 1737. *ad II. Dubium*. Ea omnia accedunt, quæ de composita Parte & Fisco, constantique emendatione vitæ refert Episcopus; illudque denique ponderandum, jam septem a commisso delicto lapsos esse annos. Satis enim ad concedendam dispensationem ab irregularitate triennium censent cum emendatione vitæ *Abb. in cap.* 21. *num.* 2. *de accus.*, *Antonell. de regim. Eccles. lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 17. Maxime, quia res est de promoto, cui facilius indulgetur, juxta *cap.* 2. *de Cleric. pugn. in duell.*, *Hostien. in cap. sicut*, *de homicid.*

Quæritur itaque.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

INDEX

RESOLUTIONUM,

Quæ prodierunt in Cauſis in Sac. Congregatione Concilii propoſitis anno 1790.

A

Administrationis ratio, quam semel de reditibus Hospitalis oppidi S. Viti absque solutione reliquatus reddidit Comes Mancinelli sodalibus SS. Sacramenti, & Rosarii illius curatoribus, reprobatur; iterumque Episcopo reddendam esse decernitur *in Narnien.* 27. *Februarii ad II. Dub. pag.*25.

Et administrator alter, ob neglectum a Comite superextantis pecuniæ investimentum, arbitrio Episcopi designatur, *ibidem ad III. Dub.*

Administrator. vid. Contractus.

Alienatio prædii *ciafone*, annuo gravati onere Missarum triginta, permittitur pauperi Antonio Forlini illius possessori favore Capellani curati ruralis Ecclesiæ S. Basii Asculanæ diœcesis, assumpto per Capellanum, ejusque successores onere Missarum quadraginta cum retentione scutorum 150. ex pretio, ac reliqua soluta summa per venditionem quarumdam terrularum Parœciæ, *Asculana* 10. *Julii pag.* 121.

Alienatione juris exigendi pensiones beneficialis domus Jo. Bernardini Morichi per iteratum Sac. Congregationis decretum rescissa, relaxari mandavit *Sanctissimus* favore Joannis Ginami emptoris fructus, compensata sorte, superexantes; gratiamque Pontificiam retrotrahendam esse declaratur ad diem primæ resolutionis Causæ *in Lauretana* 18. *Decembris ad I. Dub. pag.*223.

Alienatio insuper rescinditur juris exigendi pensiones alterius beneficialis domus Vincentii Belardi, ac demandatur favore ejusdem Ginami emptoris restitutio pretii unica solutione, compensatis fructibus, *ibid. ad II. Dub.*

Cui vero sint restituendi fructus percepti per Laurentium Breccia ex simili jam resoluto contractu, remittitur ad Secretarium cum Sanctissimo, *ibid. ad III. Dub.*

Anniversarium celebrandum a possessore capellaniæ Garbi in Ecclesia S. Nicolai ad Forum Archimonium Urbis, cum recitatione etiam officii Defunctorum, cedi non debere rescribitur Ecclesiæ absque officio, *Romana Capellaniæ* 27. *Novembris pag.*204.

B

Beneficium Sacristæ Collegiatæ Ecclesiæ S. Nicolai oppidi S. Ædisti denegatur pauperi Cajetano Lupi parum ad assumendum clericatum idoneo, licet de genere vocatorum; ac servandum statuitur decretum Sac. Visitationis anni 1650. de conficiendo ex tenui illius reditu multiplico ad congruam Sacristæ manutentionem, *Nullius S. Ædisti Beneficii Sacristæ* 19. *Junii pag.*114.

Vid. Seminarium.

C

Canonicatum Brixinensis Ecclesiæ ipso jure vacasse decernitur per matrimonium Joannis Nepomuceni de Spaur prætensum nullum, præter quam ex defectu consensus; ideoque exequendas esse impetratorias Literas Præsulis Porziæ, confirmata in id sententia Congregationis particularis a Sanctissimo Domino Nostro deputatæ, *Brixinen. Canonicatus* 18. *Septembris pag.* 184.

Canonico Fornici Collegiatæ Ecclesiæ S. Eustachii Urbis, qui ex fundatione Amidei intervenire debet choro solemnioribus festis SS. Natalis, Paschatis Resurrectionis, & S. Eustachii, ac per declarationem Sac. Congregationis diei 9. Julii 1784. primis etiam dd. solemnitatum Vesperis, & duobus diebus sequentibus festum Paschatis, onus insuper esse declaratur interveniendi Missæ solemni Sabbathi Sancti, reliquis exclusis ejusdem diei functionibus, *Romana* 27. *Februarii pag.* 26.

Canonici Narnienses Cathedralis investire valent pecuniam capitularis mensæ absque licentia Episcopi, juxta inveteratam consuetudinem, reservata tamen Episcopo facultate uten-

utendi jure suo, inhibendi scilicet ad vitandas fraudes hujusmodi investimenta, *Narnien.* 15 *Maii ad I. Dub. pag.*81.

Et valida ideirco declarantur investimenta præterita, *ibidem ad II. Dub.*

Canonici ejusdem Cathedralis celebrare tenentur anniversarium per eorum decessores pollicitum clar. mem. Card. Josepho Sacripante, qui ære suo Ecclesiam illam ornavit, licet onus assumpsissent absque licentia Ordinarii, *Narnien.* 18. *Septembris pag.*133.

Canonici jubilati Cathedralis Hortæ participare debent de emolumentis Missæ conventualis, & Anniversariorum ad formam consuetudinis, *Hortana* 5. *Junii pag.*99.

Canonicis *di Biandrate*, qui mensibus Julii, Augusti, & Septembris officium agebant diebus festis, ob inclementiam aeris conceditur pro iis mensibus absentandi indultum sub lege supplendi officium, & Missas reliquis anni mensibus, *Vercellen. Servitii Chori* 19. *Junii pag.*105.

Canonicis Cathedralis Forolivii, quibus ad capitularem reparandam domum concessa fuit facultas creandi censum scutorum 700. sub lege deponendi singulis annis in solutionem fructuum, & extinctionem sortis superextantia scuta 40. hereditatis Ugolini, & scuta viginti ex pensionibus reparatæ domus, hoc ipsum confirmatur onus per rescriptum *in decisis, & preces amplius non recipiantur*, *Forolivien.* 19. *Junii pag.* 106.

Canonicis Castri Clementini denegatur facultas recitandi matutinum in choro vespertina præcedentis diei hora a mense Novembri ad Aprilem ob palliatam causam excipiendi Fidelium confessiones, *Firmana Servitii Chori* 10. *Julii pag* 121.

Canonici. Vid. Electio. Reductio.

Capellania Bracci, ob facultatem celebrandi studiorum causa per alium, declaratur Sacerdotalis, *Senogallien. Capellaniæ* 17. *Aprilis ad II. Dub. pag.*61.

Ad eam tamen consequendam conceditur ætatis dispensatio clerico Josepho Bracci de genere vocato, *ibidem ad II. Dub.*

Capellania Antonii de Bellis adjudicata per rescriptum diei 28. Novembris 1789. Francisco de Bellis proximiori illius consanguineo, denuo ei per rescriptum *in decisis* addicitur in exclusionem Jo. Baptistæ de Nardis præsentati a remotioribus consanguineis, *Terracinen. seu Setina Capellaniæ* 15. *Maii pag.*73.

Capellaniæ Fioravanti retentio denegatur clerico homicidæ Silvestro Gentili, qui sub contumaciali adhuc est pœna, licet eam postularet pauper ejus pater quousque idoneus ad clericatum fieret alter filius ex prædilecto vocatorum genere; & locum esse decernitur electioni alterius capellani ad formam testamenti, *Prænestina Capellaniæ* 19. *Junii p.*112.

Capellania. Vid. Reductio.

Capellanus Femi absolvitur a solutione collectæ impositæ per Communitatem Nursiæ possidentibus pascua *del Castelluccio*, & ad eam damnatur Communitas Fematris, quæ suam illi cessit pascuorum ratam in augmentum capellaniæ, *Spoletana* 27. *Februarii ad I. Dub. pag* 26.

Hique deberi rescribitur summam indebite solutam in causam ejusdem collectæ, *ibidem ad II. Dub.*

Capitulares S. Mariæ transcyberim ex ordine presbyterali, licet simplices clerici, præcedere debent Sacerdotibus inferioris ordinis sive diaconalis, sive subdiaconalis; & qui prius in eadem recepti sunt classe, præcedunt reliquis, licet privata dignitate eminentioribus, *Romana Præcedentiæ* 27. *Novembris pagin.* 211.

Chori servitium in Cathedrali Abulæ ob inclementiam aeris moderatur per variationem horarum officii, matutini nempe post completorium præcedentis diei, nonæ post sextam de mane, & vesperarum tertia hora pomeridiana; statis tamen temporibus, de quibus *in Abulen. Servitii Chori* 23. *Januarii pag.*2.

Chori servitium in Velitrensi Ecclesia Cathedrali, impositum anno 1673. ordinaria auctoritate per Card. Barberinum alteri ex beneficiatis Ecclesiæ S. Mariæ de Trivio, præstandum esse decernitur per Sacerdotem Nicolaum Romani rovissimum beneficiatum, qui contra decessorum exemplum, ac non obscuras suæ provisionis Literas illud excutere contendebat, *Veliterna Residentiæ, & Servitii Chori* 20. *Martii ad I. Dub. pag.*40.

Eumque cogendum ad formam Sac. Concil. Tridentini, *ibidem ad II. Dub.*

Chori servitium, quod Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ S. Dalmatii oppidi *Quargnento* diuturnum fuit, ob tenues illorum præbendas, & distributiones, remittitur pro duobus anni mensibus, excepto tempore quadragesimæ, adventus, & solemniorum anni festivitatum, *Alexandrina Servitii Chori* 17. *Aprilis pag.* 57.

Vid. Canonici.

Concionatoris quadragesimalis Nominatio, quam Communitas habet Carpinei, non perimitur, neque devolvitur ad Episcopum per renunciationem, vel obitum nominati, sed extra terminum etiam iterari valet, *Feretrana Juris præsentandi Concionatorem* 21. *Augusti pag.*168.

Contractum permutationis, & respectivæ venditionis, initum de licentia Card. Protectoris inter Oblatas Setiæ, & Joachim Benedictum Pacifici Conservatorii deputatum, non sustineri decernitur *in Terracinen., & Setina* 23. *Januarii ad I. Dub. pag.*6.

Ideoque reintegrandum Conservatorium ad bona distracta, cum restitutione fructuum, & refectione melioramentorum juxta liquidationem faciendam cor. Secretario; & consulendum SSmo pro absolutione Oblatarum ob initum contractum absque Beneplacito Apostolico, *ibidem ad II. Dub.*

Di-

D

Distributiones quotidianæ debitæ Archidiacono Collegiatæ Ecclesiæ SS. Petri, & Pauli Montis Ulmi in tertia parte majores canonicalibus, debentur etiam Præposito, qui prima erat dignitas unitæ Collegiatæ S. Donati, majores in ea percipiebat distributiones, plus confert in massam distributionum Collegiatæ SS. Petri & Pauli, quam simplices Canonici, & majores etiam distributiones per decennium percepit, *Firmana Distributionum* 15. *Maii pag.* 79.

Vid. Canonici. Chori servitium.

Dotale subsidium Valerii Bonafede, quod in Congregatione 28. Novembris 1789. tributum fuit pauperi Ursulæ Antolini in concursu divitis Josephæ Toni, ejusdem favore confirmatur *in Romana Subsidii Dotalis* 20. *Martii pag.* 35.

Dotalia subsidia Sacerdotis Ingegneri, decedentibus ante matrimonium puellis nominatis, iterum per sortitionem ad formam testamenti conferenda esse statuitur, confirmata in id resolutione 27. Novembris 1784. *in Æsina Subsidiorum Dotalium* 23. *Januarii ad I. Dub. pag.* 1.

Et ideo subsidia jam devoluta conferri debere in summa coram Æsino Vicario capitulari liquidanda, exclusis expensis litis, & exemplationis testamenti per heredem factis ad iteratam impugnandam illorum collationem, *ibidem ad II. Dub.*

Dotalia pariter subsidia de Augustinis præstanda a Sodalitio SS. Benedicti, & Scholasticæ Nursinorum Urbis ad nominationem Communitatis Montis Præcini, eodemque modo devoluta, rursus conferri debere, denegata Sodalitio illorum applicatione, *Romana seu Spoletana Subsidiorum Dotalium* 20. *Martii pag.* 45.

Dotalia subsidia de Carigneua & Ipensa, per sortitionem a Calaritano Capitulo distribuenda, debentur juxta consuetudinem absque sortitione puellis nubentibus in Domino, quas Fundator præferri jussit nubentibus in sæculo, *Calaritana Subsidiorum Dotalium* 5. *Junii pag.* 91.

Dotalia subsidia Antonelli conferenda sunt per sortitionem a Capitulo Collegiatæ Campaneani ad nominationem illorum de Salvis, cum prælatione consanguinearum, juxta rescriptum Sac. Congregationis anni 1765., *Nepesina Dotium* 21. *Augusti ad I. Dub. pag.* 164.

Proindeque irrita declaratur nominatio unius puellæ consanguineæ facta a Canonico Constantino Salvi, ceteris neglectis, *ibidem ad II. Dub.*

E

Ecclesiæ Cathedralis Balneoregiensis reparatio refunditur in decessorem Episcopum Aluffi, sub quo fatiscere cepit, juxta mitiorem tamen peritiam confectam de mandato Emi Visitatoris Antamori, *Balneoregien. Ecclesiæ Cathedralis* 18. *Decembris ad I. & II. Dub. pag.* 228.

Ecclesiæ S. Laurentii Camerinensis Diœcesis demolitio, ob ruinosum ejus statum, incommodamque positionem, permittitur Præsuli Lacchini illius beneficiato, extructo in proxima Ecclesia SS. Annuntiatæ altari in honorem S. Laurentii per concessionem cœmentorum demoliendæ Ecclesiæ, juxta oblationem Hominum Villæ Casalinorum, *Camerinen. Demolitionis Ecclesiæ* 18. *Decemb. p.* 235.

Ecclesia. Vid. Parochia.

Electio Sacerdotis Agnelli ad canonicatum Cathedralis Montis Alti, licet ob redundantia Communitatis Porculæ suffragia declarata fuisset nulla sub diebus 25. Aprilis, & 18. Julii 1789., novis tamen additis factis, & juris momentis, contrarium prodiit rescriptum die 19. Decembris ejusdem anni, quod confirmatur *in Montis Alti Canonicatus* 27. *Februarii pag.* 27.

Electio Sacerdotis Vaccari in Canonicum Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Massæ Fiscaleæ legitime expleta declaratur a novis Officialibus Societatis Consortii, licet vacasset canonicatus sub Officialibus decessoribus, qui post lapsum tempus officii, in eo de licentia Vicarii Episcopi continuabant, & ad alliciendos candidatos affigi curaverant edicta, *Cervien.* 17. *Aprilis pag.* 57.

Ad omne tamen removendum nullitatis dubium, quod in secunda ortum fuit propositione, consulitur tandem Sanctissimo pro sanatione electionis *in ead. Cervien.* 27. *Novembris pag.* 203.

Emphyteusis bonorum pii operis de Romanis, quæ in prima propositione 29. Augusti 1789. concessa fuit Santarellio, & in secunda 19. Decembris Statio, qui majorem obtulit canonem, eidem in tertia addicitur Statio per rescriptum *in secundo loco decisis, & amplius, Tyburtina Emphyteusis* 27. *Febr. pag.* 27.

Emphyteusis. Vid. Reductio.

H

Hospitalis opus, a Comitissa Marta Scotti institutum, confirmatur; & denegatur sodalibus SS. Sacramenti, & Rosarii Castri S. Viti illius commutatio in dotalia subsidia, *Narnien.* 27. *Februar. ad I. Dub. pag.* 25.

Hospitali S. Benedicti Alatrii applicantur præ ejus inopia reditus Sodalitii S. Joannis, qui in hospitium olim, & in eleemosynas deinde

de erogabantur, *Alatrina Visitationis Sac. Liminum* 10. *Julii pag.* 129.

Vid. Administratio.

I

Irregularitas a triennio contracta per Sacerdotem Nicolaum de Stephano, ob casuale homicidium Fratriæ, remittitur *in Aquilana Irregularitatis* 15. *Maii pag.* 73.

Irregularitatis dispensatio denegatur Sacerdoti Gervasi, qui homicidium clapto anno commisit in rixa, *Lunen. Sarzanen. Dispensationis ab Irregularitate* 27. *Febr. pag.* 26.

Sacerdoti pariter Taraglio, qui unum voluntarie occidit pro alio, *Nullius S. Benigni Irregularitatis* 5. *Junii pag.* 87.

Conceditur vero Thomæ Brocchetti, qui ex inopinato igneæ ballistæ ictu convenatorem interemit, & a decimo octavo anno pœnitentiam egit, pieque vivit, *Urbevetana Irregularitatis* 20. *Martii pag.* 36.

Et Sacerdoti Saligari parocho Vervii in Plebe Matii Vallistellinæ, qui decennem a culpabili homicidio egit pœnitentiam, atque extrema laborat paupertate; cum clausula tamen *dummodo non celebret in loco patrati criminis*, *Comen. Irregularitatis* 21. *Augusti pag.* 159.

Irregularitatis dispensatio concessa Sacerdoti Frezza, qui ad defensionem ejus fratris homicidium patraverat, cum clausula *dummodo non celebret in loco commissi delicti*, ob adversam ejus valetudinem, & senectutem Patris, ad locum ampliatur delicti cum altera clausula *dummodo celebret in Oratorio privato, vel in publica etiam Ecclesia, hora tamen minus a Populo frequentata*, *Consentina Irregularitatis* 17. *Aprilis pag.* 57.

Eademque adhibetur indulgentia cum altero homicida Sacerdote Borg, qui consanguineos habet, domum, & bona in loco commissi delicti, *Melevitana Irregularitatis* 19. *Junii pag.* 105.

Irregularitatis dispensatio ter denegata Sacerdoti de Rosa voluntario homicidæ, in quarta tandem propositione conceditur ob gravem ejus paupertatem, & necessitatem Marsicensis Ecclesiæ, *Marsicana Dispensationis ab Irregularitate* 15. *Maii pag.* 82.

Ab irregularitate ad cauthelam solvitur Bernardinus Angelini ob casuale homicidium, *in Asculana Irregularitatis* 10. *Julii pag.* 121.

Juspatronatus Collegiatæ S. Michaelis Firmi nulliter divisum declaratur inter Parochianos, et Comitem Gigliucci patronos, reprobata transactione inita cum Parochianis uti singulis, *Firmana Juspatronatus* 19. *Junii ad I. Dub. pag.* 107.

Ideoque canonicorum præsentationem faciendam esse collegialiter, *ibidem ad II. Dub.*

Et comitiis intervenire debere Parochianos patres familias, *Ead.* 21. *Augusti p.* 160.

L

Legatum scutorum biscentum relictum a Maria de Rubeis Sodalitio Angelorum Custodum Urbis cum annuo onere Missarum 40., constituendum esse decernitur in censibus cum Locis piis, & Communitatibus Status Ecclesiastici, *Romana* 5. *Junii ad I. Dub. pag.* 97.

Conceditur tamen Missarum reductio ad taxam perpetuæ, *ibidem ad II. Dub.*

Legatum temporarium Missarum quinque in singulos annos declaratur perpetuum juxta dispositionem heredis, & centenariam observantiam, *in Ariminen. Legatorum* 18. *Decembris pag.* 223.

Legatum eleemosynæ relictum a Joanne Draghi pauperibus verecundis, & mendicis Ragusii, privative distribuendum non esse rescribitur inter pauperes illius descendentes, quibus ceteroquin Sodales SS. Rosarii, pii operis administratores, præ omnibus succurrere consueverunt, eosque concurrere debere cum aliis habentibus qualitates a Testatore præscriptas, *Ragusina Eleemosynæ* 31. *Julii pag.* 139.

Legatum Missæ quotidianæ, per fiduciam relictum ab Alexandro Pilj, constituendum mandatur per heredes proprietarios in fundo scutor. 1500. ad taxam Concilii Romani, licet illud quoad usufructuarios voluisset temporarium in testamento, *Fanen. Capellaniæ* 18. *Septembris pag.* 183.

Legatum quotidiani Sacri, per iteratos contractus tripartitum inter heredes Legantis, Patres Augustinianos Conventus S. Martini Alexandriæ, & illos de Gamundis, reducitur pro nunc quoad Gamundos ad annuas Missas 120. juxta primævam obligationem, licet onus deinde per concordiam assumpsissent Missarum 182., addito *in reliquis dilata, & scribatur Episcopo juxta mentem*, quod nempe *præfigat terminum ad deducenda jura sua in Sac. Congr. hæredibus Lauræ Inviliati, & Thomasiæ Aulari, nec non PP. Augustinianis, in Alexandrina reductionis Missarum* 27. *Novembris pag.* 205.

Legati pii Gomez exuberantes reditus ad decennium applicantur Benedictinis Patribus S. Mariæ *della Stella* ad effectum restaurandi Ecclesiam tantum, in quam præcipua fuit Testatoris voluntas, *Lisbonen. Applicationis* 18. *Decembris pag.* 223.

Legata Hugonis Pepoli, Dorotheæ Lambertini Berò, & Anonymi pro harmonico Litaniarum cantu singulis Sabbathis, pervigiliis, & festis B. M. Virginis in Ecclesia S. Dominici Bononiæ, commutanda non esse præscribitur ob imminutos reditus in subsidia dotalia cum gregoriano earumdem Litaniarum cantu, *Bononien. Commutationis Voluntatis* 15. *Maii ad I. Dub. pag.* 73.

Et

Et damnantur heredes Pepoli ad reintegrandum uſque ad annuam ſummam ſcutorum 39. fundum relictum ab Hugone, qui id expreſſe præcepit, *ibidem ad II. Dub.*

Legata relicta a Thoma, & Magdalena Madambra Capellis SS. Conceptionis in Eccleſia S. Franciſci, & B. Mariæ Arcis majoris in Collegiata Eccleſia Auguillaræ, ob tenuitatem reditnum uniuntur ad Capellam SS. Conceptionis cum annuo onere Miſſarum 45., *Sutrina* 31. *Julii pag.*149.

M

Miſſa conventualis Capituli Portuſmauritii, ob tenues Canonicorum reditus, ad dies reducitur feſtos ſub obligatione celebrandi diebus ferialibus Miſſam lectam juxta votum Epiſcopi, *Albinganen. Miſſ.e Conventualis* 27. *Februarii pag.*26.

Vid. Canonici.

Miſſæ, & anniverſaria relicta a Sacerdote Franciſco VVzzini, per quindennium alieni æris cauſa ſuſpenduntur, juxta tranſactionem initam inter creditorem, & Seminarium Melitæ heredem, celebratis pro una vice Miſſis centum, & uno anniverſario durante quindennio, *Melevitana Tranſactionis* 15. *Martii pag.*75.

Miſſæ iteratio per Sacerdotem proximioris Oppidi in cædua ſylva, ob facilem ibi, licet ſumptuoſam alterius Sacerdotis retentionem denegatur, *in Nicien.* 27. *Novembris p.*216.

Miſſarum legata quinque ex pluribus, quæ Rectori incumbunt parochialis Eccleſiæ S. Joannis in campo Tiferni Civitatis Caſtelli, ob defectos abſque illius culpa fundos abolentur; ſed denegatur in reliquis reductio, & conſulendum præſcribitur pauperi Paræciæ remediis a Sac. Concil. Tridentino præſcriptis, *Civitatis Caſtelli Reductionis Onerum* 23. *Januarii ad I. Dub. pag.*1.

Et a Miſſis non celebratis pauper abſolvitur Rector, *impoſito aliquo onere*, *ibidem ad II. Dub.*

Miſſarum celebratio ex integra hereditate Antonii Bruni ſtatuitur ad taxam perpetuæ, licet Plebanus Peticuli illius moderator, ob tenues Paræciæ reditus, reductionem ad duplicem menſtruam Miſſam poſtularet, *Senogallien.* 20. *Martii pag.*37.

Vid. Alienatio. Legatum. Seminarium.

O

Ordo Subdiaconatus per coactionem acceptus cauſativam a Jo. Petro Silveſtre ex oppido Paulhan, juſta reputatur cauſa diſpenſandi a voto continentiæ *in Biterren. Ordinis Subdiaconatus* 21. *Auguſti ad II. Dub. pag.*160.

P

Parochialis Eccleſia S. Petri Montis Juſti, ad firmiorem transfertur locum; ac novum fieri præſcribitur ædificium per applicationem ſuperextantium ſcutorum 64. Societatis SS. Sacramenti; ſcutorum 50. legati Comandini, celebratis annuis Miſſis decem deſcribendis in tabella; & ſcutorum 40. ex reditibus Parochiæ, *Sarſinaten. Translationis Eccleſiæ Parochialis* 21. *Auguſti pag.*159.

Parochialis Eccleſiæ SS. Salvatoris Velitrarum reparatio demandatur per taxationem beneficiorum in ſcutis quatuor pro quolibet centenario, ſuſpenſionem Miſſarum pro medietate, & expoſitionum SS. Sacramenti juxta votum Emi Epiſcopi, *Veliterna Suſpenſionis Miſſarum* 18. *Septembris ad I. Dub. pag.*192.

Et reprobatur tranſactio inita per Collegium S. Bonaventuræ Urbis cum reliquis beneficiatis de certa ſolvenda ſumma pro inſigni capellania, quam in ea poſſidet Eccleſia; *ibidem ad II Dub.*

Parochialis juriſdictionis mixtura inter Paræcias ſeptempedanæ diœceſis abrogatur, & nova illarum disterminatio committitur Epiſcopo cum facultatibus Sac. Congregationis, non attenta quacumque inhibitione, niſi ſignata manu SSmi, *S. Severini*, *ſeu Septempedana Viſitationis Sac. Liminum* 10. *Julii ad I. Dub. pag.*122.

Et pauper Paræcia Fontiſcupi unitur proximiori alteri Blaſii ejuſdem diœceſis, *ibidem ad II. Dub.*

Parochialem domum S. Mamantis de Falcino, ob paupertatem Eccleſiæ, & Populi, reſici debere reſcribitur per æs & libram a poſſidentibus etiam exteris in Parochia, juxta conſuetudinem, & decretum Sac. Viſitationis, *Sarſinaten.* 31. *Julii pag.*139.

A parochiali juriſdictione immunes declarantur Dominicanæ Tertiariæ Civitatis Bononiæ ex privilegio Alexandri VI., declaratione Benedicti XIV., & obſervantia, *Bononien. Exemptionis* 10. *Julii pag.*125

Parochiæ erectio in Eccleſia S. Anaſtaſiæ villæ Claſernæ cum diſmembratione parochiæ S. Nicolai Terræ Canthiani denegatur, licet diſtantiæ, & itineris incommoda oſtentarent Claſernates, *Eugubina Diſmembrationis* 31. *Julii ad I. & II. Dub. pag.*144.

Ac denegata etiam Vicarii perpetui deputatione cum fonte baptiſmali, & jure tumulandi, ſervari præcipitur capitula & decreta Epiſcopi Sperelli circa Capellanum curatum, *ibidem ad III. Dub.*

Parochiæ vero permittitur erectio in villa S. Mariæ Camerani, a qua ob interpoſitum flumen Rubiconem difficilis eſt acceſſus ad parochialem Eccleſiam S. Andreæ Podii, ex ſimplici beneficio ibi erecto cum levi onere Miſſæ diebus feſtis, ex nunc tamen pro tunc, cum

cum decesserit nempe Beneficiatus; ac reservato jure Parocho Poſſii ſubminiſtrandi Olea Sancta, *Auminen. Erectionis Parochiæ* 18. *Septembris ad I. Dub. pag.* 183.

Et interim providendum decernitur neceſſitati Cameranenſis Populi per Capellanum curatum a Beneficiato eligendum, & ab Epiſcopo approbandum, aſſignata eidem congrua inter Epiſcopum, & Beneficiatum concordanda, *ibidem ad II. Dub.*

Parochiæ Oppidi Meggiani, cui iterum atque iterum de conſenſu Patronorum ad quinquennium applicata fuerunt Legata Antonini, & Statera cum reductione Miſſarum 85. ad 60., præ nimia tandem illius inopia perpetua conceditur applicatio, *in Spoletana* 18. *Decembris pag.* 227.

Parochus alter Cathedralis Eccleſiæ Maceratæ, Emigdius nempe Granella, damnatur ad exhibendum in Cancellaria Epiſcopali diarium matrimoniorum coram ipſo contractorum ab anno 1783., ut in parochialem referantur codicem; & procedendum adverſus eum ſtatuitur juris & facti remediis, *in Maceraten.* 17. *Aprilis pag.* 69.

R

Reductio onerum alterius ex capellaniis inſtitutis per Simonem de Barbuglis in Cathedrali Eccleſia Civitatis Caſtelli conceditur ob tenuem illius fructum Sacerdoti Leonardi ad unicam hebdomadalem Miſſam per decennium, firmis remanentibus reliquis oneribus ad formam teſtamenti, *Civitatis Caſtelli Reductionis Onerum* 17. *Aprilis pag.* 66.

Reductio onerum denegatur Sacerdoti Ferrari, Collegiatæ Eccleſiæ S. Andreæ Apoſtoli Sublaci canonico, qui ſufficientes ex fundatione Angelicæ Marinæ habet reditus, ultroque canonicatum cum oneribus accepit, *Nullius Sublacen. Reductionis Onerum* 5. *Junii pag.* 87.

Reductio pariter denegatur Miſſæ conventualis Canonicis Collegiatæ Eccleſiæ S. Andreæ Siviliani, qui pingues habent præbendas, & ad quotidianam illius applicationem tenentur ex capitulari ſtatuto, *Taurinen. Miſſæ Conventualis* 10. *Julii pag.* 140.

Reductis ob alienum æs oneribus legati Malacroſta, concedunt Patribus Doctrinariis Centumcellarum in emphyteuſim hereditariæ domus pro annuo canone ſcutorum 150. ob ſumptuoſam illarum reparationem, *Vitenbien. Reductionis, & Suſpenſionis Onerum* 31. *Julii pag.* 140.

Reductio. Vid. Legatum. Miſſa. Seminarium.

S

Seminarii Fanenſis ædificio per approbationem conſulitur ſubminiſtrationis ſcutorum 200., jam expletæ ex ſuperextantibus reditibus hereditatis Danieli, & ceſſionis prædii Societatis B. Virginis Succurſus Montis Majoris, ex ſuperextantibus pariter ejus reditibus quæſiti, *Fanen. Seminarii* 18. *Decembris ad I. Dub. pag.* 232.

Augendam inſuper eſſe decernitur ad annua ſcuta 55. penſionem cujuſque Alumni Danieli, reducto pro nunc quaterno illorum numero ad tres, ac demandato multiplico pro reintegratione quarti Alumni poſt completum multiplicum pro Orphanis, *ibi d. ad II. Dub.*

Et approbatur tandem reſolutio Societatis Montis Majoris pro manutentione alterius oppidani Alumni, arbitrio tamen Epiſcopi quoad tempus ejus moræ in Seminario, *ibid. ad III. Dub.*

Seminario Tolentini, ad inſtituendas philoſophiæ, & theologiæ cathedras, ſimplicia duo applicantur beneficia Oſtelli deſtinata erectioni manſionariæ in Collegiata Eccleſia S. Jacobi ejuſdem Civitatis, *Tolentina Applicationis Beneficiorum* 20. *Martii ad I. Dub. pag.* 48.

Et Miſſæ 156., quibus gravantur, per quinquennium reducuntur ad Miſſas centum, *ibidem ad II. Dub.*

Seminarium. Vid. Miſſæ.

INDEX
CONCLUSIONUM.
Quæ adnotatæ ſunt in foliis Cauſarum anni 1790.

ADMINISTRATIO. ADMINISTRATOR.

JUS adminiſtrator non habet ad rem adminiſtratam, *pag.*48. §. *Ponderandum*.

Ad removendum adminiſtratorem ſimplex etiam ſufficit malæ adminiſtrationis ſuſpicio, *p.*15. §. *De remotione*.

Ei adminiſtrator reddere debet rationem, a quo deputatus fuit, *pag.*15. §. *Si hiſce*.

Tenetur, & cogi poteſt adminiſtrator Hoſpitalis ad reddendam ſingulis annis rationem Epiſcopo, *ibid.*

Iterum reddenda non eſt ſemel reddita adminiſtrationis ratio, *pag.*15. §. *Quantum*.

Sufficienter tamen reddita non cenſetur abſque ſolutione reliquatus, *ibidem*.

Adminiſtratio. Vid. Canonici.

Adminiſtrator. Vid. Contractus.

ALIENATIO,

In alienatione bonorum Eccleſiæ evidens requiritur utilitas, *pag.*10. §. *Potiſſimum*.

Et ſubjiciuntur Extravaganti *Ambitioſæ* Eccleſiæ omnes, Monaſteria, Conſervatoria, aliaque Loca pia auctoritate Ordinarii erecta, *pag.*10. §. *Defectus*.

Alienatio bonorum Eccleſiæ retractari poteſt ante Beneplacitum Apoſtolicum, etiam poſt traditionem, *ibidem*.

Alienatio terrularum inter ſe diſſitarum ad unum acquirendum prædium permittitur, *pag.* 96. §. *Terrulæ*.

Vid. Contractus. Emphyteuſis.

BENEFICIATUS. BENEFICIUM.

Beneficiatus inſervire debet Eccleſiæ, cui additus eſt, *pag.*42. §. *De viribus*.

Et cogi nequit ad alteram inſerviendam, ne dupliçi gravetur onere, *ibidem*.

Qui beneficium accepit, respuere non poteſt onus illi adnexum, *pag.* 44. §. *Factum*, & *pag.* 55. §. *Quotidie*.

Beneficiatus neglígens ſervitium Eccleſiæ puniri debet primo anno per privationem medietatis fructuum, omnium ſecundo, & ipſius tandem beneficii, *pag.*44. §. *Si a præſtando*.

Beneficio jam erecto addi nequit novum onus auctoritate ordinaria, ſed requiritur Apoſtolica, *pag.*42. §. *De viribus*.

Et ſæpe abſoluti fuerunt Beneficiati ab onere neque in fundatione, neque Apoſtolica auctoritate impoſito, *ibidem*.

Maxime ſi ei non respondet emolumentum, *pag.*43. §. *Vix*, & *pag.*56. §. *Indulgentiam*.

Majus Eccleſiæ ſervitium impulſiva eſt cauſa oneris impoſiti beneficio, neque ea ceſſante ceſſat, *pag.*44. §. *Factum*.

Ad beneficium ſacerdotale admitti debet Clericus agnatus ex præſumpta Fundatoris voluntate, *pag.*116. §. *Quamvis*.

Lícet actu ad majores Ordines non idoneus, *ibidem*.

Non vacat beneficium deficiente conſenſu Clerici in matrimonium, *pag.*186. §. *Abſolutum*.

Deficit conſenſus in matrimonium, non purificata conditione, ſub qua contractum eſt, *ibidem*.

Beneficii vacatio non inducítur ipſo jure, niſi in cáſibus a jure expreſſis, *pag.* 186. §. *Omnium*.

Expreſſa non eſt *in cap.* 1. *de Cleric. conjug.*, & *cap. nuper* 4. *de bigam. non* Ordinan. ob contractum a Clerico matrimonium nullum, *ibidem*; & *pag.*187. §. *Ex verbis*.

Quæ vero ſit dd. capitulorum intelligentia, vid. *pag.*189. §. *Tranſit*.

Secundum aliquos non vacat beneficium ipſo jure ob contractum matrimonium nullum, præter quam ex defectu conſenſus, *pag.*187. §. *Eoſ*.

Sed declaratoria requiritur vacationis ſententía, *ibidem*.

Quæ non retrotrahitur ad diem impetrationis beneficii, *ibidem*.

Secundum alios vero, quibus Rotales accedunt deciſiones, & Sacræ Congregationis decreta vacat beneficium ipſo jure ob liberum conſenſum in matrimonium, *pag.*190. §. *Quatenus*.

Hujuſmodi conſenſum probat parochialis codex, *pag.*188. §. *De abſoluto*.

Et ſubſequens contrahentium declaratio, *ibidem*, & *pag.*189. §. *Longeque*.

Neque illum excludit contraria declaratio, ſuſpecto tempore emiſſa, *pag.*188. §. *De abſoluto*.

Ubi ſimplex requiritur declaratoria vacationis be-

beneficii ob contractum matrimonium, neceſſe non eſt, ut collationem præcedat ſententia, *pag.*191. §. *Poſita*.

Sententia lata ab extero Tribunali, licet in abſtracto non afficiat, ſi prolata tamen ſit ſuper vacatione beneficii ob contractum matrimonium, rem quoad reliqua beneficia conſtituit judicatam, *pag.*186. §. *Contrarias*.

Neque requiritur proceſſus ad formam Benedictinæ Conſtitutionis *Dei miſeratione*, quæ procedit dumtaxat, ubi agitur de validitate, vel nullitate matrimonii, *pag.* 186. §. *Contrarias*.

Beneficii vacationem inducit ipſo jure aſſumptio militaris cinguli cum ſtipendio, *pag.*191. §. *Pauca*.

Juſtæ unionis beneficiorum cauſæ ſunt neceſſitas, Eccleſiæ utilitas, major commoditas, intereſſe habentium conſenſus, *pag.*151. §. *Juſtam*, & *pag.*239. §. *De commutanda*.

Actus reciproci in beneficiis inducunt ſimoniam, *pag.*52. §. *Adhuc*.

Ab ea vero excuſat receſſus a lite, *ibidem*.

Beneficiatus. Vid. Eccleſia.

Beneficium. Vid. Seminarium.

CANONICATUS. CANONICI.

Fundare voluiſſe cenſetur Teſtator canonicatum parem reliquis ejuſdem Collegiatæ, *pag.* 84. §. *De bonis*.

A præbenda canonicatus diſtincta ſunt anniverſaria, *pag.*101. §. *Aliæ*.

Proviſus de canonicatu verus eſt canonicus ante impletam formam capitularis ſtatuti, *pag.* 388. §. *Præ ceteris*.

Canonia enim, quæ per proviſionem acquiritur, diſtincta eſt a perceptione fructuum, quæ ad implementum Statuti ſuſpenditur, *ibidem*.

Quotidie ex veteri diſciplina recitare tenebantur Canonici, & Beneficiati officium in Choro, *pag.*55. §. *Quotidie*.

Eis tamen permiſit Tridentina Synodus trium menſium vacationem, ſalva majoris ſervitii conſuetudine, *ibidem*.

Ideoque renunciari valet huic beneficio per conſuetudinem veteri diſciplinæ conſentaneam, *ibidem*.

Et ſervandum eſt, quod Majores induxerunt, *pag.*102. §. *Infeliciſſima*.

Non omnes ſimul Canonici abeſſe poſſunt per trimeſtre, ne omni Eccleſia deſtituatur ſervitio, *ibidem*.

Excuſantur Canonici a reſidentia, & choro ob detrimentum ſalutis, *pag.*103. §. *Aliter*.

Legitima enim non reſidendi cauſa eſt neceſſitas corporis, *ibidem*.

Ad ea dumtaxat Canonici tenentur Sacra, quæ Fundatores præſcripſerunt, *pag.* 137. §. *Pro oratoribus*.

Canonici ſucceſſores dimittere tenentur alienum æs contractum ob neceſſitatem Eccleſiæ, *pag.*181. §. *In eodem*.

Remittere nequeunt Canonici jus quæſitum abſque correſpectivo emolumento, *pag.* 51. §. *Primum*.

Canonici Cathedralis non indigent in activis inveſtimentis venia Epiſcopi, *pag.*81. §. *Nulla*.

Ei tamen ſingulis annis reddere tenentur rationem adminiſtrationis, *ibidem*.

Et ad vitandas fraudes interdicere valet Epiſcopus, ne abſque ſua licentia pecuniam inveſtiant, *ibidem*.

Canonici. Vid. Beneficiati. Jubilatio. Miſſa. Præcedentia. Reductio.

CAPELLANIA. CAPELLANUS.

Capellania eſt clericalis, ubi præceptum deficit celebrandi per ſe ipſum, *pag.*63. §. *Quæritur*.

Non item ſi caſum excepit Fundator celebrandi per alium, *ibidem*.

Neque cenſetur ſacerdotalis ex ſimplici mentione Sacerdotis, *ibidem*.

Niſi Sacerdotis mentio ipſum reſpiciat nominationis actum; *pag.*113. §. *Neque*.

Clericalis, vel ſacerdotalis capellaniæ qualitas deſumitur ab obſervantia, *ibidem*.

In capellania habitu ſacerdotali habilitas requiritur ad aſſumendum Sacerdotium intra annum, *pag.*63. §. *Quatenus*.

Quandoque tamen ex præſumpta Fundatoris voluntate collata fuit Clerico impuberi, *ibidem*.

Capellaniæ Fundator prædilexiſſe cenſetur conſanguineos lineæ effectivæ, *pag.*113. §. *Enixa*.

Et quantum fieri poteſt, conſulendum eſt prædilecto vocatorum generi, *ibidem*.

Familiæ vero nomen agnatos, & cognatos comprehendit, *pag.*114. §. *Atque*.

Vocatus ad capellaniam per poſterius impedire nequit aſſumptionem clericatus primo vocato, *pag.*113. §. *Enixa*.

Et vocatus per verba coactiva inſtitui valet abſque nominatione, *pag.*114. §. *Atque*.

Deficiente fundo capellaniæ, locus eſt abolitioni oneris, *pag* 31. §. *Quæritur*.

Ad vitandam litem permittitur ſubrogatio pecuniæ in locum prædii pro fundo capellaniæ aſſignati, *pag.*33. §. *Secunda*.

Redituum quantitas aſſignata Capellano per adverbium *circiter*, adjecta cenſetur demonſtrative, *pag.*19. §. *Quoad alteram*.

Ideoque in ejus commodum cedit augmentum, *ibidem*.

Ex conjecturata tamen diſponentis voluntate pro taxativa accipitur hujuſmodi aſſignatio, *pag.*19. §. *Mens*.

Pro iiſdem capellaniæ bonis ſolvi non debet duplex collecta, *pag.*18. §. *Duplicem*.

Et ſolutio facta per Capellanum animo repetendi, ſalvum reddit ejus jus, *pag.*19. §. *Etiamſi*.

Ex illius tamen iteratione inutilis redditur proteſtatio veluti contraria facto, *ibidem*.

Capellania. Vid. Patronus.

COM-

COMMUTATIO VOLUNTATIS.

Pro commutatione voluntatis requiritur justa, et rationabilis causa, *pag.*14. §. *Res*, & *pag.*65. §. *Sæv primo*.

Altera ex justis causis est difficultas exequendi voluntatem Testatoris, *ibidem*.

Et commutatio pii operis in aliud, *ibidem*.

Exequi tamen debet voluntas meliori quo potest modo, *pag.*14. §. *Notandum*, & *pag.*99. §. *Voluntas*.

Facile enim frustrari non debet, *pag.* 84. §. *Licet*, *pag.* 90. §. *Notandum*, *pag.* 117. §. *Valde*, & *pag.*132. §. *De privativa*.

In commutatione voluntatis, veluti in re gratiosa, opus non est citatione interesse habentium, *pag.*29. §. *Rescisa*.

CONCIONATOR.

Concionatoris officium est Episcopi, *pag.* 168. §. *Ex veteri*.

Illudque exercere tenetur per se ipsum, nisi legitime sit impeditus, *ibidem*.

Tempore præsertim Adventus, & Quadragesimæ, *ibidem*.

Ad eum ideirco pertinet alterum deputare Concionatorem, *pag.*169. §. *Ob auctum*.

Illum tamen nominare valet inferior ex consuetudine, *ibidem*.

Et præsentare debet Episcopo vel mense Novembri, vel ante Festum Nativitatis Domini, vel juxta localem morem pluribus ante quadragesimam mensibus, *ibidem*.

Elapso tempore ad præsentandum, jus nominandi Concionatorem devolvitur pro ea vice ad Episcopum, *ibidem*.

Concionatoris nominatio legitimo tempore expleta, jus tribuit subrogandi extra terminum Concionatorem alterum in locum deficientis nominati, *pag.*170. §. *Secula*.

Hoc enim jure privari non debet nominans absque culpa, *pag.*170. §. *Num*.

Ejusque favore æquitas potius adhibenda, quam rigor juris, *ibidem*.

Facultativæ Concionatoris deputationes factæ ab Episcopo, legitimam non constituunt consuetudinem adversus habentem jus nominandi, *pag.*171. §. *Negligendum*.

CONSUETUDO.

Decennio inducitur præter jus legitima consuetudo, *pag.*81. §. *Nulla*.

Obligatoriam non constituunt consuetudinem actus voluntarii, *pag.*56. §. *Indulgentiam*.

Servanda est consuetudo consentanea Legi, *pag.*4. §. *Agitur*.

Rescindi non debet, quod gestum est ex inveterata legitimæ consuetudinis opinione, *p.*82. §. *Hac*.

Error enim bonam inducit fidem, *ibidem*.

Et inveratus, aut communis valida reddit gesta, *ibidem*.

Vid. Canonici Distributiones.

CONTRACTUS. CONTRAHENS.

In contractibus servari debet æqualitas, *pag.* 8. §. *Suadere*.

Bonam contrahentium fidem confirmat observantia, *ibidem*.

Ex decreto Congregationis particularis, ab Innocentio XII. deputatæ, cum Locis piis contrahere prohibentur eorum administratores sub pœna nullitatis, & amissionis rei, *pag.*8. §. *Nec sibi*, & *pag.*9. §. *Alia*.

Et quamvis decretum hoc, veluti editum pro Locis piis Urbis, extensionem de loco ad locum pii non videatur, *ibidem*.

Quum in casu tamen particulari universalem explicet Legem, jus tacit ubique, *pag.*9. §. *Alia*.

Rescisso ob nullitatem contractu, omnia hinc inde restitui debent, *pag.*10. §. *Sequela*.

Et restituendum est pretium unica vice, *p.* 225. §. *Nullam*.

Debentur etiam fructus rei fructiferæ, cujus dominium nunquam avulsum censetur ab alienante, *ibidem*.

Non item fructus pecuniæ numeratæ, *pag.*11. §. *Licet*.

Nisi alter ex contrahentibus habuisset rem, & pretium, *ibidem*.

Reficienda tamen sunt melioramenta bona fide facta, *ibidem*.

Ac respective etiam damna, *pag.*10. §. *Sequela*.

Remissio fructuum perceptorum ex illicito contractu extenditur ad diem gratiæ, *pag.* 225. §. *A prima*.

Pendente enim recursu pro hujusmodi condonatione, tempus currit favore recurrentis, *ibidem*.

Et comprehendit pro rata temporis pensiones domorum, licet non venerit solutionis dies; quum currant dietim, *ibidem*.

Ubi vero præcessit declaratio nullitatis contractus, tunc ad eam diem retrotrahitur condonatio, *pag.*225. §. *Ponderandum*.

DISTRIBUTIONES.

Distributiones quotidianæ non debentur ratione beneficii, aut dignitatis, sed laboris, qui par est omnibus, *pag.* 80. §. *Distributionum*.

Ex canonica tamen dispositione major ordine potior est in portione, *pag.* 80. §. *Præposito*.

Et qui plus in distributiones confert, plus etiam percipere debet, *ibidem*.

Interpretativa consuetudo præstandi majores distributiones uni, quam alteri inducitur decennio, *pag.*80. §. *Accedit*.

Distributiones debentur absenti ex consuetudine, *pag.*100. §. *Observantiam*.
Vid. Reductio.

DOS.

Desumit hypothecam a die Instrumenti dotalis, *pag.*32. §. *Ne quid*.
Relicta censentur dotalia subsidia sub conditione, quatenus puellæ nubant, *pag.*47. §. *Sub hac*.
Eaque deficiente, deficit legatum, *ibidem*.
Maxime si relictum sit ab extraneo, *ibidem*.
Dos caducata accrescit legatario fundi, *ibidem*.
Jus nominandi puellam ad certam dotem primo consumitur actu, *pag.*47. §. *Jus*.
Quoad dotes caducatas attendi debet observantia, *ibidem*.
Ubi subsidium dotale ante initum devolvitur matrimonium, iterum conferri debet; non item post illud contractum, *pag.*47. §. *Scrupulose*.
Nisi respexerit Testator puellam in specie, sed pium dotationis opus in genere, denuo caducata dos est conferenda, *pag.*48. §. *Ponderandum*.
In dubio dotalis subsidii jure pronunciandum est pro puellis nubentibus in Domino, *p.*93. §. *Moveor*.

ECCLESIA.

Reparandæ, non destruendæ sunt Ecclesiæ, *pag.*236. §. *Ubi*.
Nisi difficilis sit reparatio, aliæque concurrant causæ, quæ demolitionem suadeant, *pag.*237. §. *Hæc*.
Deficientibus Ecclesiæ reditibus, eam reparare tenentur Beneficiati, *pag.*65. §. *Sub primo*, *pag.*89. §. *Ubi*.
Ac post eos patroni, & Parochiani, *pag.*135. §. *Quarto*, & *pag.*153. §. *Alio*.
Congrua Beneficiatorum taxa est quarta, vel tertia etiam pars fructuum, *pag.*89. §. *Congrua*.
Ab ea tamen immunes sunt, qui curam habent Animarum, *ibidem*.
Quandoque in reparationem Ecclesiæ erogantur reditus, in Missas, & Anniversaria destinati, *pag.*90. §. *Notandum*, *pag.*221. §. *Quatenus*.
Ecclesiæ Cathedralis reparatio incumbit Episcopo, *pag*231. §. *Canonicas*.
Eodemque jure ad hujusmodi reparationem damnari debet successor Episcopus, quo adversus heredes Decessoris obtinuit, *ibidem*.
Ad eam tamen non tenetur post dimissum Episcopatum, *pag.*231. §. *Ad quem*.
Maxime, si vacavit culpa, *ibidem*.
Ecclesia respuere valet absque solemnitatibus legatum, vel hereditatem inutilem, *p.*151. §. *Exploratissimum*.
Interdicta est in Ecclesiis musica profana, *p.*74. §. *Æque*.
Non item sacra, *ibidem*.
Maxime ubi enixæ volita est a Testatore, *ibidem*.
Vid. Beneficium. Canonici. Missa.

EMPHYTEUSIS.

Permittitur concurrente utilitate Ecclesiæ, *p.*196. §. *In genere*.
Major Ecclesiæ utilitas non ex majori dumtaxat canone, sed ex reliquis etiam dimetienda est oblationis conditionibus, *ibidem*.
Et præferri debet magis idoneus oblator, *pag.*196. §. *Magis*.
Emphyteusis rei locari solitæ Beneplacito non indiget Apostolico, *pag.*8. §. *Hinc*.
Neque emphyteusis prædioli infra valorem scutorum triginta, *ibidem*.
Emphyteusis activa non cadit sub censura Extravagantis *Ambitiosa*, *ibidem*.

EPISCOPUS.

Removere potest ex justa causa Officiales Societatis, *pag.*58. §. *Hactenus*.
Et moderare illius Statuta, *pag.*60. §. *Ad excludendam*.
In actu præsertim Sacræ Visitationis, *p.*60. §. *Rectèque*.
Multum ei defertur, *pag.*132. §. *Per simplicem*.
Vid. Administrator. Canonici. Concionator.

HERES.

In heredem transeunt jura defuncti, *pag.*31. §. *Quæritur*.
Ideoque retinere valet quantitatem, de qua defunctus disponere poterat, *ibidem*.
Alienandi facultas heredi concessa, ad actum deducta non censetur, quam per expressam declarationem, *pag.*32. §. *Ne quid*.
Heres ante redditam rationem adimplere tenetur voluntatem defuncti de proprio, *pag.*33. §. *Notandum*.
Impugnare nequit illius factum, *pag.*166. §. *Secundam*.
Tradere non tenetur speciem pro quantitate, *pag.*33. §. *Secunda*.

HOSPITALE.

Hospitalia commendantur a Sac. Conciliis, & SS. Patribus, *pag.*130. §. *Hospitalium*.
Et præferuntur eleemosynis, *ibidem*.
Miserabiliores enim sunt, qui inopia simul, & adversa laborant valetudine, *ibid.*
Eis idcirco applicantur hereditates incertis pauperibus relictæ, *ibidem*.
Et reditus alterius Loci pii, *pag.*130. §. *Unionem*.
Vid. Administrator.

IN-

INVESTIMENTUM.

Idoneum est pro celebratione Missarum investimentum in Locis Montium, *pag.*98. §. *Quæritur*.

Non item in consignativo censu, *ibidem*.

Nisi fiat cum Loco pio, vel Communitate, *pag.*98. §. *Alia*.

IRREGULARIS. IRREGULARITAS.

In dubio haberi debet homicida pro irregulari, *pag.*72. §. *Ubi*.

Irregularis est occidens unum pro alio, *pag.*86. §. *Duplici*.

Et qui post commissum homicidium celebravit, *ibedem*.

Irregularis est Sacerdos homicida, sed non afficitur gravissima censura Sac. Concil. Tridentini, *pag.*21. §. *Immunis*.

Loquitur enim Sancta Synodus de simplici Clerico, *ibi l., & pag.*157. §. *Res*.

Eumque perpetuo interdicit ab Altari, *pag.*36. §. *Agitur*.

Nedum irregularis est Clericus homicida, sed per declaratoriam sententiam cadit beneficio, *pag.*113. §. *Permittendum*.

Irregularitas contrahitur per homicidium voluntarium, *pag.*120. §. *Dubitari*.

Et per homicidium commissum in rixa, *pag.*72. §. *Ubi*.

Si hæc vero ad homicidium ordinata non fuit, illudque prævidere non potuit homicida, voluntarius in causa non censetur effectus, *ibidem*.

Atque ex eo vel non contrahitur irregularitas, *ibidem*.

Vel facilius remittitur, *ibidem*.

Voluntarium in causa censetur homicidium ab eo patratum, qui operam dabat rei illicitæ, vel causam præbuit ad illud ordinatam, *p.*72. §. *Ubi*, *pag.*120. §. *Dubitari*, *p.*157. §. *Licet*, *pag.*241. §. *Oratoris*.

Ex opere etiam licito, & absque dolo operantis datur causa ad homicidium ordinata, ex qua voluntarium fit, quod est casuale, *p.*36. §. *Agitur*.

Levissima negligentia non censetur causa ordinata ad homicidium, quæ voluntarium reddat effectum, *ibidem*.

Qui debitam vero in re licita non adhibet diligentiam, irregularitatem contrahit, si homicidium sequatur, *pag.*120. §. *Dubitari*.

Absolutio Sacerdotis homicidæ cum clausula *in casu, de quo agitur, non esse ulterius molestandum*, non excludit delictum, *pag.*22. §. *Rixæ*.

Facile permitti non debet, ut humano sanguine pollutus Altari serviat, *pag.*86. §. *Duplici*, *pag.*157. §. *Licet*.

Spem vero dispensationis ab irregularitate non adimunt Canones Sacerdoti, qui pœnam luit, & vitam emendavit, *pag.*21. §. *Immunis*, *pag.*72. §. *Ubi*, *pag.*86. §. *Duplici*, *pag.*157. §. *Res*, *pag.*241. §. *Nisi*.

Ne jam promotus mendicare cogatur, *pag.*21. §. *Immunis*, *pag.*72. §. *Ubi*, *pag.*86. §. *Duplici*, *pag.*157. §. *Res*.

Ad eam concedendam graves requiruntur causæ, *pag.*21. §. *Immunis*, *pag.*157. §. *Res*.

Plures in id numerantur, *pag.*22. §. *Rixæ*, *pag.*36. §. *Post tot.*, *pag.*72. §. *Iesse*, *pag.*86. §. *Duplici*, *pag.*157. §. *Res*.

Præcipue spectandum, num tantum a commisso delicto excesserit tempus, ut obliterata sit illius memoria, *pag.*21. §. *Immunis*, *pag.*36. §. *Post tot*, *pag.*120. §. *Quatenus*.

Requiritur ad id decennium, *pag.*22. §. *Rixæ*, *pag.*157. §. *Res*.

Vel saltem cum notabili emendatione vitæ trienniuum, *pag.*22. §. *Rixæ*, *pag.*241. §. *Nisi*.

Post annos vero octodecim deleta omnino censetur memoria delicti, *pag.*36. §. *Post tot*.

Denegata tamen fuit post quindecim annos dispensatio Sacerdoti homicidæ, qui causam præbuit ad illud ordinatam, *pag.*157. §. *Licet*.

Spectandi etiam sunt mores, *pag.*36. §. *Post tot*, *pag.*120. §. *Quatenus*.

Sæpe hac de causa indultum, *pag.*120. §. *Quatenus*.

Difficilius concedenda est dispensatio Clerico homicidæ, *pag.*36. §. *Agitur*.

Maxime si usum habuisset armorum, *p.*241, §. *Oratoris*.

Ubi agitur vero de homicidio casuali, & involuntario, ei etiam indulgendum, *pag.*36. §. *Agitur*, *pag.*72. §. *Ubi*, *pag.*120. §. *Quatenus*.

Veniam quoque meretur, qui illud patravit ad propriam defensionem, *pag.*241. §. *Nisi*.

Multum confert favor Episcopi ad concedendam dispensationem ab irregularitate, *pag.*36. §. *Post tot*, *pag.*157. §. *Res*.

JUBILATIO JUBILATI.

Jubilationis indultum inductum est in remunerationem longævi servitii, *pag.*100. §. *Observantiam*.

Per genericam distributionum concessionem quotidianas dumtaxat comprehendit, *pag.*101. §. *Aliæ*.

Non item eventuales, quæ solis debentur interessentibus, *ibidem*.

Jubilati redire valent ad turnum anniversariorum, si celebrationis onus subire velint, *pag.*100. §. *Observantiam*.

Si immunes vero sunt ab onere, neque de emolumentis participare debent, *pag.*101. §. *Qui eis*,

JUSPATRONATUS.

Parochianorum juspatronatus competit uti singulis, *pag.*109. §. *Sub primo*.

Maxime si extructa, vel dotata sit Ecclesia

per virilem illorum contributionem, *ibidem*.
Et concurrat observantia, *ibidem*.
Et unius dissensus nullam reddit nominationem, *pag.*110. §. *Pura*.
Ubi vero competit tanquam universis, valide exerceri nequit extra Comitia, *ibidem*.
Collegialis illius qualitas desumitur ex necessitate rei, quum nunquam exerceri posset a singulis, *ibidem*.
Parochiani omnes admitti debent ad exercitium juris patronatus, *pag.*111. §. *Ex iis*.
Hoc tamen plenum est periculi, *ibidem*,
Ideoque facienda potius nominatio per primores Parochianos, seu Patres familias, *ibidem*.
Dividi valet juris patronatus exercitium ad vitandam litem, *pag.*110. §. *Nedum*.
Absque licentia Superioris Ecclesiastici, *ibidem*.
Negligentium patronorum voces aliis accrescunt patronis, *pag.*110. §. *Valde*.

LEGATUM.

Pecunia in certum usum legata converti nequit in alium, *pag.* 65. §. *Quoad absolutionem*, & *pag.*221. §. *Expressa*.
A restitutione ejus, quòd in alium usum erogatum est, excusat impotentia, *ibidem*, & *pag.*225. §. *Nullam*.
Suspendi valent pia legata ob difficultatem exequendi voluntatem Testatoris, *pag.*77. §. *Duo*.
Legatum eleemosynæ consanguineis primum debetur, *pag.*132. §. *Per simplicem*.
Neque ulla pauperibus incertis fit injuria, *ibidem*.
Legatum Missarum non destruitur, ubi duplex conciliari valet contraria dispositio, *pag.*174. §. *Quid*.
Legatum in quolibet dubio declaratur ab observantia, *pag.*220. §. *Diuturna*.
In legatis piis latissima sumi debet interpretatio pro perpetuitate, *pag.*219. §. *Favere*.
Tacita vero expressæ non derogat voluntati, *ibidem*.
Dictio *altre*, duobus interposita legatis, identitatem inducit naturæ, eamdemque repetit qualitatem, *ibidem*.
Vid. Missa.

LEX.

Nullus interpretari nequit lex, quam a Legislatore, *pag.*128. §. *Pontificiam*.
Interpretatur etiam ex consuetudine, *pag.*135. §. *Nedum*.
Legis vim habet Statutum, *pag.*137. §. *Vetus*.
Præceptum quoque Testatoris, & decretum Sac. Congregationis, *pag.*166. §. *Secundam*.

MISSA.

Celebrari debet in Cathedralibus, & Collegiatis Missa conventualis, *pag.*137. §. *Vetus*.
Præter Missam solemnem, aliæ plures in Sabbatho Sancto celebrantur functiones a sequenti Paschatis solemnitate distinctæ, *pag.* 24. §. *Præter*.
Missam prioribus Ecclesiæ sæculis iterabant Sacerdotes, *pag.*217. §. *Sacrum*.
Eademque continuavit consuetudo ad sæculum undecimum, *ibidem*.
Pluribus tamen Pontificiis Constitutionibus interdicta ab eo sæculo fuit hujusmodi iteratio, una excepta festivitate Nativitatis Domini, *ibidem*.
Modo etiam secundum Theologos iterare licet Missam, si ministrandum sit SS. Viaticum, benedictio urgeat nuptiarum, vel magnus superveniat Princeps, qui illam non audierit, *pag.*217. §. *Plures*.
Secundum vero Benedictum XIV. iterari valet Missa, ubi duæ, distinctæque Paræciæ sub uno sint Rectore, nec alter sit Sacerdos, qui in altera ex illis celebret, *ibidem*.
Missæ manuales commutari nequeunt sine justa causa in legatum perpetuum, *pag.*239. *De commutanda*.
Utiliores enim sunt Animabus Testatorum, *pag.*239. §. *Perpetuæ*.
Exempla tamen hujusmodi commutationis sunt, *pag.*240. §. *Vestrum*.
Transferri non debet Missæ ab Ecclesia, in qua sepultus est Testator, *pag.*239. §. *Perpetuæ*.
Neque ab Ecclesia, quam præcipue venerabatur, *ibidem*.
Quæ sint hujusce venerationis, & benevolentiæ argumenta vid. *pag.* 221. §. *expressa*, & §. *Una*.
Qui arbitrium habet circa celebrationem Missarum, libere eam moderare potest, *pag.*38. §. *Inopiam*.
Arbitrium tamen hoc regulatur a jure, *pag.*39. §. *Expendere*.
Fraudandi non sunt defuncti suffragiis Missarum, *pag.*53. §. *Hæc*.
Perpetuum Missarum onus assumere nequeunt Cathedrales, aliaque Loca pia absque licentia Ordinarii ex decreto Urbani VIII. *pag.*98. §. *De Missarum*, *pag.*181. §. *Cathedralia*.
Nulla dici posset illius acceptatio absque licentia, licet Urbanus non irritet actum, *pag.*181. §. *Cathedralia*.
Ob certam tamen inobedientibus impositam pœnam valida censetur, licet illicita, *pag.*181. §. *In eodem*.
Ordinarii licentia suppleri valet a Sac. Congregatione, *ibidem*.
In perpetuo, & nondum instituto Missarum legato dimetitur eleemosyna ad taxam perpetuæ, *pag.*39. §. *Expendere*, *pag.*175. §. *Quatenus*.

Quæ

Quæ ſit hujuſmodi taxa juxta Concilium Romanum, & Conſtitutionem Innocentii XII. vid. *pag.* 175. §. *Quatenus*.
Miſſis quandoque præfertur adminiſtratio Sacramenti pœnitentiæ, *pag.* 118. §. *Hoc igitur*.
Vid. Canonici. Inveſtimentum. Legatum. Reductio.

OBLIGATIO.

Extendi non debet, *pag.* 209. §. *Reſcriptum*.
Conditionalis, deficiente conditione reſolvitur, *pag.* 234. §. *Multum*.
Obligationem confirmat obſervantia, *pag.* 210. §. *Omnino*.

OBSERVANTIA.

Quæ ex infecto oritur principio attendi non debet, *pag.* 43. §. *Vix*.
Contraria diſpoſitioni juris abuſus eſt, & corruptela, *pag.* 127. §. *Neque*.
Subſequens obſervantia bonum confirmat contrahentium fidem, *pag.* 8. §. *Suadere*.
Obſervantia anteceſſoris non afficit ſucceſſorem jure proprio venientem, *pag.* 43. §. *Vix*.
Interrumpitur per actus judiciales, *ibidem*.
Maximam vim habet obſervantia immemorabilis, *pag.* 44. §. *Ex annotis*.
Per obſervantiam centenariam in legitimum converſus cenſetur titulus infectus, *ibid.*
Et acceſſiſſe præſumitur Beneplacitum Apoſtolicum, *ibidem*.
Multum valet obſervantia interpretativa, *p.* 128. §. *Præ viribus*.
Vid. Capellania. Contractus. Dos. Juſpatronatus. Obligatio. Parochus. Patronus. Præcedentia.

OFFICIUM DIVINUM.

Prioribus Eccleſiæ ſæculis recitabatur matutinum ſub media nocte, *pag.* 3. §. *A prima*.
Translatum deinde fuit ad auroram, *ibidem*, & *pag.* 118. §. *Rigida*.
Illudque noviſſime inductum, ut recitari valeat poſt veſperas, & completorium præcedentis diei, *pag.* 3. §. *A prima*.
Quoad recitationem enim Divini Officii, aliaſque eccleſiaſticas celebritates incipit dies a præcedentibus veſperis *ibidem*, & *pag.* 118. §. *Hoc igitur*.
Hoc tamen limitatur in Cathedralibus, & Collegiatis, *pag.* 3. §. *A prima*, & *pag.* 118. §. *Rigida*.
Recitari enim debet matutinum mane diei propriæ, *pag.* 60. §. *Quoad ſecundam*.
Variatio matutini permittitur ob inclementiam aeris, *pag.* 4. §. *Agitur*, *pag.* 118. §. *Rigida*, & §. *Hoc igitur*.
Maxime ſi transferatur in horam Populo commodiorem, *pag.* 4. §. *Agitur*.
Et concedi ſolet hujuſmodi indultum pro hiemali tantum tempore, quod a prima accipitur novembris ad primam maii, *ibidem*.
Inducta eſt nona ex hora, qua *Dominus Noſter Jeſus Chriſtus* emiſit ſpiritum, *pag.* 5. §. *Secunda*.
Completorium præcedere debet occaſum ſolis in memoriam Sepulturæ *Chriſti*, *pag.* 5. §. *Ad prærnaturam*.
Quadrageſimali tempore, exceptis Dominicis, recitantur veſperæ in Cathedralibus, & Collegiatis poſt matutinam concionem, *ibidem*.

ORDO.

Sacri Ordinis character non imprimitur per coactionem abſolutam, *p.* 161. §. *Primo*.
Utique vero per cauſativam, *ibidem*.
Tutior olim videbatur diſpenſatio ordinati per coactionem cauſativam a voto continentiæ, *ibidem*.
Ex receptiori tamen ſententia non tenetur ita ordinatus ad continentiam, *ibidem*.
Coactionem cauſativam inducunt minæ, & ſævitiæ cadentes in conſtantem virum, *p.* 162. §. *Ex iis*.
Metum enim incutiunt, qui removet conſenſum ab actu, *ibidem*.
Tacita accepti Ordinis ratihabitio ex diuturno deſumitur ſilentio, *pag.* 162. §. *Pauca*.
Niſi duraverit illius cauſa, *ibidem*.
Coactio cauſativa juſta reputatur cauſa diſpenſandi a voto continentiæ, *pag.* 163. §. *De ſecundo*.
Maxime in juvene ob periculum Animæ, *ibidem*.

PAROCHIA. PAROCHIANI. PAROCHUS.

Pauperi ſuccurri debet Paræciæ, *pag.* 38. §. *Inopiam*
Vel uniendæ eſt viciniori, *pag.* 125. §. *Suppreſſioni*.
Ob diſtantiam, & difficultatem itineris ad Eccleſiam Parochialem nova erigi debet Parochia, *pag.* 146. §. *Novæ*.
Quæ in id requiratur diſtantia, relinquitur arbitrio judicis, *ibidem*.
Duplicis ſaltem eſſe debet lapidis, *ibidem*.
Nec ſufficit milliaria, *pag.* 147. §. *Conciliarem*.
Difficile vero reddit iter interpoſitus torrens, *pag.* 147. §. *Probant*.
Ubi periculum eſt, quod moriantur Infantes ſine Baptiſmate, & ſine Sacramentis infirmi, per novam occurri debet Parochiam, *ibidem*.
Eam quoque exigit auctus Animarum numerus, *ibidem*.
Novi Parochi congrua detrahenda eſt ex reditibus Matricis, *pag.* 148. §. *Quatenus*.
Dummodo iis abundet, *ibidem*.
Transferri non debent parochialia munia, ſi repa-

reparari valet parochialis Ecclesia, *pag.* 153. §. *Alio*.
Permittitur tamen parochialis Ecclesiæ translatio ad firmiorem, & commodiorem locum, *p.* 153. §. *Notandum*.
Et fieri debet eorum sumptu, qui illius commodum sentiunt, *pag.* 154. §. *Si in translationem*.
Fabricæ parochialis Ecclesiæ applicandi sunt redundantes Societatis reditus de consensu sodalium, *ibidem*.
Reparare tenentur Parochiani Ecclesiam parochialem post Parochum, Beneficiatos, & Patronos, *pag.* 135. §. *Quarto*.
Parochianorum nomine exteri etiam veniunt in Parochia possidentes, *ibidem*.
Qui parochialem reficere debent Ecclesiam, onus quoque habent reficiendi parochialem domum, *pag.* 135. §. *Dubitari*.
Parochus applicare tenetur Missam pro Populo non redituum causa, sed ratione officii, *pag.* 39. §. *Ut recte*.
Rationabilis consensus Parochi successoris suppleri valet a Superiore, *pag.* 96. §. *Notandum*.
Irrationabilis unius Parochi contradictio in moderamine Præciarum omnium Diœcesis sperni debet, *pag.* 124. §. *Æquum*.
Jurisdictionis exercitium habet Parochus intra fines Præciæ, *pag.* 126. §. *Jus*.
Et is unus administrare valet Sacramenta Tertiariis etiam Regularium, *ibidem*.
Nec quisquam ab ejus jurisdictione, nisi ex privilegio, & consuetudine eximitur, *ibidem*.
Exemptæ sunt ex privilegio Alexandri VI. Tertiariæ Ordinis S. Dominici, *pag.* 127. §. *Utrumque*.
Pro Tertiariis habendas non esse statuit S. Pius V., quæ nec vota emittunt, nec clausuram servant, *ibidem*.
Aliter disposuit Benedictus XIII., *ibidem*.
Sed ejus Constitutionem revocavit Clemens XII., *ibidem*.
Ideoque exemptionem a parochiali jurisdictione denegant Doctores ex Piana Constitutione simplicibus Tertiariis, *ibidem*.
Idemque pluries definivit Sacra Congregatio, *pag.* 127. §. *Ad id*.
Generica tamen Pianæ Constitutionis dispositio non derogat speciali indulto Alexandri VI., *pag.* 128. §. *Præ viribus*.
Idque declaravit Benedictus XIV. quoad Dominicanas Tertiarias Bononienses, *p.* 128. §. *Pontificiam*.
Observantia inducta ex conniventia Parochi non præjudicat successoribus, *pag.* 127. §. *Neque*.
Maxime si interrupta sit per intermedias quæstiones, *ibidem*.
Retinere debet Parochus matrimoniorum librum, *pag.* 69. §. *Christianæ*.
Perpetuum enim de contractis matrimoniis esse debet monumentum, *ibidem*.
Eique quoad celebrata matrimonia plene defertur, *ibidem*.
Dummodo sit legalis, non simplex diarium, *ibidem*.

PATRONUS.

Prioris patroni observantia mentem declarat Fundatoris, *pag.* 93. §. *Hæc*.
Patronus pauper alienare nequit fundum capellaniæ, *pag.* 95. §. *Alienare*.
Eique succurrendum est ex fructibus, *ibidem*.
Permittitur vero fundi alienatio ad vitandam litem, *ibidem*.
Reintegrari debet patronus de melioramentis factis in fundo capellaniæ, *pag.* 96. §. *Notandum*.
Vid. Jus patronatus.

PERITI.

Fides præstanda est Peritis judicialibus, *p.* 130. §. *Ad probandam*.
Licet referant in contumaciam collitigantis, *ibidem*.
Et præferri debent Peritis extrajudicialibus, *pag.* 230. §. *Sub fide*.

PRÆCEDENTIA.

Præferri debent in Collegio, qui altiorem obtinent gradum, licet privata præstent dignitate, *pag.* 211. §. *Hisce*.
Ubi præsertim distinctæ sunt præbendæ, *pag.* 212. §. *Constat*.
Inter eos vero, qui pares sunt gradu, servanda est prærogativa temporis, *pag.* 213. §. *Hæc*.
In controversiis præcedentiæ attendi potissimum debet observantia, *pag. ibid.* §. *Dispositioni*.

REDUCTIO.

Justa reductionis onerum causa est redituum imminutio, *pag.* 67. §. *Præcipua*, *pag.* 84. §. *Debonis*, *pag.* 199. §. *Quoad reductionem*.
Eo magis, si taxative constitutus sit fundus, ejusque fructus absque culpa possessoris decreverint, *pag.* 67. §. *Præcipua*, *pag.* 199. §. *Quoad reductionem*.
Taxativa est assignatio fundi, si ab ea incipit dispositio, *pag.* 67. §. *Præcipua*.
Alia prius reduci debent onera, quam Missæ, *pag.* 68. §. *Si aliqua*, *pag.* 85. §. *Si aliquod*.
Majus enim Testator voluisse censetur Missarum suffragium, *pag.* 68. §. *Si aliqua*.
Si de iis præsertim, ante omnia disposuit, *pag.* 85. §. *Si aliquod*.
Ex conjecturata tamen Testatoris voluntate fit potius Missarum reductio, *pag.* 68. §. *Si aliqua*.
Ubi principaliter nempe alia contemplavit opera, *ibidem*.

Licet

Licet quandoque Sac. Congregatio utrumque reduxerit onus, *ibidem*.
Missarum reductio conceditur, ubi emolumentum non respondet oneri, *pag.* 32. §. *Nisi*, *pag.*67. §. *Præcipua*.
Si ei vero par est, denegatur, *pag.*84. §. *Licet*.
Ob tenuem præbendam reducitur etiam servitium Chori, *pag.*56. §. *Indulgentiam*, *pag.*84. §. *De bonis*.
Ante exequutionem legati fieri debet Missarum reductio ad congruitatem eleemosynæ, *p.* 98. §. *De Missarum*.
Ubi imminuti sunt reditus ex negligentia possessoris, concedenda non est Missarum reductio, *pag.*199 §. *Quoad reductionem*.
Nisi excusabilis sit culpa, *pag.*199. §. *Notandum*.
Ad succurrendum Loco pio, ac indigenti etiam Parochiæ fieri solet Missarum reductio ad tempus, *pag.*53. § *Hæc*.
Ad augendas etiam quotidianas distributiones, *ibidem*.
Reducitur conventualis Missa, si cujusque Canonici reditus annua non excedunt scuta triginta, *pag.*137. §. *Vetus*.

SEMINARIUM.

Sollicite curandum est, *pag.*233. §. *Quantum*.
Ubi alia desunt media, unienda sunt inopi Seminario beneficia, *pag.*52. §. *Neque*.
Eique succurrendum ex superfluis sæcularium Confraternitatum, aliarumque piarum, licet immunium institutionum reditibus, *pag.*233. §. *Quantum*.
Fieri etiam potest beneficiorum unio ad solvendam ejus præceptoribus mercedem, *pag.* 51. §. *Primum*.
Consensus ab interesse habente præstitus unioni sub conditione, hac non purificata resolvitur, *ibidem*.
Quandoque etiam applicantur Seminario bona Orphanotrophii, *pag.*52. §. *Dimittunt*.
Institutio Clericorum in Seminario magnum affert Divini cultus incrementum, *pag.*130. §. *Unionem*.

SOCIETAS.

Irrita sunt Societatis comitia, in quibus suffragium tulerunt Sodales inhabiles, *pag.* 59. §. *Nullam*.
Ut si celebrata non sint in loco solito, *ibidem*.
Contrarium verius, *pag.* 62. §. *Ad excludendam*.
Iis de jure communi plures interesse valent consanguinei, *pag.*59. §. *Iniustitiæ*.
Contrarium statuit Congregatio deputata anno 1699. ab Innocentio XII. pro reformatione Locorum piorum Urbis, quæ ob identitatem rationis ad extera extenditur Sodalitia, *pag.*60. §. *Rectèque*.
Atque ex ipso jure communi limitatur præsata regula, ubi aliquod eligendis Officialibus obventurum erit lucrum, *ibidem*.
Qui paria habuerunt suffragia eligi debent per sortitionem, *pag.*59. §. *Iniustitiæ*.
In officiis continuare nequeunt Officiales Societatis absque licentia Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis, *pag.*61. §. *Merito*.
Dum in eorum tamen sunt possessione, gerere valent, quæ ad illa pertinent, *pag.*60. §. *Quoad secundam*.
Vid. Episcopus. Parochia.

SUBREPTIO.

Ob simplicem subreptionis, & obreptionis, vel læsionis fumum conceditur aperitio oris, *pag.*28. §. *Rem*.
Subreptionem inducit reticentia ejus, quod Pontificem a concedenda gratia retraxisset, vel difficiliorem reddidisset, *pag.*29. §. *Plura*.
Eo magis si cedit gratia in præjudicium tertii, *pag.*28. §. *Rem*.
Non item, si de re cogitare potuit recicita, *pag.*29. §. *Reticita*.
Subreptionem quoque parit reticentia qualitatis beneficii, *pag.*185. §. *Quadruplici*.
Simplex reticeri valet tractatus absque subreptione, *pag.*29. §. *Reticita*.
Subreptitia non censetur gratia, quam exequutus est Delegatus causa cognita, *pag.* 29. §. *Editum*.

TRANSACTIO.

Exequi debet, *pag.*210. §. *Omnino*.
Exceptionem parit litis finitæ, *pag.*109. §. *Sub primo*.
Æqua esse debet utrique transigenti, *pag.* 193. §. *Satis*.
Justa transigendi causa est lis, *ibidem*.
Transactionem irritat falsa causa, *pag.*209. §. *Rescriptum*.
Consensus enim per errorem præstitus, ab ea abfuisse censetur, *ibidem*.

F I N I S.

BX 1935 A36 t.58-59

Catholic Church. Congregatio Concilii
Thesaurus resolutionum Sacrae Congregationis Concilii

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 13 18 01 011 0